




William Farrer.

B.B

25/-


First editions.

a) Widukind
2 works) b) Tritheim



Collaune

Claudius Le Feuye Lugdunensis
Et variis optimu



Catalogus

I Witichindi rerum ab Henrico et Ottone gestarum libri III etc (v. back of title for full contents)

VVITICHINDI SAXONIS RERVM AB HENRICO ET OTTONE I IMPP. GESTARUM

ſtarum Libri III, unà cum alijs quibuſdam raris & antehac non lectis diuerſorum autorum hiſtorijs, ab Anno ſalutis D. CCC. uſq; ad præſentem ætatem: quorum catalogus proxima patebit pagina

Huc acceſſit rerum ſcitu dignarum copioſus index.

ἐν ξιόδῳ εἰμί.



Fata uiam inuenient.

BASILEAE APVD IO. HERVAGIVM, MENSE MARTIO, ANNO M. D. XXXII.

Witichind historien Saxon traitant des affaires qui ont eu lieu sous les Empereurs Henry & Othon et de plusieurs autres Princes. 17e. Il est possible que dans le corps de l'ouvrage il soit question du Saint Witichind.

CATALOGVS EORVM QVAE VOLVMINE isto complectuntur.

CLARISS. VIRO D. BEATO ARNOALDI INVICTISS. CAROLI IMP. AVGVSTI SECRE/tario, patrono suo colendiss. Io. Heruagius S.



VT nullum est literarum genus, quod non magnam mortalibus commoditatem adferat Beate ornatiss. ita præ cæteris ad ciuiles istas dignitates aspiranti, historiarum lectione nihil conducibilius esse constat. Nam quũ hinc quicquid usquam est uirtutum ac uitiorũ, manifestò eluceat, suis singula locis annotanda sunt, ut tum ad præclaras res gerendas honesta nos exempla alliciant, tum à perpetrandis flagitijs inhonesta deterreãt, sicque perpetuò in rebus omnibus quid uel amplectendum uel uitandum sit, oculis ac animo obuersetur: ita fiet, ut temere nihil instituamus, ac moderationis tenorem ubique tueri possimus. Alioquin nisi rerum agendarum iudicium aliquod intercedat, fieri non potest, quin passim impingamus, ac sæpe aberremus etiam inuiti: tam tenuibus est impressa uestigijs, totque auijs fallax uirtutis uia, in qua ut minimo erroris periculo pergere nobis liceat, historia ceu index quidam ac ὁδηγός adhibenda est, quæ, perspectis uariarum gentiũ moribus, cognitisque rerum diuersarum causis, facilem nobis delectum suppeditare potest, quo rectum ubique uitæ cursum obtineamus. Atqui quum in immensum pateat historiæ usus, eiusque laudem non pauci ac celebres uiri iam antea luculenter sint prosequuti, in ea, quam recte eruditorum cõsensus citra controuersiam olim approbauit, prædicanda diutius immorari non libet, præsertim apud te, cui istam non mediocrem, quæ ex rerum gestarum monumentis petitur, utilitatem esse compertam, singularis prudentia tua declarat: qua tu principis tui, cui es ob egregias ingenij dotes charissimus, negocia non alio quàm literarum beneficio tam solerter exequeris: quarum peritia laute instructũ te nihil imitatione dignum latere potest. Quæ res haud dubie efficit, ut tibi & tuis ornamẽto, cæterisque te intuentibus admirationi non esse nequeas, idque eo magis, si cum aliquo quamlibet uel nobili uel opulento, imperito tamen, ac à Musis alieno conferare. Siquidem ex ea collatione perspicuum fit, quantum indocto doctus præstet. Quando igitur præter alias studiorum portiones, hæc historiæ cognitio tam est necessaria, ut citra hanc recte administrari nihil queat, aliquot iam annis id unum dedi operã, quo ex mea officina omnis generis historiographi quàm emendatissime prodirent. Eius conatus exempla esse possunt Liuius, Seneca, Florus, quos uel sola nomenclatura studiosis cõmendat. Sed quum illi res tantum uetustiss. persequantur, quo demũ & quæ medijs temporibus acciderunt, hactenus ignorata nostris hominibus innotescerent, Volaterranum, Blondum, qui uetera nouis permiscent, Procopium ac alios Gothicarum in cunctas ferè Europæ prouincias irruptionum scriptores iampridem edidimus: nunc Nouum quo

dãmodo proferẽtes orbẽ regionũ ac insularũ,quę ueteribus incognitę fuerũt, opus nõ tam delectabile quã utile studiosis futurũ affirmamus. Complectit enim diuitẽ rerũ uarietatẽ, unde dubites plus ne delectationis an fructus referri queat. Atque hæc uera esse statim inspecto libro quisque uel opinione maiora experietur. Cæterum quid iam de præsenti historiarũ uolumine multa polliceri opus est? quum unumquemque mox ipsa rerum patriarũ quas continet,pollicitatio sit mirifice in spem erectura, aliquid hic expectandũ,quo carere nemo & debeat & possit. Cui enim nõ turpe uideatur,exterarũ gentium ac imperiorum uicissitudines cognitas habere, suæ patriæ statũ qui olim fuerit,quæ Rerump. mutationes nescire? Quod,si ullis unquam,Germanis iure obijci potest,qui hactenus aliena anxie inquirentes, sua neglexerũt: quũ tamen maioribus nostris nihil uel ad summã sapientiã, uel animi fortitudinẽ, uel imperij splendorem defuisse omnes, qui extant, annales testentur. Quin igitur euoluendis considerandisque priscorum Germanorum rebus gestis incumbimus potius, quàm ut peregrina subinde sectãtes,auitã nominis nostri gloriam obsolescere patiamur? Rerum enim nostrarũ neglectus in causa est, quur sese exteri,quorũ facta passim celebrantur, nobis præponant, perinde ac apud nos nihil unquam fuisset gestum memoria dignum. Cui malo succurrere uolens, quo Germanorum sæpe ostensa uirtus è tenebris tandem in lucem eruatur, Vuitichindum Henrici I. ac Othonum fortia facta describentem excudere uisum est,additis huc quibusdã alijs,qui de Germanorũ gestis non ineleganter,fideque bona scripserunt. In quibus concinnandis tametsi ordinem confuderimus, id quod caueri hic minime potuit: leui tamen huic incõmodo facile medebit catalogus Impp. rite inter se succedentiũ præmissus unà cum copioso indice, in quẽ quicquid est memorabile, diligenter congessimus. Et quanque plura eiusdẽ argumenti,nisi temporis nos destituisset angustia,adiungere poteramus: tamen nõ uidebar inepte facturus,si hoc præbito gustu obseruarẽ huius instituti geniũ,ut eo alacrius deinceps ad consimilium æditionem accingar,si hæc aliquo studiosorũ fauore excipi conspicerẽ. Nam alioquin,nisi emptorum nõ respondeat dexteritas, id unũ adnitar pro uirili, ut historiarũ amatores,noua semper fœtura adiutem, paratus Græca simul & Mathematica studia impendio ac laboribus immensis prouehere, cuius mox testes erunt Demosthenes & Euclides Græcus, autores summi, quod utrũque opus à me propediẽ studiosis cõmunicabitur. Porrò quũ diu multũque dispicerẽ,cui hasce historias,in quibus conquirendis multũ sudoris impendi, rectiss. dedicarẽ,tu unus occurristi,cui hoc meũ qualecũque in te studiũ non ingratũ fore sperabã,quique quũ ob multijugã, quã supra attigi,eruditionẽ,tum insignem qua polles, autoritatẽ patronũ libro huic præstare cõmode potes. Quibus enim in procliui est omnia ne intellecta quidẽ calũniari,nominis tui prærogatiua deterriti à calũnijs temperabũt: Quæ una abunde magna causa est,quur

est, quur eruditorũm lucubrationes claris hominibus nuncũpentur. Quorũ in numero quia tu non es postremus, nõ dubia spe ducor, humanitatẽ tuam, quæ cæteras uirtutes omnes exornat, boni consulturam, quod tuo hic patrocinio uti uolui, testaturus eadem opera propensam animi in te mei uoluntatem, qua longe maiori officio demereri te cupiam, si sese offerat occasio. Vale uir celeberrime ex officina nostra, & me tibi addictissimum tua uicissim gratia dignare. Kalend. Martij, Anno M. D. XXXII.

IMPERATORVM EX GERMANIS ORDINE SVCCEdentium series ex Vuympfelingij epitome collecta.

INDEX NOMINVM AC RERVM MEMORABILIVM ex Vuitichindo, & alijs subsequentibus historicis collectus.

A

Arnolphus

C

Chunradus

D

Eaduum

E

F

Friderichi

Henrici

I

K

L

Liutgarda

Ottonis

Rotdrudis

FINIS.

CLARISSIMO I. V. DOCTORI LVDOVICO HIERTERO CAESAREI IVDICII CAMERÆ Aduocato & causidico, Martinus Frechtus S.D.



INTER alia quæ à magno illo philosopho Aristotele sanctissime simul & grauissime sunt tradita, mihi nõ infimum locum clariss. domine doctor habere uidetur, quod nimis antiquam historiam, quia dubia est & incerta: nec nimis nouam, quia ab omnibus uisa fuit: sed mediã delectare, utpote quæ ab his extremis longe distet, senserit. Eius generis esse Saxonum historiam, quam Vuitikindus graui tersoq; stilo, & quod ad hoc scribendi genus proprie spectat, summa fide, quantum ex ueterum monumentis licet deprehendere, descripsit, quum cognouissem: operæprecium me facturum arbitrabar, si in lucem quod in tenebris Eberbaci ad Rhenũ inueneram, proferrem. Si enim alij libri, ad qualescunq; humanarum rerum commoditates elucubrati non paruo studio in lucem restituuntur, leguntur, amplectuntur: quanto magis historiarum cognitionem non esse incognitã conuenit, quandoquidem in hac non aliter atque in speculo, qualiter sit administranda respublica, obeunda officia, gerendi magistratus, regendæ prouinciæ, relucet. Ad hæc si eam laudamus prudentiam, quæ ex sola senectute prouenit: nónne & historiam quod ueterum rerum prudenter gestarũ in se contineat ueritatem, laudabimus? Iam si quis Saxoniæ nationis fines & situm, ut ita loquar (eius enim gentis fortitudo nobilissima & fortissima nobilitas hac in historia potissimum celebratur) cognoscere desiderat: quę ex ueterum diligenti perscrutatione in uetustis monumentis reperimus annotata, huic albo haudquaquã grauabimur apponere. Saxones itaq; ditionis suæ principium ab Holsatia Albi fluuio transiecto, eo loco quem nunc archiepiscopatui Bremensi adscribunt, in Vestphaliam ad Rhenum usq; ferè deducũt: inde uero Hassiam, & Herciniam Germaniæ non incelebrem syluam attingentes, ad Thuringiorum confinia, in quibus non contemnendam partem à Francis, quorum stipendio olim militauerunt, suscipientes perueniunt. Duos principatus superiorem atque inferiorem Saxoniam hęc regio sibi uendicat. Meditullium autem huius prouinciæ totum ex Vandalico solo in linguam

moresq; Saxonũm redactum est: eius generis est terra Brũnsuickensis, Lũnenburgensis, Parthenopolis, quam Magdeburgum appellant, Halberstadensis. Ad eandem quoq; nationem Marchia Brandenburgensis tota pertinet, ex eodem Vandalico solo capta, ac in Saxonicam linguã uersa. Porrò quanta olim Saxonum fortitudo fuerit, uel hinc liquet, quod Otho cognomine Magnus, imperium in Germaniam uirtute & armis inuexit, hoc domesticum Anglorum regnũ fundauit, contra turpissimum Attilam in aciem progressus est, Vandalos fudit. Hæc externa. Quod uero ad id, quod nostro seculo, quo pater misericordiarum & deus totius consolationis uerbi sui manifestationem opulenter exhibuit, pertinet, satius esse prorsus tacere, quàm pauca, ut ille de Carthagine, dicere ducimus. Tuum fuerit clarissime domine doctor nostram in te quam hoc uetusto libro declaramus beneuolentiam ex syncero animo, ob ueterem illam nostram, & absque ulla amara dissensione uiuendi consuetudinem benigne suscipere, & qua es tum historiarum cognitione, tum erga res fortiter gestas celebrandas magnanimitate, tueri defendereq; feliciter, Vale

Heydelbergæ pridie Non. Iulij,

Anno Christi,

M. D. XXXI.

ADNOTATIONES MARTINI FRECHTI IN VVITIKINDVM, QVIBVS LOCI VEL OBSCVRI EX HISTORIARVM COLLATIONE EXPLICANTUR, UEL CORRUPTI CORRIGUNTUR.

IN LIBRVM PRIMVM.

FOl.1.uerſ.15. A Danis aut Nortmannis non prodiiſſe Saxones, ab annis ante Chriſtum mille, implacabile mutuum gentis odium prodit. De quo uide Albertum Krantz ab initio Saxoniæ hiſt.

Fol.1.uerſ.29. Hadolaun. Sunt qui conſtanter adfirment, nunquam Thuringos poſſediſſe agros ad Hadeleriam, quanquam inuitati Saxones à Francis in Thuringos partem Thuringiæ precium militiæ acceperunt.

Fol.2.uerſ.ab imo 5. Copioſe de his Krantz lib.1.c.18.& 19.

Fol.3. uerſ.17. Pehiti, legendum forte Picti iuxta Bedam in Anglica historia: gens putatur eſſe Scythica.

Fol.3.uerſ.23. Gregorius Auguſtinum Mellitum, & Ioannem in Britanniam miſit, eorumq; prædicatione Anglos conuertit ad fidem Chriſti D. XVII.

Fol.3 uerſ.24. Huga perpetuo habet exemplar, quum legendum forte ſit Hugo.

Fol.3.uerſ.ab imo 7. Thiadericum, legendum forte Theodericum: atqui hanc propriorum uarietatem mutare noluimus ob exemplaris uetuſti fidem, quod correctiß. alioquin fuit.

Fol.5.uerſ.7. Tempus enim reſpirandi permittere hoſti eſt illum in nos armare.

Fol.7.uerſ.ab imo 4. Carolus Magnus in monte Martis idolum gentis quod Irmenſul appellarunt ſubuertit. Ereſburg dictus eſt mons, in quo Merſberg. Nam & in eodem Irmenſul colebatur à Saxonibus. Irmenſul quaſi Mercurij ſtatuã interpretantur. Is enim Græce Ἑρμῆς dicitur. Et Ereſburg Martis mons. Ἄρης enim Græcis Mars eſt. Vide Krantz lib.2. Saxoniæ c. 9. Alioquin hic locus in exemplari corruptus eſt, quem ex hac adnotatiuncula quiſq; pro ſuo arbitratu emendet.

Fol.8.uerſ.19. Hic eſt ager ille quem à Thuringis non auro, ſed ſanguine mercatũ Saxo accepit.

Fol.8.uerſ.24. Partim hæc deſumpta è Bedæ hiſtoria Britannica, cuius uerba recenſet Krantz lib.1 Saxoniæ c.20.& 21.

Fol.8.uerſu 30. Sueui, Ptolemæo & Strabone teſtibus, olim ad utrãq; Albis ripã poſiti, uide krantz lib.1. Saxon. cap.28.& ſeq.

Fol.8.uerſ.ab imo 2. Carolus Magnus à Leone papa Imp. coronam accepit, D. CCCI.

Fol.9.uerſ.2. Francia Orientalis, quæ nunc Franconia, omnibus Francis origo fuit.

Fol.9.uerſ.9. Ludouicus IIII. filius Arnulphi, qui Arnulfus Caroli III. cognomento Craßi, nepos fuit ex fratre Carlomanno. Is cum Berengario I. ad Veronam cõgreſſus capitur cæcaturq;, quum imperaſſet annis decem.

Fol.9.uerſ.6. Ludolphus ex Vuedekindi ſtirpe natus, tres filios, & quatuor filias ex Oda habet.

Fol.9. uerſ. 7. Bruno, ex quo dictus eſt Brunonis uicus, iamdiu Brunſuuicum cum ingẽti nobilitate cum Nortmannis & Dacis confligens perit in Ebbeckeſtorp loco nunc monialibus conſecrato.

Fol.9.uerſ.12. Otho dux Saxoniæ ſenium cauſatus regni diadema recuſat, quod peruenit ad Chunradum Chunradi, qui frater erat Ludouici IIII. filium ducem Auſtraſiorum, id eſt, Metenſium & Francorum Orientalium.

Fol.9.uerſ.15. Otho magnus ex filia Arnulphi Imp. Lucarda ſuſcipit Henricum I. qui materno ſanguine Caroli magni lineam attingit.

Fol.9.uerſ ab imo 17. Gothi ex Suetiæ regno, in quo etiam hodie ſtirps gentis cum nomine perſeuerat. Huni patre nati Huno, Tuiſtonis filij inter Europeos citra Tanaim etiam cum Germanis annumerantur.

Fol.9 uerſ.ab imo 2. Quo non deformius ullũ Arctos alit triſtes habitus obſcœnaq; uiſu Corpora.

Fol.10. uerſ. 6. Bellum Auaricum Hunis à Carolo illatum D. CCXCI. octennio abſolutũ fuit, Eginhardo ac Reginone teſtibus.

Fol. 10. uerſ.7. forte reſpexit ad hoc bellũ quod Arnulphus D. CCCXC. geßit contra Ruentebaldum regẽ Morauiæ, Bohemiæ, Poloniæ, Sleſiæ, quando luxatis Vngaris fortiß. obiectis clauſtris.

Arnulphus

Arnulphus Vngarorum opera in hoc bello usus fuit, sed magno Christianorum malo. Vngari enim posthac grauißime incubuerũt Christianis, Sueuis, Bauaris, Franciscq; sæpe prostratis, et penetrauerũt in ultima Saxoniæ, Biennam urbem cum ecclesijs incenderunt.

Fol.10.uers.14. Slaui, quos infra Heuellos, Vebros, Licicauikos, Lusikos, Vulanos uocat, Vuandali fuerunt.

Fol.10.uers.ab imo 17. De qua fraudulenta proditione uide Krantz li.3. Saxon. mox ab initio.

Fol.10.uers.7. Hatdo abbas Augiensis consecratur episcopus Maguntinẽ. An. Domini DCCCXCI.

Fol.10.uers.ab imo 4. Adelbertus cũ fratribus Adalbarto & Henrico contra Eberhardũ & Gebelhardũ bellũ mouet, in quo Henricus cadit, et Adalhardus iußu Gebelharti capite plectitur, DCCCCII

Fol.10.uers.ab imo 3. Chunradus senior in Haßia ad Frislariam Adelberto congreditur, caditq; iij. kalend. Martij DCCCCV. sepultus in Vuiluburg Haßiæ.

Fol.12. uers.15. Septimo anno regni sui rex Chunradus ægrotat & moritur, antea Henricum successorem sibi deligens, qui postea in Frislaria regno præficitur DCCCCXX.

Fol.12. uers.ab imo 11. Sunt qui Chunradum in Fulda monasterio sepultum esse contendant.

Fol.12.uers.ab imo 4. Herigerus Hattoni in archiepiscopatum Maguntinum succeßerat.

Fol.12.uers.ab imo 3. Henricus non contemptim, sed humiliter à Ioanne papa X. huius nominis oblatum cum consecratione papali diadema recusat accipere. Ob id hunc Italici scriptores nõ dignantur Imperatoris nomine.

Fol. 3. uers.3. Prima Henrici expeditio in Burckhardum Sueuiæ ducem, cuius belli causam apud Krantz lib 3. Saxon. c. 2. recenset.

Fol. 13. uers.8. Arnoldus Bauarorum dux qui à facie Chunradi concesserat cum omnibus fortunis in Vngariam, rebellionem parat in Henricum, ab eoq; in Ratisbona obsidetur.

Fol.13. uers.11. Giselbertus dux Lotharingiæ ex genere Karolino gener Henrici regis Rom. socerũ stimulat, ut regnum Franciæ occupet.

Fol.13. uers.14. Lotharius Ludouici Pij filius natu maior, medius inter utrosq; fratres suos incedens regnum inter Rhenum & Scaldim, quod ex eo Lotharingiæ dicitur, sortitus est.

Fol.13. uers.16. Vuascones ultra Garumnam sunt circa Pyrenæos.

Fol.13. uers.20. Dani, qui & Nortmanni dicuntur, ib. Carolus Caluus uictor apud Fontanetũ uicũ agri Antißiodorensis.

Fol.13. uers.22. Per legatos Sergij Pont. IIII. hæc compositio facta est.

Fol.13. uers.23. Ad Carolum III. cognomento Crassum, hæc regna omnia peruenerunt.

Fol. 13. uers. 24. Forte intelligit Eudonem seu Vdonem comitem Andegauensem, qui legitime tutor erat Caroli pueri cognomento Simplicis.

Fol.13. uers.ab imo 7. Meminit Regino Odonis filij Ruodberti comitis Parisiorum.

Fol.13 uers.ab imo 4. Carolus ille Simplex Alsatiam ac partes illas Franciæ iuxta Rhenũ usq; Moguntiam sibi usurpaturus usq; Padersheim uillam prope Vormatiam hostiliter peruenit. In fugã actus à fidelibus Henrici Vormatiæ coadunatis DCCCCXXIII.

Fol. 13. uers. ultimo. Sueßionis inter Robertum & Carolum pugna commissa fuit, in qua à Carolo transfixus lancea Robertus cecidit. Redeunti uictori Carolo Hebertus Viromandorũ comes, Roberti occisi sororem coniugem habens fit obuiam, per speciem gratulandi orat regem ad se diuertat Peronam: intrantem in carcerem protraxerunt.

Fol. 14. uers. 14. Genuit Henrico ante regnum Mathildis filia Theoderici comitis de Ringelheim Gerbergam.

Fol.14. uers.18. Bruno archiepiscopus Coloniensis, & dux Lotharingiæ.

Fol.14. uers.ab imo 10. Bremensis ciuitas concrematur.

Fol.15. uers.5. D. Vitus translatus à Ludouico Pio Corbeiam.

Fol.15. uers.9. Anno DCCCCXL. circa obitum Ludouici Pij grauis hæc Normandorũ & Danorum incursatio grassatur.

Fol. 16. uers.ab imo 6. Habitabant Vuagrij, Vuinuli, Obotriti, Polabi per littora maris Germanici omnes uno nomine & una lingua Vandali.

Fol 16.uersu ab imo 4. Vallersleue, ubi episcopatum constituit rex, & Otho filius postea transtulit hunc in Magdenburgensem archiepiscopatum.

Fol.18.uers.15. Auares qui & Sclaui: Vuerani, hoc est, Vngari

Fol.18.uers.ab imo 12. Ignominiosum fuit antiquitus canem donare.

Fol.19.uers.15. Vbi sub mutuum conspectum uenere exercitus, à Christianis quidē exoritur clamor κύριε ἐλέησον: ab Vngaris Tartaricus stridor insonuit, Hui hui, hui, uox ad fugam incitans.

Fol.19.uers.ab imo 5. Vrbem Slesuuicum tum fecit Coloniam Saxonum constituto ibi marchione.

Fol.19 uers.ab imo 4. Rex Abotritorum & Danorum baptizatur DCCCCXXXI.

Fol 19.uers.ultimo, Henricus rex paralysi percussus, DCCCCXXXV. exemplo prædecessoris sui Conradi, & ex more Carolinorum, pater quem uult ex filijs sibi in imperio surrogat.

IN LIBRVM SECVNDVM.

FOl.20.uers.20. Otho Magnus succedit in locū Augustorū, 81. ab Octauio Cæs. regnans annis 38.

Fol.21.uers.ab imo 2. Bolislaus dux Bohemiæ Vuentzeslaum fratrē occidit, Vide Syluium.

Fol.22.uers.14. Dancmarus regis frater ex solo patre non matre quæ monialis erat.

Fol.23.uers.13. Canes deducere probri genus illa ætate habebatur.

Fol.23.uers.19. Arnoldus postquam obijsset, filij eius Gallico sanguine nati, Othonem non agnoscūt regem, neq; in cœtum regni parent euocationi.

Fol.24.uers.4. Iunctis armis oppugnant Barduuick, in quo Otho iuniorem fratrem Henricū educari fecerat.

Fol.25.uers.7. Salaueldiæ in media Thuringia Hēricus cōuentū procerū, nesciēte Othone, instituit.

Fol.26.uersu ab imo 2. Otho equo desiliens, sanctam lanceam, quam pater illius acceperat ex Burgundo, uenerabundus flexis genibus adorabat, de cœlo suis poscens auxilium.

Fol.29.uers.5. Brisacum in confinio Alsatiæ oppidū quod nobilium Harelongorū aliquando erat.

Fol 29.uers.ab imo 17. Sacerdos à Giselberti militibus spoliatus, Henrico hæc nota fecit.

Fol.29.uers.ab imo 14. Giselbertus equi robore fisus, in Rhenum se mittit, ibi raptus undæ uortice, perit.

Fol.29.uers.ab imo 8. Ludouicus Franciæ rex relictam Giselberti coniugem, Othonis germanam poscit uxorem & accipit.

Fol. 33. uers. ab imo 5. Otgid seu Edid filia fratris Adelsani regis Anglorum, Othonis uxor moritur DCCCCXLVII. VII. Kal. Febr.

IN LIBRVM TERTIVM.

FOl.34.uers.ab imo 12. Hugo cognomento Capelus, Ruberti uel Heriberti filius Othoni rebellis.

Fol.35.uers. 11. Hugo filius Heriberti Artaldū archiepiscopum Remensem expellit, & nepotem suum substituit, quæ causa postea tractata fuit in synodo apud Ingelheim à XXXIIII. episcopis celebrata, præsidente Martino apostolico legato, DCCCCXLVIII.

Fol.35. uers. 21. Othoni è Francia redeunti Herimannus dux Sueuiæ occurrit, & Liudulfo filiam despondet.

Fol.36.uers.1. Albeida Lotharij relicta, filia Rodulphi Burgundionū regis & Bertæ filiæ Arnoldi Bauarorum ducis, Othoni nubit Papiæ.

Fol.36.uers.10. Augustam intelligit.

Fol.36.uers penultimo, Otho Coloniam attingens, matrem suam Mathildam sororem suam Gerbergam, filiumq; eius regem Lothariū sibi obuios condigno illic amore & honore tractauit.

Fol.38.uers.17. Boiarij comites Henrici ducis Baioariæ instinctu Arnulphi & fratrum filiorum Arnoldi olim ducis, quod suum esse ducatum dicerent, ab Henrico deficiunt, & Liudulfum sequentes Ratisbonam occupant.

Fol. 39. uers. 20. Hungari ducentibus inimicis regis in Quadragesima, transito Rheno inuadunt Franciam, & per Italiam redeunt, An. DCCCCLIIII.

Fol.44.uer.15. Hermannnus ab Othone præfectus fuerat inferiori Saxoniæ, quæ Vādalis tum subiacebat, & Albi flu. penè oīa possidebat, quæ nūc tenet dux Luneburgensis & dux inferioris Saxoniæ.

Fol.46.

ANNOTATIONES.

Fol. 46. uers. ab imo 15. Ea tempestate DCCCCLVI. *per omnes regni partes grauis pestilentia grassabatur.*

Fol. 46. uers. ab imo 6. Berengarius *biennio in mõte* S. Leonis *à rege obsessus, cum* Alberto *&* Guidone *filijs capitur, & pater* Bambergæ *exulat, ubi moritur & sepelitur.*

Fol. 46. uersu ab imo 4. Otho Romam *contra* Benedictũ V. *pseudopapam obsidet & expugnat.*

Fol. 46. uers. ab imo 3. Græci *desponsatam* Othonis *filio* Nicephori Constantinopolitani Imp. *filiã tradi à patre prohibent: ob id eos omni pene* Calabria *&* Apulia *expulit.*

Fol. 47. uers. 17. Poppo *episcopus* Vuirtzburgensis *regi percharus* XIII. kal. Martij, DCCCCLI. *moritur, cui propinquus suus alter* Poppo *in episcopatu successit.*

Fol. 49. uers. 14. legati Nicephori Rauennæ *regem cum muneribus salutant* DCCCCLXVII.

Fol. 49. uers. 17. Saraceni *tum in* Calabria *&* Salentinis *erant, foti à* Græcis, *ut in* Othonem *arma pro obtinenda* Italia *mouerent.*

Fol. 49. uers. 29. Otho *pater filium* Othonem, *re in* Saracenos Græcosq; *bene gesta reuersum, uoluit* Imperatorem *à* Romano *populo acclamari, quem* Ioannes XIII. *papa unxit & coronauit, unà cum* Theophania Ioannis Imp. Constantinopolitani *sorore ipsius coniuge.*

Fol. 50. uers. 8. Populus Constantinopolitanus *amissarum de* Italia *prouinciarum iacturam, in* Nicephorum *referens, qui sponsam filiam marito tradere noluerit, arreptis armis, illum interficit, & filio* Ioanni *imperium demandat.*

VITA AVTORIS EX ABBATE SPANHIEMENSI.

VIndichinus monachus Corbeiensis cœnobij in Saxonia ordinis sancti Benedicti, natione Theutonicus, uir in diuinis scripturis doctus, & in secularibus literis eruditissimus, ingenio promptus, & clarus eloquio, metro excellens, & prosa. Scripsit alterno stilo multa præclara opuscula, de quibus ego tantum adhuc reperi subiecta,

Ab exordio Saxonum usq; ad mortem Othonis Imperatoris primi.

Scripsit ad Mathildam eius filiam historiam Saxonum lib. III. Flore uirginali cum maiestate &c.

Gesta Othonis primi lib. I.

Passionem Teclæ uirginis metrice lib. I.

Vitam Pauli primi eremitæ lib. I.

Claruit sub Othone Imperatore primo, Anno domini D. CCCCL.

AD MATHILDAM REGINAM VVITICHINDI PRAEFATIO.



LORE uirginali cum maiestate imperiali ac sapientia singulari fulgenti dominæ Mathildæ, ultimus seruulorum Christi martyrum Stephani atq; Viti Chorbeius V. totius seruitutis deuotissimum famulatum, ueramq; in saluatore salutem. Quamuis te paternæ potentiæ gloria singularis magnificet, ac clarissima decoret sapientia: nostra tamen humilitas præsumit de proxima sceptris semper clementia, quia nostra deuotio à tua pietate suscipiatur, etiam si non mereatur. Nam quũ nostro labore patris potentissimi, auiq; tui gloriosissimi res gestas memoriæ traditas legeris, habes unde ex optima & gloriosissima melior gloriosiorq; efficiaris. Nec tamen omnia eorum gesta nos posse comprehendere fatemur: sed strictim & per partes scribimus, ut sermo sit legentibus planus, nõ fastidiosus. Sed & de origine statuq; gentis, in qua ipse rerũ dominus Henricus primus regnauit, pauca scribere curaui, ut ea legendo animum oblectes, curas releues, pulchro ocio uaces. Legat igitur tua claritas istum libellum, ea pietate nostri memor, qua est conscriptus deuotione, Vale.

VVITICHINDI MO-
NACHI BENEDICTINI DE REBVS GESTIS SAXO- num, ac OTTONIS aliorumque succedentium Imperatorum, liber primus.



OST OPERVM nostrorum primordia, quibus summi imperatoris militum triumphos declaraui, nemo me miretur principum nostrorum res gestas literis uelle cōmendare: quia in illo opere professioni meæ ut potui, quod debui exolui, modò generis gētisque meę deuotioni ut queo, elaborare non effugio. Et primū quidem de origine statuque gentis pauca expediā, solam penè famā sequēs in hac parte, nimia uetustate omnem ferè certitudinem obscurante. Nam super hac re uaria opinio est, alijs arbitrantibus de Danis Nortmannisque originē duxisse Saxones: alijs autē æstimantibus, ut ipse adolescentulus audiui quendam prædicantem de Græcis, quia ipsi dicerent Saxones reliquias fuisse Macedonici exercitus, qui sequutus magnum Alexandrum immatura morte ipsius per totum orbem sit dispersus. Cæterum gentem antiquam & nobilem fuisse non ambigitur: de quibus & in concione Agrippæ ad Iudæos in Iosepho oratio cōtexitur, & Lucani poëtæ sententia probatur. Pro certo autem nouimus, Saxones his regionibus nauibus aduectos, & loco primum applicuisse qui usque hodie nuncupatur Hadolaun. Incolis uero aduentum eorum grauiter ferentibus, qui Thuringi traduntur fuisse, arma contra eos mouent: Saxonibus uero acriter resistentibus, portum obtinent: diu deinde inter se dimicātibus, & multis hinc inde cadentibus, placuit utrisque de pace tractare, fœdus inire: ictumque est fœdus eo pacto, quo haberent Saxones uendendi emendique copiam, cæterū ab agris, à cæde hominum atque rapina abstinerent: stetitque illud fœdus inuiolabiliter multis diebus. Quumque Saxonibus defecisset pecunia, quid uenderent aut emerent non habentibus, inutilem sibi pacem esse arbitrantur. Ea igitur tempestate contigit adolescentem quendam egredi de nauibus oneratum multo auro, torque aurea, simulque armillis aureis: cui obuius quidam Thuringorū, Quid sibi uult, inquit, tam ingens aurū circa tuum famelicū collum? Emptorem, inquit, quęro: ad nihil aliud istud aurum gero: qui enim fame periclitor, quo auro delecter? At ille qualitatem quantitatemque precij rogat, Nullum, inquit mihi est Saxo discrimen in precio: quicquid dabis gratum teneo. Ille uero subridens adolescentem, Quid si, inquit, de isto puluere sinum tibi impleo? erat enim in præsenti loco egesta humus plurima. Saxo nihil cunctatus aperit sinum, & accepit humum, ilicoque Thuringo tradidit aurum: lætus

Saxonum origo

Hadolaun

Thuringi

uterq; ad ſuos repedat. Thuringi Thuringũ laudibus ad cælum tollunt, qui nobili fraude Saxonem deceperit, fortunatumq; eum inter omnes mortales fuiſſe,qui uili precio tam ingens aurũ poſſederit. Cæterum certi de uictoria, de Saxonibus iam quaſi triumphabant. Interea Saxo priuatus auro,onera-tus uero multa humo, appropiat nauibus. Socijs igitur ei occurrentibus, & quid ageret admirantibus,alij eum irridere cœperũt,amicorum alij arguere, omnes pariter amentem eum crediderunt. At ille poſtulato ſilentio, Sequi-mini,inquit,me optimi Saxones,& meam uobis amentiã probabitis utilem. At illi licet dubij,ſequuntur tamen ducem. Ille autem ſumpta humo,per ui-cinos agros quàm potuit ſubtiliter ſparſit, & caſtrorũ loca occupauit. Vt au tem uidere Thuringi caſtra Saxonũ,intolerabilis res eis uiſa eſt. Et miſſis le gatis conqueſti ſunt de rupto fœdere,ac uiolato pacto ex parte Saxonũ. Sa-xones reſpondent,ſe hactenus fœdus inuiolabiliter ſeruaſſe: terram proprio auro cõparatam cum pace uelle obtinere,aut certe armis defendere. His au-ditis incolæ iam maledicebant aurum Saxonicum,& quem paulo ante felicẽ eſſe prædicabant,autorem perditionis ſuæq; regionis fatentur.Ira deinde ac cenſi cæco marte ſine ordine & ſine conſilio irruũt in caſtra.Saxones uero pa rati hoſtes excipiunt ſternuntq;:& rebus proſpere geſtis proxima circum cir ca loca iure belli obtinent. Diu itaq; crebroq; quum ab alterutris pugnatum foret,& Thuringi Saxones ſibi ſuperiores fore penſarẽt,per internuncios po ſtulant utroſq; inermes conuenire,& de pace iterum tractare, condicto loco dieq;. Saxones poſtulatis ſe obedire reſpondent. Erat illis diebus Saxoni-bus magnorũ cultellorũ uſus, quibus uſque hodie Angli utuntur, morẽ gen-tis antiquæ ſectantes. Quibus armati Saxones ſub ſagis ſuis procedunt ca ſtris,occurruntq; Thuringis condicto loco. Quũq; uiderent hoſtes inermes & omnes principes Thuringorum adeſſe, tempus rati totius regionis obti-nendæ,cultellis abſtractis ſuper inermes & improuiſos irruunt,& omnes fun dunt,ita ut ne unus quidẽ ex eis ſuperfuerit. Saxones clari exiſtere, & nimiũ terrorem uicinis gentibus incutere cœperunt. Fuerunt autem & qui hoc faci-nore nomen illis inditum tradant: cultelli enim noſtra lingua ſahs dicuntur: ideoq; Saxones nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudiſſent. Dum ea geruntur apud Saxoniam,quæ ita modò uocitatur,regionem, Bri-tannia à Veſpaſiano principe iam olim inter prouincias redacta,& ſub clien tela Romanorum multo tempore utiliter degens,à uicinis nationibus impu gnatur,eo q; auxilio Romanorũ deſtituta uideretur.Populus nanq; Roma-nus Martiali imperatore à militibus interfecto, externis bellis grauiter fati-gatus,non ſufficiebat ſolita auxilia adminiſtrare amicis: extructo tamen in-genti opere ad munimen regionis,inter confinia à mari uſq; ad mare,ubi im petus hoſtium uidebatur fore, relinquebant regionem Romani. Sed hoſti acriori & ad bellandum prompto,ubi gens mollis & pigra belli reſiſtit,nulla

Ingenioſa cal liditas

Sahs

Martialis imperator

difficultas

difficultas in destruendo opere fuit. Igitur fama prodēte de rebus à Saxonibus prospere gestis, supplicem mittunt legationē ad eorum postulanda auxilia. Et procedentes legati, Optimi, inquiūt, Saxones, miseri Bracti crebris hostium incursionibus fatigati, & admodum contriti, auditis uictorijs à uobis magnifice patratis, miserunt nos ad uos supplicantes, ut ab eis uestra auxilia non subtrahatis. Terram latā & spatiosam, & omniū rerum copia refertā, uestræ mandant ditioni parēre: sub Romanorū hactenus clientela ac tutela liberaliter uiximus: post Romanos uobis meliores ignoramus: ideo sub uestræ uirtutis alas fugere quærimus: uestra uirtute, uestris armis hostibus tantum supiores inueniamur, & quicquid imponitis seruitij libēter sustinemus. Patres ad hæc pauca respondent, Certos amicos Bractis Saxones sciatis, & eorum necessitatibus atq; commodis æque semper affuturos. Legati læti redierunt in patriam, exoptato nuncio socios lætiores reddentes. Deinde promissus in Britanniam mittitur exercitus: & gratanter ab amicis susceptus, in breui liberat regionem à latronibus, restituēs patriam incolis. Neq; enim in id agendo multum laboris fuit: quippe qui iam olim audita fama Saxonū perculsi terrebātur, dummodo præsentia eorū procul pellunt: erant enim hę gentes Bractis aduersæ, Scoti, Pehiti: aduersus quos militantes Saxones accipiebant à Bractis omnia ad usum necessaria. Manserunt itaq; in illa regione aliquāto tempore, uicaria Bractorū bene usi amicitia. Vt aūt uiderūt principes exercitus terrā latam ac fertilē, & incolarū manus ad bellandū pigras, se uero ac maximā partem Saxonum sine certis sedibus, mittunt ad reuocandum maiorē exercitū, & pace cum Scotis & Pehitis firmata, in cōmune cōtra Bractos consurgunt, eosq; regione propellunt, suæ ditioni regionem distribuunt. Et quia illa insula in angulo quodam maris sita est, Anglisaxones usque hodie uocitātur. De quibus omnibus si quis plenius scire uoluerit, historiā gentis eiusdem legat, & inueniet quomodo, aut sub quibus ducibus hæc omnia acta sint, uel qualiter ad Christianitatis nomen per uirum suis temporibus sanctissimū, papam uidelicet Gregoriū peruenerint. Nos uero cœptā historiæ uiam recurramus. Post hæc moritur Huga rex Francorū, nullumq; alium hæredem regni relinquens, præter unicā filiam nomine Amalbergā, quæ nupserat Erminfrido regi Thuringorū. Populus autem Francorū à seniore suo humane clementerq; tractatus, pro gratiarū actione rependenda filium quem ex concubina genuit, nomine Thiadericū, ungent sibi in regem. Thiadericus autem designatus rex mittere curauit legationē ad Erminfridū pro pace atq; concordia. Et ingressus legatus ad Erminfridum, Mortaliū, inquit, optimus maximus dominus meus Thiadericus misit me ad te, exoptās te bene ualere, & lato magnoq; diu imperio uigere, seq; tibi non dominum sed amicum, non imperatorē sed propinquum, propinquitatisq; iura inuiolabiliter tibi finetenus uelle seruare demandat: tantū ut à populi Francorum

Britannorum pro auxilio ad Saxones legatio

Anglisaxones

Theodericus Metensiū rex nothus

concordia non discordes, rogat: ipsum nanque sibi regem sequuntur constitutum. Ad hæc Erminfridus iuxta quod regalem decuit dignitatem, clementer legato respondit: placita sibi placere populi Francorum, ab eorum concordia non discordare: pace omnimodis indigere: super negocio uero regni responsionem suam in amicorum præsentiam uelle differre: uirumque honorifice tractans fecit eum secum aliquandiu manere. Audiens autem regina legatum fratris super

Semina futuri belli uenisse, & locutum cum rege super negocio regni, suasit Hiringo, ut pariter persuaderent uiro, quia sibi regnum cessisset iure hæreditario, utpote quæ filia regis erat & filia reginæ: Thiadericum uero seruum tanquam ex concubina natum: & ideo indecens fore, proprio seruo unquam manus dare. Erat autem Hiringus

Hiringi laus uir audax, fortis manu, acer ingenio, acutus cõsilio, pertinax in agẽdis rebus, facilis ad suadendum quæ uellet: hisque rebus animum sibi Erminfridi conexuerat. Conuocatis principibus & necessarijs amicis Erminfridus uerba legati in præsentiam eorum contulit. At illi unanimiter suadebant, quæ pacis atque concordiæ sunt eum sentire, quia impetus Francorum ferre non posset, maxime qui acrioribus hostium armis ex alia parte premeretur. Hiringus uero uotis lasciuæ mulieris satisfaciens, suasit Erminfrido Francis cedere non debere: super negocio regni iustiorem causam se habere: latum præterea imperium, militum manus, & arma, cæterasque belli copias sibi ac Thiaderico parum procedere. Secundum hæc uerba Erminfridus respondit legato: amicitiam quidem sui ac propinquitatem Thiaderico non negare: mirari tamen non posse, quo

Salse modo usurpare uellet prius imperium quàm libertatem: seruum natum, & quo modo sui quæreret dominium: proprio seruo non posse manus dare. Legatus contra hæc satis cõmotus, Mallem, inquit, hoc caput meum tibi tradere, quàm huiuscemodi uerba à te audire: sciens ea multo sanguine Francorum atque Thuringorum diluenda. Et hæc dicens reuersus est ad Thiadericum: quæ audiuit nõ cælat. Thiadericus autem nimiam iram uultu cælans sereno, Opor

Ironia tet nos, inquit, ad seruitium Erminfridi festinare, quatenus qui libertate priuamur, inani saltem uita fruamur. Et cum graui exercitu appropians terminis Thuringorum, inuenit cum ualida quoque manu generum suum se expectantem in loco qui dicitur Rumbergum. Et cõmisso certamine pugnatum est ancipiti bello una die & secunda: tertia uero die uictus Erminfridus cessit Thiaderico, & fugiens tandem se recepit cum reliquo comitatu in urbem quæ dici

al's Chidinga tur † Scithinge, sita super fluuium qui dicitur Vnstruod. Thiadericus autem cõgregatis ducibus, ac militum principibus exercitus sui, rogat sententiam, utrumnam censerent Erminfridum persequendum, an patriam remeandum. Inter quos Vual

Consultatio bellica dericus consultus, Censeo, inquit, causa cæsos sepeliendi, uulneratos curandi, maiorem exercitum cõgregandi, patriam remeandum: neque enim arbitror multis milibus tuorum amissis sufficere nos posse ad peragendum præsens bellum. Si enim barbaræ nationes innumeræ in nos consurgant, multis nostro

rum

rum debilitatis,per quos uinces? Erat autem Thiaderico seruus satis ingenio sus,cuius consilium expertus est sæpius probũ, eiq; ꝓpterea quadam familia ritate cõiunctus:hic rogatus sententiã dare, In rebus,inquit,honestis pulcher rimam semper esse arbitror perseuerantiã,quam ita coluerũt maiores nostri, ut acceptis negocijs raro uel nunq; deficerent: nec tamen labores nostros eo rum æquandos putauerim, qui paruis copijs ingentes gentiũ copias superauere. Nunc terra in nostra est potestate, & discessione nostra uictis occasionem uincẽdi præstabimus? Amplecterer & ipse patriã redire,familiarẽ necessitudinẽ uidere, si hostem nostrũ eo spatio scirem ocio uacare. Sed uulnerati nostri forsitan hac re indigẽt. Castrorũ esto labor, impigris animis reor pro maxima uoluptate est. Ergo cæsa multitudine exercitus est uehementer attenuatus. Hostes'ne omnes euasere? certe rarissimus: ipse nanq; dux ut quædã bestiola suo munitur latibulo,urbis circundatur claustro,nec ipsum cœlum secure audet inspicere,nostro cogente timore. Sed non desunt ei pecuniæ quibus conducantur nationes barbaræ,non deest militũ manus, licet lassa, quæ tamen omnia nostra absentia redintegrant. Indecorum est uictoribus uictis uincendi locum dare. Num singulis urbibus administranda sufficimus præsidia? & eas omnes ꝑdimus,dum imus & redimus. Hæc eo prosequẽte placuit Thiaderico omnibusq; gloriæ uictoriæ auidis manere in castris, & mittere ad Saxones, qui iã olim erant Thuringis acerrimi hostes, quatenus ei essent auxilio: si quidem uincerẽt Erminfridum,urbemq; caperent, terrã eis in possessionẽ ęternam traderet. Saxones nihil cunctati nouem duces cum singulis milibus militũ destinare nõ dubitant. Et ingressi duces in castra singuli cum centenis militibus,reliqua multitudine extra castra dimissa, salutant Thiadericum uerbis pacificis. Quod quum Thiadericus hilarior suscepisset, dextris datis & acceptis, copiam uiris fandi concessit. At illi, Populus, aiunt, Saxonum tibi deuotus, & tuis parens imperijs,misit nos ad te:& ecce assumus parati, ad omne quodcunque uoluntas tibi suggesserit,parati ut aut hostes tuos uincamus, aut si fortuna aliud iusserit, pro te moriamur: aliam enim causam nullam Saxonibus esse scias,nisi uincere uelle, aut certe uiuere nolle: neque enim gratiam maiorẽ amicis exhibere possumus, quàm ut pro eis mortem contemnamus: & ut hoc experimento discas, omnino desideramus. Illis hæc loquentibus mirati sunt Franci præstantes corpore & animo uiros,& nouum habitũ,arma quoq;, & diffusos scapulas cæsarie, & supra omnia ingentem animi constantiam:nam uestiti erant sagis, & armati longis lanceis, & subnixi stabant paruis scutis, habentes ad renes cultellos magnos. Erant etiã qui dicerent tantis ac talibus amicis Francos non indigere:indomitũ genus hominũ fore:& si præsentem terrã inhabitarẽt, eos proculdubio esse qui Francorũ imperium quandoq; destruerent. Thiadericus uero ꝓprijs utilitatibus cõsulens, suscepit in fide uiros,demandans ut ad oppugnandã urbẽ præpararent. Illi à rege regressi castra metati sunt ad meridianã urbis, in pratis

Moræ pericula

Saxonum magnis promissis auxilium expetitur

Fortiter

Saxonum forma & armatura

fluuio cōtiguis: & postera die prima luce surgentes sumptis armis oppugnāt oppidū incenduntq́. Capto oppido & incenso aciē ordinant ex aduerso portæ oriētalis. Clausi muris dum acies uident ordinatas, ac se in ultimis necessitatibus cōstitutos, audacter erūpunt portis, cæcoq́ furore irruunt in aduersarios, & telis emissis, gladijs ꝑinde res agit̃. Quumq́ graue bellū oriret̃, plures hinc, plures inde sternuntur: istis pro patria, pro uxoribus ac natis, postremo pro ipsa uita pugnātibus: Saxonibus uero pro gloria, & pro terra acquirēda certantibus. Attollitur uirorū inuicem exhortantiū fragor, armorū, & gemitus morientiū: taliq́ spectaculo tota dies illa trahit̃. Quumq́ ubiq́ fierent cędes, ubiq́ ululatus, & neutrum agmen loco cessisset, iam tardior hora prælium diremit. Eo die ex Thuringis multi interfecti, multi sauciati: de Saxonibus uero numerata sunt sex milia cæsa. Mittit̃ igitur Hiringus ab Erminfrido cū supplici legatiōe, & oībus suis thesauris ad Thiadericū pro pace ac spōtanea deditione. Et accedens Hiringus hæc ait, Misit tibi quondā tuus ꝓpinquus modò seruus, ut si non sui miserearis, miseræ saltem tuæ sororis miserearis, ne potū quoq́ tuorū in ultima necessitate constitutorū. Dum hæc lacrymans dixisset, interpellatio principum auro corruptorū adiecit, quia decens foret clementiæ regali, quo talem supplicationē non sperneret, cōmunium quoq́ naturæ rerū nō obliuisceret̃, utiliusq́ esse eum in fide suscipe, quem iam superatum haberet, tamq́ contritū, ut nunq́ se cōtra eum possit leuare, quàm illud genus hominū indomabile, & ad omnē laborem ꝑdurabile, à quo nihil expectaret Francorū imperium, nisi solum periculum. In peracto quoq́ bello cōsiderare posset, quamdiu & insuperabiles existerent Saxones, ideoq́ melius esse, ut susceptis Thuringis, pariter eos ejcerent de finibus suis. His dictis licet inuitus, flectitur tamen Thiedericus, ꝓmisitq́ postera die generū suum se suscepturū, Saxonesq́ abiecturū. His auditis Hiringus uestigijs ꝓsternit̃ regis, laudauitq́ sententiā clementiæ impialis, & misso ad dominū optato nuncio, lætum eum, omnemq́ urbem securiorē reddidit: mansitq́ in castris ipse, ne quid aduersi nox ipsa moliret̃. Interea urbe ex pace ꝓmissa securiore reddita, egressus est quidam cū accipitre uictū quæritans supra litus fluuij supra dicti. Emissa uero uolucre, quidam ex Saxonibus in ulteriore ripa ilico eā suscepit. Quo rogante ut remitteret̃, Saxo dare negauit. Ille autem, Da, inquit, & secretū tibi socijsq́ utile prodam. Saxo econtra, dic ut accipias quod quæris. Reges, inquit, inter se pace facta decretū tenent, si cras inueniamini in castris, capiamini, aut certe occidamini. Ad hæc ille, Serio'ne hæc, an ludo ais? Secunda hora, ait, sequentis diei ꝓbabit, quia uos oporteat sine ludis agere. Quapropter cōsulite uobis ipsis, & fuga salutē quærite. Saxo statim emittēs accipitrē, socijs retulit quę audiuit. Illi satis cōmoti in promptu nō inueniebāt quid sup hoc agere debuissent. Erat aūt tunc in castris quidā de ueteranis militibus iam senior, sed uiridi senectute adhuc uigens, qui merito bonarū uirtutū pater patrū dicebat̃, nomine Hathagat. Hic arripiēs signū quod apud eos habebatur

Pacis tractatus · *Aucipis perniciosa proditio* · *Hathagat laus*

habebatꝰ sacrū, leonis atq; draconis, & desuper aquilæ uolantis insignitū effi gie,quo ostentaret fortitudinis atq; prudentiæ,& earū rerum efficaciā,& mo tu corporis animi constantiā declarans ait, Hucusq; inter optimos Saxones uixi,& ad hanc ferè ultimam senectutē ætas me perduxit,& nunq; Saxones meos fugere uidi:& quomodo nunc cogor agere quod nunq; didici?certare scio,fugere ignoro,nec ualeo: si fata non sinunt ultra uiuere,liceat saltē quod mihi dulcissimū est,cum amicis occūbere.Exēplo mihi paternæ uirtutes sunt, amicorū corpora circa nos prostrata,qui maluere mori q̄ uinci,impigras ani mas amittere,quàm corā inimicis loco cedere.Sed quid necesse habeo exhor tationē protrahere tantisper de contēptu mortis? Ecce ad securos ibimus, ad cædem tantū,nō ad pugnā:nam de promissa pace ac nostro graui uulnere ni hil suspicantꝰ aduersi,hodierno quoq; prælio fatigati,quemadmodū sunt si ne metu,sine uigilijs,& solita custodia manent.Irruere igitꝰ super improuisos & somno sepultos, parū laboris est: sequimini me ducē,& hoc canum caput meū uobis trado,si nō euenerit quod dico.Illius igitur optimis uerbis erecti, quod supererat diei in reficiendis suis corporibus expendebāt:deinde prima uigilia noctis dato signo,qua solet sopor grauior occupare mortales,sumptis armis præcedente duce iruunt super muros,inuenientesq; sine uigilijs ac cu stodijs,ingressi sunt urbē cum clamore ualido.Quo excitati aduersarij,alij fu ga salutē quæsiere,alij per plateas & muros urbis ut ebrij errauere,alij in Sa xones,ciues suos putantes,incidere.Illi uero omnes perfectæ ætatis morti tra didere, impuberes prædæ seruauere: eratq; nox illa plena clamoribus,cæde atq; rapina, nullusq; locus in omni urbe quietus, donec aurora rutilās surgit & incruentā declarat uictoriā. Quūq; penes regē,uidelicet Erminfridū sum ma uictoriæ esset,reqsitus,cū uxore ac filijs,ac raro comitatu euasisse repertus est.Mane aūt facto,ad orientalem portā ponunt aquilam,arāq; uictoriæ cō struētes secundū errorē paternū,sacra sua propria ueneratione uenerati sunt: nomine Martē effigie columnarū imitantes, Herculem loco solis,quē Græci appellant Apollinē. Ex hoc æstimationē illorū apparet utcūq; probabilem, qui Saxones originē duxisse putāt de Græcis,qa Hirmin uel Chermis Græ ce Mars dicitꝰ,quo uocabulo ad laudem,uel ad uituperationē usq; hodie etiā ignorātes utimur.Per triduum igitꝰ dies uictoriæ agētes,& spolia hostiū diui dentes,exequasq; cæsorū celebrantes,laudibus ducē in cœlū attollunt, diuinū ei animū inesse,cœlestēq; uirtutē acclamātes, qui sua cōstantia tantā eos ege rit perficere uictoriā. Acta sunt aūt hæc omnia,ut maiorū memoria prodit, Cal.Octob. qui dies erroris religiosorū sanctione uirorū mutati sunt in ieiu nia & orationes, oblationes quoq; omniū nos præcedentium Christianorū. His itaq; omnibus peractis reuersi sunt ad Thiadericū in castra,& ab eo su scepti, satisq; laudati, & in terra præsenti in æternā possessionē donati sunt. Socij quoq; Francorū & amici appellati,urbē cui ab igne ut proprijs mœnijs pepercere,primū incoluerūt.Qui aūt finis regis sequutus sit, quia memorabi

Concio ad Saxones grauissima

Fortiter

Aquilæ aræq; trophæum

lis fama eſt,prodere non negligo. Miſſus deniq; Hiringus ad Thiadericum
eo die quo capta eſt ciuitas,proxima nocte ſuſceptus ab eo permanſit in ca-
ſtris. Audito autem quia elapſus eſſet Erminfridus,egit ut dolo reuocaretur,&
Hiringus eum interficeret,tanq; claris muneribus ab ipſo donandus, ac ma-
gna poteſtate in regno honorandus:ipſe uero Thiadericus cædis illius quaſi
alienus exiſteret. Quod quũ Hiringus ægre ſuſcepiſſet,falſis promiſſionibus
corruptus ceſſit,ſeq; parere uoluntati illius confeſſus eſt. Reuocatus itaq; Er-
minfridus proſternitur ueſtigijs Thiaderici. Hiringus uero tanq; armiger re-
galis ſtans ſecus euaginato gladio,proſtratũ dominũ trucidauit:ſtatimq; ad
eum ait rex, Tali facinore omnibus mortalibus odioſus factus dominũ tuũ
interficiendo,uiam habeto apertã à nobis diſcedendi,ſortem uel partem tuę
nequitiæ nolumus habere. Merito,inquit Hiringus,odioſus omnibus morta-
libus factus ſum,quia tuis parui dolis:anteq; tamẽ exeã,purgabo hoc ſcelus
meum,uindicabo dominũ meum:& ut euaginato gladio ſtetit,ipſum quoq;
Thiadericũ obtruncauit: ſumensq; corpus domini,ſuper cadauer Thiaderi-
ci,ut uinceret ſaltẽ mortuus,qui uincebatur uiuus: uiamq; ferro faciens diſceſ-
ſit. Si qua fides his dictis adhibeatur, penes lectorem eſt. Mirari tamẽ nõ poſ-
ſumus,in tantũ famã præualuiſſe,ut Hiringi nomine,quẽ ita uocitãt,lacteus
cœli circulus uſq; in præſens ſit notatus. Saxones igitur poſſeſſa terra ſumma
pace quieuerunt,ſocietate Francorũ atq; amicitia uſi. Parte quoq; agrorũ cũ
amicis auxiliarijs uel manumiſſis diſtributa, reliquias pulſæ gẽtis tributis cõ-
Saxonia triplex demnauere:unde uſq; hodie gens Saxonia triformi genere ac lege præter cõ-
ditionẽ ſeruilem diuiditur. A tribus etiam principibus totius gẽtis ducatus ad-
miniſtrabatur,certis terminis exercitus cõgregandi poteſtate cõtenti,quos ſuis
locis ac uocabulis nouimus ſignatos, in orientales ſcilicet populos, Angarios
atq; Vueſtualos. Si aũt uniuerſale bellum ingrueret,ſorte eligitur cui omnes
obedire oportuit,ad adminiſtrandum imminẽs bellum. Quo peracto,æquo
iure ac lege,propria cõtentus poteſtate unuſquiſq; uiuebat. De legũ uero ua-
rietate noſtrũ non eſt in hoc libello diſſerere,quũ apud plures inueniatur lex
Saxonica diligenter deſcripta. Sueui uero tranſalbini, illam quã incolunt re-
gionem eo tẽpore inuaſerunt,quo Saxones cũ Longobardis Italiã adiere,ut
eorũ narrat hiſtoria,& ideo alijs legibus quàm Saxones utuntur. Igitur Saxo-
nes uariã fidem Francorũ experti,de quibus nobis non eſt dicendum, quum
in eorũ geſtis inueniatur ſcriptum, paterno errore obligati uſq; ad tempora
Caroli laus Caroli magni perdurabant. Magnus uero Carolus quum eſſet regũ fortiſſi-
mus,nõ minori ſapiẽtia uigilabat. Enimuero cõſiderabat,q̃a ſuis tp̃ibus om-
ni mortali prudentior erat, finitimã gentẽ nobilemq; uano errore retineri nõ
oportere,modis omnibus ſatagebat, quatenus ad ueram uiam duceretur:&
nunc blanda ſuaſione, nunc bellorum impetu ad id cogebat, tandemq; tri-
geſimo imperij ſui anno obtinuit:imperator quippe ex rege creatus eſt,quod
multis tẽporibus elaborando non defecit. Ob id qui olim ſocij & amici erãt
Francorum

Francorū,iam fratres,& quasi una gens ex Christiana fide,ueluti modò uidemus,facta est. Vltimus uero Carolorū apud orientales Francos imperantiū Lothouuicus ex Arnulpho fratruele Caroli, huius Lotharij regis proaui,natus erat. Qui quum accepisset uxorē nomine Liudgardā, sororem Brunonis ac magni ducis Ottonis,non multis post hæc uixerat annis. Horū pater erat Luidolphus,qui Romā profectus transtulit reliquias beati Innocentij papę. Ex quibus Bruno quum ducatū administraret totius Saxoniæ,duxit exercitū contra Danos,& inundatione repentina circumfusus,non habens locū pugnandi,perijt cum omni exercitu,fratri natu quidem minori,sed omni uirtute multo potiori relinquens ducatū. Regi autem Lothouuico non erat filius, omnisq; populus Francorū atq; Saxonū quærebat Ottoni diadema imponere regni. Ipse uero quasi iam grauior recusabat impij onus: eius tamen cōsultu Cunradus quondā dux Francorū ungit̃ in regē: penes Ottonē tamen summū semper & ubiq; uigebat imperiū. Natus est aūt ei filius toti mundo necessarius,regū maximus optimus Henricus,qui primus libera potestate regnauit in Saxonia:qui quum primæua ætate omni genere uirtutū uitam suā ornaret,de die in diem proficiebat pręcellenti prudentia,& omniū bonorum actuum gloria : nam maximū ei ab adolescentia studium erat in glorificādo gentem suā,& pacem confirmando in omni potestate sua. Pater aūt uidens prudentiam adolescentis,& consilij magnitudinē, reliquit ei exercitū & militiam aduersus Dalmatiā,cōtra quos diu ipse militauit. Dalmatæ uero impetum illius ferre nō ualentes,conduxerunt aduersus eum Auares, quos modò Vngaros uocamus,gentem belli asperrimā. Auares aūt,ut quidam putant, reliquiæ erant Hunorū: Huni egressi sunt de Gothis: Gothi aūt de insula,ut Iordanus narrat,nomine†Sulza,egressi sunt. A ꝓprio aūt duce, nomine Gotho Gothi appellati sunt. Coram quo quum quædam mulieres in exercitu suo rerum ueneficarū arguerent̃,requisitæ sunt,& inuentæ culpabiles. Quarū quum esset multitudo, à merita quidem pœna abstinuit, ab exercitu tamen omnes eiecit. Eiectæ autem syluam proximā petierunt: quæ quum mari cingerent̃,& Mæoticis paludibus,inde exeundi aditus non patebat. Prægnātes aūt iam quædam ex illis,ibidem partum ediderunt: à quibus quum alij atq; alij nascerentur,facta est gens ualida: ferarumq; more uiuentes,inculti & indomiti,facti sunt uenatores acerrimi. Post multa uero secula,quū aliā mundi partē illic cōmorantes penitus ignorarent,cōtigit ceruā uenatu inueniri,eāq; persequi, donec ipsa præcedente omnibus retro mortalibus intransmeabilē hactenus uiā p Męoticas paludes transmearent,ibiq; urbes & oppida,& inuisum antea genus hoīm uidentes,eadē uia reuersi sunt, socijs talia referētes. Illi aūt curiositatis causa cū multitudine prexerūt audita ꝓbare. Finitimæ aūt urbes & oppida quū ignotā multitudinē, & corpora cultu habituq; horrenda uidissent,dæmonia esse credentes fugiebant. Illi uero ad nouas rerum fa

cies

forte Ludouici

Henrici I. laus

als Scandia

Gens è Sagis orta

cies ſtupentes,admirati,primũ quidem à cæde atq; rapina abſtinuerunt,ſed nemine reſiſtente humana tacti cupidine, multa cæde hominum facta nulli rei proinde parcebant:& capta præda magna ad ſedes ſuas reuerſi ſunt. Videntes autem quia res eis ſecus cederent,cum uxoribus ac filijs,& omni agreſti ſupellectili iterũ uenientes & finitimas gentes circũquaq; uaſtantes, Pannoniã poſtremo inhabitare cœperunt. Victi autẽ à magno Carolo, & trans Danubium pulſi,ac ingenti uallo circumfuſi,prohibiti ſunt à conſueta gentiũ depopulatione. Imperante autẽ Arnulpho deſtructũ eſt opus, & uia eis nocendi patefacta, eo q; iratus eſſet imperator Centupulchro Morauorũ:dein de quantã ſtragem quantamq; iniuriã imperio Francorum fecerint,urbes ac regiones adhuc deſolatæ teſtant̃. Hæc ideo de hac gente dicere arbitrati ſumus, ut poſſit tua claritas agnoſcere cum qualibus auo tuo patriq; certandũ fuerit,uel à quibus hoſtibus per eorũ prouidentiæ uirtutẽ,& armorũ inſignia tota iam ferè Europa liberata ſit.Prædictus igit̃ exercitus Vngarorũ à Sclauis cõductus multa ſtrage in Saxonia facta, & infinita capta præda, in Dalmatiã reuerſi, obuium inuenerunt alium exercitũ Vngarorum, qui cõminati ſunt bellum inferre amicis eorũ,eo q; auxilia eorũ ſpreuiſſent, dum illos ad tantam prædam duxiſſent. Vnde factum eſt ut ſecundò uaſtaret̃ Saxonia ab Vngaris,& priori exercitu in Dalmatia ſecundũ expectante,ipſa quoque in tantã penuriæ miſeriã ducta ſit,ut alijs nationibus eo anno relicto, ꝓprio ſolo pro annona ſeruirent. Igitur patre patriæ & magno duce Ottone defuncto,illuſtri & magnifico filio Henrico totius Saxoniæ ipſe reliquit ducatum. Quum aũt ei eſſent & alij filij, Thancmarus & Luitolfus,ante patrẽ ſuũ obierunt. Rex autẽ Cunradus quum ſæpe expertus eſſet uirtutẽ noui ducis,uerítus eſt ei tradere omnẽ poteſtatẽ patris.Quo factũ eſt ut indignationẽ incurreret totius exercitus Saxonici: ficte tamen pro laude & gloria optimi ducis plura locutus, ꝓmiſit ſe maiora ſibi daturũ, & honore magno glorificaturũ. Saxones uero huiuſcemodi ſimulationibus non attendebant,ſed ſuadebant duci ſuo,ut ſi honore paterno eũ nollet ſponte honorare,rege inuito quæ uellet obtinere poſſet. Rex autem uidens uultũ Saxonũ erga ſe ſolito auſteriorem, nec poſſe publico bello eorũ ducem conterere, ſuppetẽte illi fortium militũ manu, exercitus quoq; innumera multitudine, egit ut quoquo modo interficeret̃ dolo. Ad hocq; negociũ habens,ut fertur, maxime idoneũ Mogõciacæ ſedis epiſcopũ,nomine Hattonẽ. Hic obſcuro genere natus, ingenioq; acutus,& qui difficile diſcerneret̃,melior cõſilio foret an peior. Quod ex uno eius actu colligi poteſt. Nam quũ bellũ eſſet Cunrado,regis Cunradi patri & Adelberto Hẽrici ex ſorore nepoti,primũ interfectus eſt frater Adelberti: poſtea in ultionẽ fratris Cunradus quoq; occiſus eſt ab Adelberto,nec ullus regũ tam ingẽs bellum inter eminentes uiros potuit ſedare.Summus poſtremo pontifex mittitur ad ſedandam tam ingentẽ diſcordiam:& ingreſſus ciuitatem

Cunradi erga Henricum maleuolentia

tatem

tatem Adelberti, sub iureiurando spopondit, aut ei pacem cum rege facturũ, aut incolumem loco suo constituturũ. His pactis consentiens Adelbertus, si dei gratia & amicitiæ, quod dignaretur aliquid gustare rogauit. Quo negante, ilico egressus est urbem. Quumq; pertransisset oppidum cum omni comitatu, fertur proclamasse, Proh, inquit, sæpius petit, qui oblata spernit: tædet me longioris uiæ, tardiorisq; horæ: nam ieiuni tota die nõ possumus ambulare. Lætus Adelbertus inclinauit se ad genua pontificis, & ut gustandi gratia in urbem reuerteretur deposcit. Pontifex in urbem reuersus cum Adelberto, liberatur à lege iuramenti, ut sibi uidebatur, eo quod incolumẽ eum loco suo cõstituisset. Post hæc regi à pontifice præsentatus Lothouico, & damnatus capitalem accepit sententiã. Hac igitur perfidia quid nequius? Attamen uno capite cæso, multorum capita populorũ saluant. Et quid melius eo consilio, quo discordia dissolueretur, & pax redderetur? Ea itaq; uarietate uirũ nobis proprie à summa clementia cõcessum aggressus est, fecitq; ei torquem aureã fabricari, & inuitauit ad conuiuiũ, quo magnis ab eo muneribus honoraretur. Interea pontifex opus cõsiderandi gratia ingreditur ad aurificẽ: & uisa torque ingemuisse fertur. Gemitus causam aurifex interrogat. Cui respõdit: qa optimi uiri, & sibi charissimi, scilicet Henrici sanguine illa torques deberet intingui. Aurifex audita silentio texit, & opere perfecto traditoq;, missionem petit & accipit: & obuians duci eunti ad ea negocia, indicauit ei quæ audiuit. Ipse autem uehementer iratus, uocat legatum pontificis, qui iampridem aderat inuitandi eum gratia: Vade, inquit, dic Hattoni, quia durius collum non gerit Henricus quàm Adelbertus: & quia melius rati sumus domi sedere, & de eius seruitio tractare, quàm comitatus nostri multitudine modò eum grauare: & statim omnia quæ iuris ipsius erãt in omni Saxonia uel Thuringorum terra occupauit. Burghardum quoq; & Bardonem, quorum alter gener regis erat, in tantum afflixit, & bellis frequentibus contriuit, ut terra cederent, eorumq; omnem possessionẽ suis militibus diuideret. Hatto autem uidens suis calliditatibus finem impositum, nimia tristitia ac morbo pariter non post multos dies confectus interijt. Fuere etiam qui dicerent quia fulmine cœli tactus, eoq; ictu dissolutus post tertiũ diem defecisset. Rex autem misit fratrẽ cũ exercitu in Saxoniã, eam deuastandã. Qui appropians urbi quæ dicit̃ Heresburg, superbe loquutũ tradunt: qa nihil ei maiori curæ esset, quàm q; Saxones pro muris se ostendere nõ auderẽt, quo cũ eis dimicare potuisset. Adhuc sermo in ore eius erat, & ecce Saxones ei occurrerũt miliario uno ab urbe, & inito certamine tãta cæde Francos mulctati sunt, ut à mimis declamaret̃, ubi tantus ille infernus esset, qui tantã multitudinẽ cæsorũ capere posset. Frater aũt regis Euerhardus liberatus à timore absentiæ Saxonũ, nã eos præsentes uidit, & ab ipsis turpiter fugatus discessit. Audiens autẽ rex male pugnatũ à fratre, congregata omni uirtute Francorum, perrexit ad requiren-

Hattõis mors DCCCCXII

Clades Francorum

Hẽricus in urbe Gruona obsidetur

requirendum Henricũ. Quem compertũ in præsidio urbis quæ dicitur Grona, tentauit illud oppugnare præsidiũ. Et missa legatione pro spontanea deditione, spondet se per hoc sibi amicum affuturum, nõ hostem experturum. Huic legationi interuenit Thiatmarus ab oriẽte, uir disciplinæ militaris peritissimus, uarius cõsilioq; magnus, & qui calliditate ingenij multos mortales superaret. Hic superueniens legatis regis præsentibus interrogat, ubi uellet exercitum castrametari. At ille iam suasus cedere Francis, accepit fiduciã, audiens de exercitu, credens ita esse. Thiatmarus uero ficte loquebatur: cum quinq; enim tantũmodo uiris uenerat. De numero aũt legionũ sciscitãte duce, ad triginta ferè legiones se ꝑducere posse respondit: & ita delusi legati regressi sunt ad regẽ. Vicit uero eos calliditate sua Thiatmarus, quos ipse dux ferro uincere nõ potuit Henricus. Nam ante lucanũ relictis castris Franci unusquisq; redijt in sua. Rex autẽ profectus in Baioariã dimicauit cum Arnulpho, & ibi ut quidam tradunt, uulneratus reuertitur in patriã suam. Quumq; se morbo sensisset laborare, pariter cum defectione primæ fortunæ uocat fratrẽ, qui eũ uisitandi gratia adierat: quem ita alloquitur, Sentio, inquit, frater, diutius me istam uitã tenere nõ posse, deo qui ordinauit ita imperante, grauiq; morbo id cogente: quapropter considerationẽ tui habeto, & quod ad te maxime respicit, Francorũ toti regno consulito, attendendo fratris tui consilio. Sunt nobis frater copiæ exercitus congregandi atque ducendi: sunt urbes & arma cum regalibus insignijs, & omne quod decus regium deposcit, præter fortunam atq; mores. Fortuna frater cum nobilissimis moribus Henrico cedit, rerum publicarum secus Saxones summa est. Sumptis igitur his insignijs, lancea sacra, armillis aureis cum chlamyde, & ueterum gladio regum, ac diademate, ito ad Henricum, facito pacem cum eo, ut eum fœderatum possis habere in perpetuum. Quid enim necesse est ut cadat populus Francorum tecum coram eo? ipse enim uere rex erit & imperator multorum populorũ. His dictis frater lacrymans se consentire respondit. Post hæc autem ipse rex moritur, uir fortis & potẽs, domi militiæq; optimus, largitate serenus, & omnium uirtutum insignijs clarus: sepeliturq; in ciuitate sua Quidelingaburg, cũ mœrore ac lacrymis omniũ Francorũ. Vt ergo rex imperarat Euerhardus adijt Henricum, seq; cum omnibus thesauris illi tradidit, pacem fecit, amicitiã promeruit, quam fideliter familiariterq; usque in finem obtinuit. Deinde cõgregatis principibus & natu maioribus exercitus Francorum in loco qui dicitur Fridisleri, designauit eum regem corã omni populo Francorũ atq; Saxonũ. Quumq; ei offerretur unctio cum diademate à summo pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non spreuit, nec tamen suscepit: Satis, inquiens, mihi est, ut præ maioribus meis rex dicar & designer, diuina annuẽte gratia ac uestra pietate: penes meliores uero nobis unctio & diadema sit: tanto honore nos indignos arbitramur. Placuit itaque sermõ iste coram uniuersa multitudine, & dextris

Dietmari calliditas

Arnolphus Bauarorum dux Cunrado rebellis DCCCCXVII

& dextris in cœlum leuatis, nomen noui regis cum clamore ualido salutãtes frequentabant. Eo ordine rex factus Henricus, perrexit cum omni comitatu suo ad pugnandum contra Burckhardum Alamanniæ ducem. Hic quũ esset bellator intolerabilis, sentiebat tamen, quia ualde prudens erat, congressionẽ regis sustinere non posse, tradidit semetipsum ei cum uniuersis urbibus & populo suo. Et rebus prospere gestis, transijt inde in Baioariam, cui præsidebat Arnulfus dux. Quo comperto, in præsidio urbis quæ dicitur Reginesburg, obsedit eum. Videns autem Arnulfus, quia resistere regi non sufficeret, apertis portis egressus est ad regem, tradito semetipso cum omni regno suo. Qui honorifice ab eo susceptus, amicus regis appellatus est. Rex autem de die in diem proficiens & crescens, robustior, maiorq́ ac clarior pollebat. Quumq́ regnum sub antecessoribus suis ex omni parte confusum ciuilibus atq́ externis bellis colligeret, & pacificaret, & adunaret, signa mouit contra Galliam & Lotharij regnũ. Lotharius enim erat filius Ludouici Imperatoris à magno Carolo nati: huic erant fratres Carolus & Ludouicus. Carolo Aquitaniæ & Vuascanorum cessere regiones, terminum habens ab occidente Barcinonam Hispaniæ urbem: ab aquilone Britannicum mare: & ad meridiẽ iuga alpiũ: ad orientem uero Mosam fluuium. Inter Mosam uero fluuiũ & Rhenũ Lothario regnũ cessit. Ludouico autem à Rheno usq́ ad fines Illyrici & Panniæ. Ad Oram quoq́ fluuiũ & terminũ, Danorum imperium erat. Sub his fratribus bellũ famosum actum est in Fontinith, antequam hæc diuisio regni fieret. Postea uero facta inuiolabiliter mansit, quousq́ iure hæreditario hæc regna omnia cederẽt Carolo huius Ludouici proauo, de quo supra mentionem fecimus. Hunc quidã ex orientalibus Francis adiens nomine Oda, uir fortis & prudens, egitq́ consilio suo, ut cum Danis bene pugnaretur, qui iam multis annis Caroli regnũ uexabãt, unaq́ die ex eis ad centũ milia cæderentur. Ex hoc ille Oda clarus & insignis habitus, & à rege secũdus significatus, quũ ad eum uenerit uno tantũ seruulo comite contẽtus. Moriens autẽ Carolus, iussit Odonem memorẽ beneficij sui fore, & misericordiã sibi præstitam, filio si nasceret̃ nõ negaret. Nam filius ei tunc non erat, sed regina prægnans fuit. Quumq́ post mortẽ patris filius nasceret̃, Oda eum & regno pariter & nomine paterno declarauit. Sed Arnulfus Imperator, qui seniorẽ Carolum Germania expulit, post mortẽ eius omne regnũ ipsius sibi uendicauit. Huic Oda diadema & sceptrum & cętera regalia ornamenta obtulit, imperiumq́ domini sui gratia Imperatoris Arnulfi obtinuit. Vnde usq́ hodie certamen est de regno Carolorum stirpi & posteris Odonis, concertatio quoq́ regibus Carolorum & Orientalium Francorũ super regno Lotharij. Ob quod Henricus rex mouit castra cõtra Carolũ, eiusq́ sæpius fudit exercitũ, iuuitq́ uirum fortem fortuna. Nam Huga, cuius pater Rodbertus filius Odonis ab exercitu Caroli occisus est, misit & dolo eum cepit, posuitq́ in custodia pub-

Barcinona limes Hispaniæ ac Galliæ

Ora flu.

lica, donec uitam finiret. Henricus autē rex audiens casum Caroli, dolebat, humanæq; mutabilitatis cōmunem admiratus est fortunā, quia nō minori claruit religiositate quàm armorū uirtute. Iudicauitq; abstinere quidem ab armis, uerū potius arte superaturos sperauit Lotharios, quia gens uaria erat, & artibus assueta, bellis prompta, mobilisq; ad rerum nouitates. Eo tempore erat quidam de Lotharijs nomine Christianus, qui uidens regi cuncta prospere procedere, quæsiuit quomodo maiori gratia apud regē honoraret: & simulata infirmitate, uocauit ad se Giselbertū, cui principatus regionis paterna successione cessit, cepitq; eum arte, & sub custodia regi Henrico transmisit. Erat autē Giselbertus nobili genere, ac familia antiqua natus. Quē rex satis lætus suscepit, quia per ipsum solū totū Lotharij regnū se habiturū arbitratus est. Deinde uidens adolescentē ualde industrium genere ac potestate, diuitijs quoq; clarum, liberaliter eum cœpit habere: & postremo desponsata sibi filia nomine Gerberga affinitate pariter cum amicitia iunxit sibi, sublegato omni ei Lotharij regno. Genuit quoq; ei & alios filios clara & nobilissima ac singularis prudentiæ regina nomine Mathilda, primogenitū mundi amorē nomine Oddonem, secundū patris nomine insignitū, uirum fortem & industriū Henricū, tertium quoq; nomine Brunonē, quē pontificis summi ac ducis magni uidimus officiū gerentē: ac ne quis eum culpabilē super hoc dixerit, quū Samuelē sanctū & alios plures, sacerdotes pariter legamus & iudices. Aliā quoq; filiā genuit, quæ nupserat Hugoni duci. Erat nanq; ipsa domina regina filia Thiaderici, cuius fratres erant Vuidekind, Immet, Reginbern. Reginbern autē ipse erat qui pugnauit contra Danos multo tempore Saxoniā uastantes, uicitq; eos, liberans patriam ab illorū incursionibus usq; in hodiernum. Et hi erant stirpis magni ducis Vuidekindi, qui bellum potens gessit contra magnū Carolum per triginta fermè annos. Quumq; iam ciuilia bella cessarent, iterum Vngari totam Saxoniam percurrentes, urbes & oppida incendio tradiderunt, & tantā cædem ubiq; egere, ut ultimā depopulationē cōminarent. Rex autē erat in præsidio urbis quæ dicit Vuerlaon. Nam rudi adhuc militi & bello publico insueto, contra tam sæuam gentem non credebat. Quantā autē stragem fecerint illis diebus, aut quanta monasteria succenderint, melius iudicauimus silere, q̄ calamitates nostras uerbis quoq; iterare. Contigit autē quendam ex principibus Vngarorū capi, uinctumq; ad regem duci. Vngari uero ipsum intantū dilexere, ut pro redemptione illius innumera auri & argenti pondera offerrent. Rex autē spernens aurū, expostulat pacem: tandemq; obtinuit, ut reddito captiuo cum alijs muneribus, ad nouē annos pax confirmaret. Quando uero rex Rhenū transierat, ad dilatandū super Lotharios imperiū suum, occurrit ei legatus Caroli, & salutato eo uerbis humillimis, Dominus meus, inquit, Carolus, regia quōdam potestate præditus, modo priuatus misit me ad te demandans, quia nihil ei

Lotharingus Christianus

Henrici liberi

Vngarorū in Saxoniam eruptio

hil ei ab inimicis circumuento iocundius, nihil dulcius esse possit, quàm de tui magnifici profectus gloria aliqd audire, fama uirtutũ tuarũ cõsolari. Et hoc tibi signũ fidei & ueritatis transmisit: ꝑtulitq́; de sinu manũ ꝑciosi martyris Dionysij auro gẽmisq́; inclusam: hoc inquit, habeto pignus fœderis perpetui & amoris uicarij. Hãc partẽ unici solatij Francorũ Galliã inhabitantiũ, postquàm nos deseruit insignis martyr Vitus ad nostrã perniciẽ, uestramq́; perpetuã pacẽ Saxoniã uisitauit, cõmunicare tecũ maluit. Neq; enim postquàm translatũ est corpus à nobis, ciuilia uel externa cessauere bella: eodẽ quippe anno Dani & Normandi regionẽ nostrã inuaserunt. Rex aũt munus diuinũ cũ omni gratiarũactione suscipiens, prosternitur reliquijs sanctis, & deosculans eas, summa ueneratione ueneratus est. Inclytus uero martyr, de quo legatus Caroli disseruit, erat in Lycia prouincia, nobili natus familia, sed pagana. Quem pater præsidi prouinciæ Valeriano præsentauit, eumq́; præses ipse ad immolandũ simulachris coẽgit: sed interea manũ perdidit, & oratione ipsius iterũ sanã recepit. Brachia tortoribus aruerunt, sed meritis martyris restituta sunt eis. Videns aũt pater quia tormenta irrisit, domũ reduxit, cubiculo oibus delicijs affluenti reclusit. Ibi quũ arcana quædã Hilas, sic enim uocabatur pater eius, cõspiceret, cęcus efficit̃. Et coactus idolis abrenunciauit, Christũ cõfessus est. Illuminatus aũt ꝑ merita filij sui Viti, Christũ negauit, & filiũ interficere quæsiuit. Monitu angelico atq; ductu Modestus iam grauior pædagogus, puerũ sumit, mare nauigat, ad Siler fluuiũ peruenit. Ibi sub arbore quadã requiescentes, uacant orationibus, aquilis uictũ cotidianũ ministrãtibus. Populis eũ uisitantibus puer prædicat Christũ, plures cõuertit, plures baptismũ suscipere fecit. Post hæc à Diocletiano Cæsare uocatus, Romã proficiscit̃, & filio Imperatoris per orationẽ Viti à dæmonio purgato, thura dijs offerre cogit̃. Illo uero durius Impatori respondẽte, bestijs proijcit̃, nec lædit̃. Deinde in mediũ clibani ardentis iactat̃, & angelo flãmas sedante, illæsus egreditur. Vinculorũ ingenti ferro oneratus carceri tradit̃, sed ibi à dño & multitudine angelorũ uisitatur. Postremo tormento quod catasta dicit̃, cum Modesto, & quadã nobili fœmina Crescentia figit̃, & fractis omnibus membrorũ motibus, à Christo consolat̃. Nã fulmine cœli tortores tacti, & tonitru ingẽti perterriti ab eo fugant̃. Subitoq́; repertus est in loco ubi prius orationi uacabat, angelo dñi ibi eũ restituente: & ultima oratione celebrata, animas cœlo tradiderũt. Corpora uero Florentia quędã illustris fœmina terræ tradidit in eodẽ loco qui dicit̃ Marianus. Eius ultimã orationẽ tuæ gloriæ significare curaui, ut inde sumas quo eius amore ardeas, & ardore ipsius amoris perpetuũ eius patrociniũ merearis. Dñe Iesu Christe, inquit, fili dei uiui, perfice desiderium cordis eorũ, & libera eos ab omnibus impedimentis huius seculi, & perduc eos ad gloriã tuam, qui pro me glorificãt te, & uolũt gloriari de mei martyrij passione. Hãc uocẽ subsequuta est sponsio diuinæ promissionis, rata & firma

D. Dionysius

D. Viti uitã

Modestus

Catasta

Viti iã morituri oratio

esse omnia quæ rogasset. Post multa uero tempora Romã ueniens quidam Fulradus nomine,& ibi gesta legẽs preciosi martyris,notauit locũ sepulchri: ueniensq́; leuauit reliquias sacras, collocauitq́; eas in pago Parisiaco. Inde regnante Luthouuico Imperatore,translatæ sunt in Saxoniã:& ut legatus Caroli confessus est,ex hoc res Francorũ cœperũt minui, Saxonũ uero crescere: donec dilatatæ ipsa sua iã magnitudine laborãt, ut uidemus in amore mundi,& totius orbis capite patre tuo:cuius potentiæ maiestatẽ,nõ solũ Germania,Italia atq; Gallia,sed tota ferè Europa nõ sustinet. Colito itaq; tantum patronũ,quo adueniente, Saxonia ex serua facta est libera, & ex tributaria multarũ gentiũ domina. Neq; enim talis ac tantus summi dei amicus tui gratia indiget,nos uero famuli ipsius indigemus. Vnde ut eũ possis habere intercessorẽ apud cœlestẽ Imperatorẽ, habeamus te aduocatã apud terrenũ regẽ tuũ,scilicet patrẽ atq; fratrẽ. Igitur Henricus rex accepta pace ab Vngaris ad nouem annos,quanta prudentia uigilauerit in munienda patria, & in expugnando barbaras nationes,supra nostrã est uirtutẽ edicere,licet omnimodis non oporteat taceri. Et primũ quidẽ ex agrarijs militibus nonũ quemq; eligens in urbibus habitare fecit,ut cæteris cõfamiliaribus suis octo habitacula extrueret,frugũ omniũ tertiã partẽ exciperet,seruaretq́;. Cęteri uero octo seminarent & meterent, frugesq́; colligerent nono,& suis eas locis reconderẽt. Concilia & omnes cõuentus atq; conuiuia in urbibus uoluit celebrari,in quibus extruendis die noctuq́; operã dabant,quatenus in pace discerent, quid cõtra hostes in necessitate facere debuissent. Vilia aut nulla extra urbes fuere mœnia. Tali lege ac disciplina quũ ciues assuefaceret, repẽte irruit super Sclauos,qui dicuntur Heuelli,& multis eos prælijs fatigãs,demũ hyeme asperrima castris super glaciẽ positis,cepit urbem quæ dicit̃ Brennaburg,fame,ferro,frigore. Quũq́; illa urbe potitus, & omni regione:signa uertit contra Dalmatiam, aduersus quã iam olim reliquit ei pater militiã: & obsidens urbem quæ dicit̃ Grona,uigesima tandem die cepit eam. Præda urbis militibus tradita,puberes omnes interfecti,pueri ac puellæ captiuitati seruatæ. Post hæc Pragã adito cum omni exercitu, Bohemorũ urbẽ regemq́; eius in deditionẽ accepit:de quo quædã mirabilia prædicant̃,quæ quia nõ probamus,silentio tegi iudicamus. Frater tamen erat Bolizlaui,qui quandiu uixit,Imperatori fidelis & utilis mansit. Igitur rex Bohemias tributarias faciens, reuersus est in Saxoniam. Quumq́; uicinæ gentes à rege Henrico factæ essent tributariæ, Abotriti, Vulzi, Heuelli, Dalmatæ, Bohemi,†Redarij,& pax esset: Redarij defecerunt à fide,& congregata multitudine, impetũ fecerunt in urbem quæ dicit̃ Vuallisleuui,ceperuntq́; eam,captis & interfectis omnibus habitatoribus eius,innumerabili uidelicet multitudine. Quo facto,omnes barbaræ nationes erectæ iterũ rebellare ausæ sunt. Ad quarũ ferocitatẽ reprimendã traditur exercitus cum præsidio militari Bernhardo,cui ipsa Redariorũ prouincia erat

Fulradus

Ottonis potentia

Militum delectus

Sclaui

forte, Brandenburg

Praga tributaria regi Romano

al. Ribuarij

cia erat sublegata, additurq́ legato collega Thiatmarus, & iubent urbē obsi dere, quæ dicit Lunkini. Quinto obsidionis die uenere custodes exercitū bar barorū nō longe esse adnunciantes, & quia nocte contigua impetū in castra facere decreuissent. Quūq́ plures eadē confirmarent, populus fidem paribus dabat dictis: & quū conuentus esset populi circa tentoria; legatus eadē hora collega dictante præcepit, ut per totā noctem parati essent, nequa forte irru- ptio barbarorū in castra fieret. Quū aūt dimissa esset multitudo in castris, ua riauere mœsticia pariter atq; lætícia, alijs bellū formidantibus, alijs aūt desi- derantibus, & pro qualitate morū inter spem metūq́ uersabant bellatores. Interea dies transit, & nox solito tenebrosior cum ingenti pluuia adest nutu diuino, quatenus consiliū pessimū impediret barbarorū. Vt ergo iussum est, tota nocte illa armati erāt Saxones, & primo diluculo dato signo, sacramen- toq́ accepto, primum ducibus, deinde unusquisq; alteri operā suā sub iura- mento promittebat ad præsens bellum. Orto aūt sole, nam post pluuiā clara redijt serenitas, erectis signis procedebant. In prima quidē fronte legatus in barbaros impetū faciens: sed quū pauci nō præualerent aduersus innumera- biles, reuersus est ad exercitum, referens quia barbari non plures haberent equites, peditū uero innumerabilē multitudinē, & nocturna pluuia intantū impeditā, ut ab equitibus coacti, ad pugnā procederent. Igitur sole cadente, in humida uestimenta barbarorū fumum ascendere fecit usq; in cœlū, spem fiduciamq́ præstans dei populo, cuius faciei claritas atq; serenitas circumful sit illos. Igitur dato signo, & exhortante legiones legato, cum clamore ualido irruunt in hostes. Quumq́ nimia densitate iter pertranseundi hostes nō pa- teret, dextra læuaq́ ferro erumpentes, quoscunq; à socijs se sternebant, neci dabāt. Quumq́ iam bellū[†] grauaret, & multi hinc atq; inde caderent, & ad- huc barbari ordines tenerēt, legatus collegā ut legionibus auxilio esset expo- stulat. Ille uero præfectū cum quinquaginta armatis lateri hostili immisit, & ordines cōturbauit: ex hoc cædi fugæq́ tota die hostes patebant. Quū ergo per omnes agros cæderent, ad urbē uicinā fugere tentabant. Collega autem hoc eis præcauente, proximū mare ingressi sunt, & ita factū est, ut omnis illa nimia multitudo, aut gladio consumeret, aut in mari mergeret. Nec peditū ullus superfuit, equitū rarissimus, deponiturq́ bellū cum casu omniū aduer- sariorū. Ingens interea oritur lætícia ex recenti uictoria, dum omnes laudant duces, unusquisq; uero militū prædicat[†]euangeliū alium ignauū quoq;, ut in tali fortuna solet fieri. Postera autē luce mouent signa urbi præfatæ, urbani uero arma deponūt, salutē tantūmodo deposcūt ac merent. Inermes igit ur- be egredi iussi, seruilis aūt conditio, & omnis pecunia cū uxoribus & filijs, & omni supellectili barbarorū regis captiuitatē subibant. Ceciderūt etiā ex no- stris in illo prælio duo Liutharij, & alij nobiles uiri nonnulli. Igit legatus cū collega & alijs principibus Saxoniam uictores reuersi, honorifice à rege sunt suscepti, satisq́ laudati, qui paruis copijs diuina fauente clemētia, magnificā

forte, ingrā uesceret

forte, Euangelum uexillife rum, aut hunc gnauum

perpetrauerint uictoriã. Nam fuere qui dicerent barbarorum cc.milia cæsa: captiui omnes postera die ut promissum habebant obtruncati. Itaq; recentis uictoriæ læticiam augebant nuptiæ regales, quæ eo tempore magnifica largitate celebrantur. Nam rex dedit filio suo Oddoni cõiugem filiã Ethmũdi regis Anglorum sororẽ Adalstani, quæ genuit ei filium nomine Liudulfum uirum magnũ, meritoq; omnibus populis carum: filiã quoq; nomine Liudgardã, quæ nupserat Conrado Francorũ duci. Rex autẽ quum iam militem haberet equestri prælio probatũ, contra antiquos hostes uidelicet Vngaros præsumpsit inire certamen. Et conuocato omni populo tali ratione eos est affatus, Olim ex omni parte confusum, à quantis periculis imperiũ uestrũ modo sit liberũ, uosipsi melius nostis, qui ciuilibus discordijs & externis bellis toties attriti laborabatis. At nunc propicia nobis summa diuinitate, nostro labore, uestraq; uirtute pacatũ collectumq; cernitis, barbaros superatos & seruituti subiectos. Quod superest necesse habemus, ut contra cõmunes hostes Auares pariter simul consurgamus. Vos hucusq;, filios filiasq; uestras expoliaui, & ærariũ eorũ repleui: nunc templa templorũq; ministros ut expoliẽ cogor, absq; nudis corporibus nulla nobis alia remanẽte pecunia. Consulite igitur uobisipsis, & quid super hac re nobis sit faciendũ eligite, thesaurum diuinis officijs sanctificatũ tollámne, & dabo pro nostra redemptione dei inimicis? an certe addã cultui diuino pecunia honorẽ, ut ab ipso potius redimamur, qui uere noster extat creator pariter & redemptor? Ad hæc populus leuauit uoces in cœlũ, inquiens se à deo uiuo & uero redimi omnimodis desiderare, quia fidelis & iustus sit in omnibus uijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Operã suã deinde promittẽs regi cõtra gentẽ acerrimã, dextris in cœlũ eleuatis, pactũ firmauit. Tali itaq; pacto cum populo peracto, dimisit rex multitudinẽ. Post hæc legati Vngarorũ adierũt regẽ pro solitis muneribus: sed ab eo spreti, in terrã suã uacui sunt reuersi. Hæc audientes Auares, nihil morati, cum graui hostiliq; manu festinant intrare Saxoniã. Et iter agentes per Dalmatiã, ab antiquis opem petunt amicis. Illi uero scientes eos festinare ad Saxoniã, Saxonesq; ad pugnandũ cum eis paratos, pinguissimum pro munere eis projciunt canẽ. Et quũ non esset iniuriã uindicandi locus, ad aliã pugnam festinantibus, cum ridiculosa satis uociferatione longius prosequuntur amicos. Igitᵉ q̃ potuerunt repentino impetu intrant fines Thuringorũ, illã totam terram hostiliter peruagantes. Ibiq; diuisis socijs, alij ad occidentẽ pergebant, ab occidente & meridie Saxoniam quærentes intrare. Sed Saxones pariter cum Thuringis cõgregati, inito cum eis certamine, cæsis ducibus, cæteros illius exercitus occidentalis per totã illã regionẽ errare fecerũt. Quorũ alij fame cõsumpti, alij frigore dissoluti, alij aũt cæsi uel capti, ut digni erant miserabiliter perierũt. Qui autẽ in oriente remãsit exercitus, audiuit de sorore regis quæ nupserat Vuidoni Thuringo (erat nanq; illa ex concubina nata) quia uicinã urbẽ inhabitaret, & multa pecunia ei esset auri & argenti. unde

Ottonis nuptiæ, DCCCCXXX

Bellum cũ Vngaris, DCCCCXXXIIII

Soror regis

unde tanta ui urbē expugnare cœperāt, ut nisi nox uisum pugnātibus impediret, urbē caperēt. Ea uero nocte audiētes de casu sociorū, regisq́ super eos aduētu cū ualido exercitu: nā castra metatus est rex iuxta locū qui dicit̃ Riaede, timore perculsi, relictis castris, more suo igne fumoq́ ingēti agmina diffusa collegerūt. Rex uero postera die producēs exercitū, exhortatus est, ut spē suā diuinæ clementiæ cōmitterent, diuinū sibi auxiliū quemadmodū in alijs prælijs adesse nō dubitarent. Cōmunes omniū hostes esse Vngaros, ad uindictā patriæ parentumq́ solummodo cogitarēt. Hostes cito terga uertere uidissent, si uiriliter certando persisterent. His optimis uerbis erecti milites, Imperatoremq́ in primis, medijs, & ultimis uersantē uidentes, coramq́ eo Angelū, hoc enim uocabulo effigieq́ signū maximū erat insignitū, acceperunt fiduciā magnamq́ cōstantiā. Rex uero ueritus est, quemadmodū euenit, ut hostes uiso milite armato, fugæ statim indulsissēt, misit legionē Thuringorū cum raro milite armato, ut inermes prosequerent̃, & usq́ ad exercitū protraherentur. Actumq́ est ita, sed nihilominus uidentes exercitū armatū fugerunt, ut peracto miliario uix pauci cæderent̃ uel caperent̃. Castra uero inuasa & om̃is captiuitas liberata est. Rex uero uictor reuersus, modis oībus gratiarūactiones diuino honori, ut dignū erat, soluebat ꝓ uictoria de hostibus sibi diuinitus cōcessa. Tributūq́ qđ hostibus dare cōsueuit, diuino cultui mācipauit, & largitionibus pauperū deseruire constituit. Deinde pater patriæ, rerū dn̄s, Imperatorq́ ab exercitu appellatus, famā potētiæ uirtutisq́ cūctis gētibus & regibus lōge lateq́ diffudit. Vnde & aliorū regnorū proceres eū adierūt, gratiāq́ in conspectu eius inuenire quærentes, fidē talis ac tanti uiri probatā habentes dilexerūt. Inter quos Hiriberthus gener Hugonis, quū ei aduersaret̃ Ruodolfus contra ius fasq́ omne rex cōstitutus, ut ei apud dn̄m suū præsidio esset supplicauit. Ipse enim rex talis erat, qui nihil negaret amicis. Perrexit igit̃ in Galliā rex, regē alloquit̃, & perfecto negotio reuersus est in Saxoniā. Quūq́ esset in exaltando gentē suā, rarus fuit aut nullus nominatorū uirorū in om̃i Saxonia, quē preclaro munere aut officio, uel aliq̄ questura nō ꝓmoueret. Et quū ingēti polleret prudētia sapiētiaq́, accessit & moles corporis regiæ dignitati, omnem addens decorē. In exercitijs quoq́ ludi tanta eminētia superabat oēs, ut terrorē cæteris ostentaret. In uenatione tam acerrimus erat, ut una uice quadraginta, aut eo amplius feras caperet: & licet in conuiuijs satis iocundus esset, tamen nihil regalis disciplinæ minuebat: tantum enim feruorem pariter & timorē militibus infundebat, ut etiam ludenti non crederēt ad aliquā lasciuiā se dissoluendos. Quū autē omnes in circuitu nationes subiecisset, Danos qui nauali latrocinio Fresones incursabant, cum exercitu adijt, uicitq́, & tributarios faciens, regem eorum nomine Nubam, baptismum percipere fecit. Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus, postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus, iter intermisit. Quum que se iam grauari morbo sensisset, conuocato omni populo,

Castra ad Mersburg & Riaede

Angelus uexillum

Henrici maiestas

Heribertus ꝑ auxilio ad Hēricum

al's. donaret

designauit filium suũ Oddonẽ regem, cæteris quoq; filijs prædia cum thesau ris distribuens: ipsum uero Oddonẽ qui maximus & optimus fuit, fratribus & omni Francorũ imperio præfecit. Testamẽto itaq; legitime facto, & rebus omnibus rite cõpositis, defunctus est ipse rerũ dñs, & regũ maximus Europæ, omni uirtute animi corporisq; nulli secundus, relinquens sibijpsi maiori filioq; magnũ latũq; imperiũ, non à patribus sibi relictũ, sed per semetipsum acquisitũ, & à solo deo concessum. Erant aũt dies quibus regnauit† xvi. Anni uitæ aũt ferè lx. Translatũ est aũt corpus eius à filijs suis in ciuitatem quæ dicitur Quidelingeburg, & sepultum in basilica sancti Petri ante altare cum planctu & lachrymis plurimarum gentium.

al's XVII.

Henrici mors VI. Non. Iulij Dcccccxxxvi.

EPISTOLA AD REGINAM.

INgens opus cœpturus, uel certe iteraturus: nam magna ex parte peractũ est: tua gratia fulciat, quæ domina esse dinosceris iure totius Europę: quãq; in Africã Asiamq; patris tui iam potestas protendat. Spero enim quicquid in eo inuenitur minus idoneum, gloriosa tuæ clementiæ lenitate subleuetur, permaneatq; ea deuotione dedicatum qua est inceptum.

VVITICHINDI MONACHI BENEDICTINI DE REBVS GESTIS SAXONVM AC OTTONIS, aliorumq; succedentium Imperatorum, liber secundus.



DEFVNCTO itaq; patre patriæ, & regum optimo maximo Henrico, omnis populus francorũ atq; Saxonum iam olim designatũ regẽ à patre filiũ eius Oddonẽ elegit sibi in principem. Vniuersalisq; electionis notantes locũ, iusserunt ad Aquasgrani palatij. Est autẽ locus ille proximus Iulo à conditore Iulio Cæsare cognominato. Quũq; illò uentũ esset, duces ac præfectorũ principes, cum cætera principũ militũ manu cõgregati, in sistorio basilicæ magni Caroli cohærenti collocarunt nouũ ducem, in solio ibidẽ constructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamq; suã cõtra oẽs inimicos spondentes, more suo fecerunt eum regẽ. Dum ea gerunt à ducibus ac cætero magistratu, põtifex maximus cum uniuerso sacerdotali ordine & omni plebe infra in basilicã præstolabatur processionem noui regis. Quo procedente, pontifex obuius læua sua dexterã tangit regis, suaq; dextera lituum gestans, linea indutus stola plantaq; infulatus, progressusq; in mediũ usque phani subsistit: & reuersus ad populũ qui circunstabat: nam erant de ambulatoria infra supráque in illa basilica in rotundum facta, quo ab omni populo cerni posset, En, inquit, adduco uobis à deo electum, & à domino rerum Henrico olim designatum, nunc uero à cunctis principibus regem factum Oddonem, si uobis ista electio placeat, dextris in cœlum leuatis, significate. Ad hæc omnis populus dextras in excelsum leuans, cum clamore ualido,

Oddo Rex

Iulus locus Aquisgrani

Hildeberthus Mogũt. archiepiscopus

ualido,imprecati sunt prospera nouo duci. Proinde procedit pontifex cũ re-ge,tunica stricta,more Francorũ induto pone altare: super quod insignia re-galia posita erant,gladius cum balteo,chlamys cũ armillis,baculus cũ sceptro ac diademate. Eo quippe tẽpore erat summus põtifex nomine Hildibertus, Franco genere, monachus professione,nutritus uel doctus in Vuldo mona-sterio,& ad id honoris merito progrediens,ut pater eiusdẽ loci constitueret, deinde summi pontificatus Mogonciacę sedis fastigiũ promeruisset.Hic erat uir miræ sanctitatis, & præter naturalẽ animi sapientiã, literarũ studijs satis clarus.Qui inter cætera gratiarũ dona spiritũ prophetiæ accepisse prædicat. Et quũ quęstio esset pontificũ in cõsecrando rege, Treuerẽsis uidelicet & Co loniæ Agrippinæ:illius,qa antiquior sedes esset,& tanq̃ à B.Petro apostolo fundata:istius uero,quia eius ad diœcesim pertineret locus: & ob id sibi con-uenire arbitrati sunt huius cõsecrationis honorẽ. Cessit tamen uterq; eorum Hildiberti cunctis notæ almitati. Ipse aũt accedens ad altare,& sumpto inde gladio,cum balteo,conuersus ad regẽ ait,Accipe,inquit,hunc gladiũ,quo eij-cias oẽs Christi aduersarios,barbaros,& malos Christianos,autoritate diui na tibi tradita,omni potestate totius imperij Francorũ,ad firmissimã pacẽ om niũ Christianorũ.Deinde sumptis armillis,ac chlamyde induit eũ.His corni bus humetenus dimissis, inquit, monearis quo zelo fidei ferueas, & in pace tuenda perducere usq; in finẽ debere. Exinde sumpto sceptro baculoq;. His signis,inquit,monitus,paterna castigatione subiectos corripias, primũq; dei ministris,uiduis ac pupillis manũ misericordię porrigas,nunquãq; de capite tuo oleũ miserationis deficiat,ut in præsenti & in futuro sempiterno præmio coroneris.Perfusus itaq; oleo sancto,& coronatus diademate aureo,ab ipsis põtificibus Hildiberto & Vuichfrido,ac omni legitima cõsecratione cõpleta, ab eisdẽ pontificibus ducit ad soliũ,ad quod per cocleas ascendebat, & erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columnas constructũ, unde ipse omnes uidere,& ab oĩbus ipse uideri posset. Diuina deinde laude dicta,sacri ficioq; solẽniter celebrato,descendebat rex ad palatiũ,& accedens ad mẽsam marmoreã regio apparatu ornatã,resedit cum pontificibus & omni populo: duces uero ministrabant. Lothariorũ dux Giselbertus, ad cuius potestatẽ lo cus ille pertinebat, oĩa procurabat: Euerhardus mensæ præerat:Herimãnus Frãco pincernis: Arnulfus equestri ordini,& eligẽdis locãdisq; castris perat. Sifridus uero Saxonũ optimus, & à rege secũdus,gener q̃ndã regis, tũc uero affinitate cõiunctus,eo tẽpore procurabat Saxoniã,ne q̃ hostiũ interim irrup-tio accidisset,nutriẽsq; iuniorẽ Henricũ secum tenuit.Rex aũt post hæc unũ-quẽq; principũ iuxta munificentiã regalẽ cõgruẽti sibi munere honorans, cũ omni hilaritate dimisit multitudinẽ.Interea barbari ad nouas res moliendas desæuiunt,percussitq; Bolizlaf fratrem suum uirum Christianũ, & ut ferunt, dei cultura religiosissimũ, timensq; sibi uicinũ subregulũ,eo quod paruisset imperijs

Fulda

Hildiberti laus

Formidungen di regem Ro. Aquis,& insi gniorum ex-plicatio

Regis fami liares

imperijs Saxonũ,indixit ei bellũ. Qui misit in Saxoniã ad expostulãda sibi auxilia. Mittit autẽ ei Æsic cum legione Mersaburiorũ, & ualida manu Hassiganorũ,additurq́ꝫ ei exercitus Thuringorũ. Erat nanqꝫ illa legio collecta ex latronibus. Rex quippe Henricus quũ esset satis seuerus extraneis,in omnibus causis erat clemens ciuibus: unde quemcũqꝫ uidebat furẽ aut latronẽ manu fortẽ,& bellis aptum,à debita pœna ei parcebat, collocans in suburbano Mersaburiorũ,datis agris atqꝫ armis:iussit ciuibusquidẽ parcere,in barbaros autẽ inquantũ auderent,latrocinia exercerent. Huiuscemodi ergo hominum collecta multitudo,plenã in expeditionẽ produxit legionẽ. Bolizlaf autẽ audiens de exercitu Saxonico: & quia Saxones seorsum, & seorsum Thuringi irent contra se:diuisis & ipse socijs sicuti erant, acerrimus consilio utriqꝫ exercitui occurrere disposuit. At Thuringi ut hostes improuise sibi occursitare uiderunt,fuga periculũ deuitauerũt. Æsic autẽ cum Saxonibus & cæteris auxiliarijs nihil cunctatus,in hostes ruit,maximãq́ꝫ partẽ ex eis armis fudit,cæteros fugere cõpulit,uictorq́ꝫ ad castra reuersus est. Et quũ ignorasset de exercitu qui insequutus fuerat Thuringos, minus caute usus est uictoria perpetrata. Bolizlaf aũt uidens exercitũ nostrum dispersum, & alios in extrahẽdis spolijs cæsorũ,alios in suis corporibus reficiendis, alios in paleis equorũ congregandis occupatos fugatũ reuersumq́ꝫ coadunans exercitũ,super inprouisos ac recẽti uictoria securos subito irruit, & ducẽ cum omni nostro exercitu deleuit. Pergensq́ꝫ inde ad urbẽ Subreguli,primo eam impetu cepit, & usqꝫ in hodiernũ diẽ solitudinẽ fecit. Perdurauitq́ꝫ illud bellũ usqꝫ ad quartumdecimũ regis imperij annũ,ex eo regi fidelis seruus & utilis permansit. Rex aũt audito huiuscemodi nũcio, minime turbať, sed diuina uirtute corroboratus, cum omni exercitu intrat terminos barbarorũ, ad refrenandã illorũ sæuitiã. Datũ quippe erat illis & antea à patre suo bellũ, eo quod uiolassent legatos Thancmari filij sui,de quo in sequentibus plenius dicturos arbitramur. Placuit igiť nouo regi nouũ principẽ militiæ constituere. Elegitq́ꝫ ad hoc officiũ uirum nobilẽ & industriũ,satisq́ꝫ prudentẽ,nomine Herimannũ. Quo honore nõ solũ cæterorũ principũ,sed & fratris sui Vuichmanni offendit inuidiã. Quapropter & simulata infirmitate,amouit se ab exercitu. Erat nanqꝫ Vuichmannus uir potens, & fortis,magnanimus,belli gnarus,& tãtæ scientiæ,ut à subiectis supra hominẽ plura nosse prędicareť. Herimãnus aũt quum esset in prima acie,in introitu regionis in hostiũ pugnã incidit,eosq́ꝫ fortiter uicit: & ob hoc maiori inuidia inimicos accendit, inter q̃s Ekkehardus filius Liudulfi,q intantũ ægre passus est fortunã Herimanni,ut sese ꝓmitteret maiora facturũ,aut uiuere nolle. Vnde collectis ex om̃i exercitu fortissimis uiris,iter dictũ regis rupit,& paludẽ quę erat inter urbẽ hostiũ & castra regis,cũ socijs transijt,statimq́ꝫ hostes offendit,& ab his circũfusus, cũ omnibus suis perijt. Erant aũt qui cum eo occiderãt,electorũ ex omni exercitu uirorum decem & octo.

Aesic dux belli in Bohemiã

Legio latronũ

Saxonũ ingens clades

Herimannus

Vuichmanni laus

octo. Rex autē cæsa hostiū multitudine, & cæteris tributarijs factis, reuersus est in Saxoniā. Acta sunt autē hæc vij. Kalen. Octob. Post hæc antiqui hostes Vngari uenere uirtutē probare noui regis. Intrantes aūt Franciā, statuerūt si possent, ab occidentali plaga inuadere Saxoniā. Rex aūt audiēs, nihil moratus, cū exercitu ualido occurrit illis, fugauitq; & à terminis suis abegit. Cessantibus aūt bellis externis, ciuilia oriri cœperūt. Nā Saxones imperio regis facti gloriosi, dedignabant alijs seruire nationibus, quęsturasq; quas habuere ullius alius nisi solius regis gratia habere cōtēpserūt. Vnde iratus Euerhardus contra Bruningū, collecta manu succendio tradidit ciuitatē illius uocabulo Elueri, interfectis omnibus eiusdem ciuitatis habitatoribus. Qua præsumptione rex audita, condemnauit Euerhardū centū talentis æstimatione equorū, omnesq; principes militū qui eum ad hoc facinus adiuuabant, dedecore canū, quos portabāt usq; ad urbē regiā quā uocitamus Magadaburg. Eodē tempore transtulit rex reliquias Innocentij martyris in candē urbem. Ipse autē rex ut erat clementissimus, dū turbatores pacis merita castigatione afflixit, ilico cum pietate suscepit, & unumquēq; eorū regio munere honorās, dimisit in pace. At illi nihilominus duci suo hærebant ad omne nephas: quia ille quidē erat iocundus animo, affabilis, mediocris in rebus, largus in dādo. Et his rebus multos Saxonū sibi associauit. Ea tempestate defunctus est Arnulfus Baioariorū dux, & filij eius in superbiā elati, regis iussu contēpserūt ire in comitatū. Illo quoq; tempore defunctus est Sisfridus comes, cuius ditionē quū sibi uindicasset Thancmarus, eo quod ꝓpinquus ei esset: nā mater eius filia materteræ erat Sisfridi, de qua genuit rex Henricus Thancmarū: & regali dono cessisset Geroni comiti, afflictus est Thancmarus tristicia magna. Rex aūt transiuit in Baioariā, & rebus ibi rite cōpositis, reuersus est in Saxoniā. Dissensio aūt quæ facta est inter Euerhardū & Bruningū, ad hoc peruenit, ut cædes publicæ fierēt, depopulationesq; agrorū agerent, & ab incēdijs nusq; abstinerent. De legum quoq; uarietate facta est & contentio, fuereq; qui dicerēt quia filij filiorū nō deberent cōputari inter filios, hæreditatēq; legitime cum filijs sortiri, si forte patres eorū obissent auis superstitibus. Vnde exijt edictū à rege, ut uniuersalis populi conuētio fieret apud uillā quæ dicit Stela, factumq; est ut causa inter arbitros iudicaret debere examinari. Rex aūt meliori consilio usus, noluit uiros nobiles ac senes populi inhoneste tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni iussit. Vicit igit pars qui filios filiorū cōputabant inter filios: & firmatū est ut æqualiter cū patruis hæredi tatem diuiderēt pacto sempiterno. Ibi quoq; pacis turbatores facti sunt manifesti, qui hactenus se negabāt contra regiā potestatē aliquid fecisse, sed iniuriā tantūmodo in socios uindicassent. Rex aūt se contemptū ab eis animaduertēs: neq; enim ad placitū iuxta iussū uenire dignati sunt: arma distulit, ueniæ locū dedit, proxima sibi semꝑ solitus clemētia. Sed hęc dilatio ad maiorē perniciem

Intestina Saxonum bella

Nepotū hæreditariū ius

perniciem multos pertraxit. Fiebant prẹterea multa nepharia à seditiosis, homicidia, periuria, depopulationes, incendia: æquũ prauũq́, sanctũ periuriũq́ illis diebus parum procedebant. Iunctus est autem & Thancmarus Euerhardo, collectaq́ ualida manu, oppugnat præsidium quod dicit̃ Badilici, in quo erat Henricus iunior, dataq́ præda urbis suis cõmilitonibus abijt, secũ abducens Henricum quasi uile quoddã mancipium. Interfectus est autem ibi Geuehardus Vdunis filius fratris Herimanni ducis: ob cuius necem deo omnia ordinãte, duces Francorũ inter se sunt diuisi. Tãtis igit̃ spolijs Thancmari milites ditati, iam ad om̃ia parabant̃. Post hæc cepit urbẽ quæ dicitur Heresburg, & collecta ualida multitudine, sedet in ea, multa inde exercens latrocinia. Euerhardus aũt secum tenuit Henricũ. Eo quoq́ tempore occisus est Dendi ante portas urbis quæ dicitur Larun, in qua erant milites Euerhardi. Vuichmannus aũt, qui se primũ alienauit à rege, audiẽs tantũ facinus seditiosorũ, conuersus pacẽ fecit cũ rege, quia prudentissimus erat, & utilis ac fidelis in finẽ permansit. Thancmarus autẽ filius Henrici regis natus erat ex matre nobili, manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus: sed inter arma honesta minus pudicitia usus. Erat aũt mater eius multã habens possessionẽ, qui licet à patre alijs pluribus sit ditatus, materna tamen se hæreditate priuatum ægre ualde tulit: & ob hanc causam arma sumpsit, ad perniciẽ sui suorumq́ contra dominũ suũ regem. Rex autẽ licet inuitus, uidens rem ad tam ingens periculũ procedere, ad edomandã Thancmari insolentiã, cum multo comitatu perrexit ad Heresburg. Ciues aũt urbis illius cognoscentes de rege, quia super se cũ ualida manu appropinquasset, apertis portis introduxerunt exercitũ qui obsederat urbẽ. Thancmarus autem fugit in ecclesiã, à Leone papa beato Petro apostolo dedicatam. Exercitus aũt persequutus est eum usq́ in templũ, & maxime satellites Henrici, dolentes ac uindicare contendẽtes iniuriam domini sui. Nec ueriti ianuas ferro incidere, cũ armis ingressi sunt sacrã ædem. Thancmarus aũt stabat iuxta altare, depositis desuper armis cum torque aurea. Quũq́ ex aduerso telis urgeret̃, Thiatboldus quidã notus Cobbonis cum conuicijs uulnus ei inflixit, ilicoq́ ab eo recepit quo uita cum terribili insania in breui caruisset. Quidã autẽ militũ Maincia uocabulo per fenestrã altari contiguã lancea à tergo perfossum, ibi secus arã extinxit Thancmarum. Ipse autẽ fraternæ fautor discordię, in Biertanico postea bello uitam cum auro ab altari nequiter rapto miserabiliter perdidit. Earũ rerũ rex ignarus, & absens quũ audisset, super temeritate militum indignatus est: sed ferente adhuc bello ciuili nõ potuit eos contristari. Miseratus autẽ fratris fortunam, suiq́ ingenij ostendens clementiã, pro laude eius ac industria pauca loquutus, Thiadericũ & tres amitæ illius filios, qui Thancmaro manus uinxerant, lege Francorũ damnatos strangula fecit deficere. Inde uertit militem auidũ pugnæ, & præda urbis ditatũ in lares, Illi autẽ urbis præfecto autore,

acriter resistentes, lapides lapidibus, tela telis obijcere nō cessabant. Aggrauatiq; bello super consulto ducis inducias deposcunt. Quibus concessit: ducis eis præsidium non negatur. Vnde urbe egressi potestati se regiæ tradidere. Ea pugna Dammo pincerna, multis alijs rebus bene gestis olim famosus, factus est clarus. Euerhardus autē audiens de nece Thancmari, & defectione suorū militum, fractus animo prosternitur captiuo suo, ueniam petit, ac nequiter promeretur. Henricus aūt erat eo tempore nimis adolescens animo, & nimia regnandi cupiditate illectus: eo pacto crimine soluit eum, quo coniuratione secum facta, contra regem dominū suum & fratrem, sibi regni diadema si possibile foret imponeret. Fœdus itaq; inuicem percussum. Inde liberaliter Henricus ad regem reuersus puriori fide ac caritate ab eo est susceptus quàm ingressus. Suasione quoq; optimi imprimis uiri, & omni religione probatissimi Frithurici successoris Hildiberti archiepiscopi, Euerhardus adijt regem, supplex deposcit, se suaq; omnia ipsius arbitrio tradens. Ne igit' ingēs scelus inemendatū maneret, quasi in exiliū in Hildenensem urbē à rege dirigitur. Sed nō post multum temporis in gratiā clementer recipitur, & honori pristino redditur. Dum ea interea loci geruntur, antiqui hostes nostri Vngari subitò irruunt in Saxones, & castris super littus Badæ fluminis collocatis, inde in omnem regionē diffundūtur. Dux aūt missus à castris cum parte exercitus, eo die ad uesperam signa mouit circa urbem quæ dicitur Stedireburg. Vrbani autē uidentes hostes, & ex itinere & ex pluuia quæ ingēs erat, seniores audacter erumpunt portas, & clamore primū territantes: demū repente in aduersarios irruentes, plurimis ex eis cæsis, & copiosa equorū multitudine cum aliquibus signis capta, cæteros fugere compulere. Vrbes quas obuias habuere, illorum fugā animaduertentes, armis eos omnibus locis urgebant, & maxima ex eis parte prostrata, ducem ipsum in quendam luti puteū cogentes oppresserūt. Alteræ autem partis exercitus ad Aquilonem uersus, & arte cuiusdam Slaui in locum qui dicitur Thrimining deductus, difficultate locorum ac manu circumfusus armatorū perijt, timoremq; nimium cęteris incussit. Dux aūt illius exercitus cum paucis elapsus comprehēditur, & ad regem deductus precio magno redimitur. His auditis castra hostiū omnia turbata, fuga salutem quæsiere, nec ultra per triginta annos in Saxonia apparuere. Post hęc Henricus ardens cupiditate regnandi, celebre parat conuiuiū in loco qui dicitur Salaueldum. Quumq; esset magnus ac potens maiestate & potestate regali, plurimis plurima donat, & factionis huiuscemodi plurimos ob id sibi associat. Fuere tamen multi qui rem cælare potius arbitrati sunt, ad hoc tantum, ne regi fraternæ discordiæ inuenirentur. Dabant tamen consilium quo facilius bellum solueretur, ut uidelicet ipse relinqueret Saxoniam sub præsidio militari, ut sese inferret Lotharius generi hominum imbelli: & ita factū est, ut primo impetu eos rex deuinceret, & uno certamine

Euerhardus Henrico supplex

Friderichus malo in Otonē animo

fatigaret. Commilitonum itaque consultu Saxoniæ uel in Thuringorum terra præsidio militari tradito, ipse cum amicis Lotharios adit. Cuius rei fama undique omnes perculsi, quia tam subitaneæ recessionis à rege, ac repentini belli causam penitus ignorabant. Rex autem audita huiuscemodi fama, primum non credidit: postremo certum de belli negocio probans, nihil moratus, cum exercitu prosequutus est fratrem. Et ut appropiat urbi præsidijs fratris munitæ, quæ dicitur Throtmanni, milites qui erant in ea non immemores fortunæ Thancmari, nequaquam sunt ausi inibi regem expectare: sed egressi urbe, tradiderunt se ipsos regi. Erat autē Agina, qui illam urbem ad manum Henrici procurare deberet. Hic à rege uehementi iuramento constrictus, quatenus si posset, dominum suum à bello ad pacem & concordiam reuocaret, uel certe ipse ad regem reuerteretur. Ita dimissus adijt dominum suum. Ductus autem exercitus à rege, peruenit usque ad littora Rheni fluminis. Eo tempore quo erat bellum Euerhardi cum rege, missus Hadaldus, qui erat super cubiculum regis, ad Giselberthū pro concordia & pace: quum nec dum ad neutram partem palàm declinaret, indigne suscipitur, & responsio de die in diem differtur. Ipse autem simultates ducis sentiens, nec ultra talibus uersutijs contentus, Imperium tibi, inquit, regale facio, præsente populo, tribunali regis condicto die præsentari, aut certe hostem te scias iudicari. Simili modo & pontificem Bernhardum à rege missum inhonoratum, & responsi incertum à se dimisit. Fertur etiam & regalium literarum sæpius sigilla corrupisse. Post hæc uero uerba legatum melius cœpit habere, & cum honore transduci fecit. Igit᷑ copias belli parantes Henricus & Giselberthus, decreuerunt ad Rhenum occurrere regi. Agina quoque memor iurisiurandi, præcedens exercitum, transito Rheno regi sese præsentauit. Et salutato eo uerbis humillimis, ait, Frater tuus dominus meus saluum te & incolumem magno latoꝗ; imperio diu regnare exoptat, tuumꝗ; ad seruitium demandat se quantocyus festinare. Rege autē interrogante de eo, pacem bellum'ne cogitasset, prospiciens, uidit multitudinem nimiam, erectis signis tractim procedere, & ad sui partem exercitus qui iam Rhenum transierat tendentē. Et conuersus ad Aginam, Quid nam uult, inquit, illa multitudo, aut quæ est? At ille satis ociose, Dominus meus, inquit, est frater tuus. Si meæ suasioni dignaretur animū inclinare, aliter uenisset. Modo ut ipse iuraui ueni. Rex autē his auditis, dolorem animi motu corporis non cælabat, eo quod non adessent naues, per quas Rhenum transcendere posset, & ingens flumen aliud iter non præbebat, nec tempus subitanei certaminis in ulteriori ripa constitutos aliud sinebat cogitare, nisi aut coram hostibus cadere deberet, aut certe armis uitam defenderet. Vnde ad deum supplices expandens manus, rex ait, Dominus, inquit, omnium rerum autor & rector, respice populum tuum, cui me præesse uoluisti, ut ereptus ab inimicis, sciant omnes gentes ullum

Tretmont, quæ nunc Tremonia

Giselbertus Lotharingiæ dux, regis sororius

Bernardus episcopus

Ottonis ad deum oratio

ullum mortalium tuæ dispositioni contraire non posse, qui omnia potes, & uiuis & regnas in æternum. Qui autem erant in ulteriori ripa, sarcinas & impedimenta quæque transmittunt in locum qui dicitur Sanctum. Ipsi uero parati hostes expectant. Quumque esset piscina inter nostrates & hostes, Saxones diuisis socijs, pars una ex aduerso ruit in hostes, altera pars à tergo insequit, in medijs hostes opprimens, pauci plures uehementer urgebant. Neque enim nostratium supra centum armatos fuisse perhibetur, aduersariorũ uero magnus satis exercitus. Sed quum à fronte pariter & à tergo urgerentur, qua parte potissimum cauere debuissent, in promptu non erat. Ex nostris etiam fuere, qui Gallica lingua ex parte loqui sciebant, qui clamore in altũ Gallice leuato, exhortati sunt aduersarios ad fugã. Illi socios huiuscemodi clamasse arbitrati, fugam ut clamatum est inierunt. Eo die ex nostris multi uulnerati, aliqui etiam cæsi, inter quos Albertus qui cognominatus est Candidus, telo ducis Henrici uulneratus, non multis interiacentibus diebus defunctus est. Hostes autẽ omnes aut cæsi, uel capti, uel certe fugati, sarcinæ omnes, & omnis hostium supellex inter uictores diuisa. Ex parte Lothariorum bene pugnasse prædicabatur illo certamine Godofridus Niger cognominatus. Sed & Maincia, cuius supra mentionẽ fecimus, eo die cecidit. Dadi autem Thuring mandauit ad præfectos urbium qui erant in oriente partis ducis Henrici, de uictoria regis, & quia ipse dux in bello cecidisset: egitque callide, ut omnes se traderent regiæ potestati. Henricus autem hoc factum, nequaquam reliquit inultum. Ipsi autem duæ tantummodo ex omnibus remanserant urbes, Mersburg & †Scithingi. Regiam autem post uictoriam iussum est persequi fratrem suum generumque. Audiens uero de defectione urbium suatũ, fractusque recenti regis uictoria, cum nouis tantũ armatis iter arripuit, Saxoniamque iam tardius adiens urbem Mersburg ingressus est. Quo rex comperto, & ipse reuersus est Saxoniam, urbemque in qua frater erat, cum exercitu obsedit. Sed quum non posset fortiori ac maiori resistere, post duos fermè menses tradita urbe egressus est Henricus ad regem. Datæ sunt autem ei induciæ triginta dierum, quatenus cum militibus sibi cohærentibus secederet à Saxonia: Si cui uero illorum regem adire placuisset, locum ueniæ haberet. Quieuitque Saxonia post hæc ab intestinis bellis paucis diebus. Barbari autem labore nostro elati, nusquam ab incendio, cæde, ac depopulatione uacabant: Geronemque quem sibi rex præfecerat, cum dolo perimere cogitant. Ipse dolum dolo præoccupans, conuiuio claro delibutos ac uino sepultos, ad triginta ferè principum barbarorum una nocte extinxit. Sed quum non sufficeret contra omnes nationes barbarorum: eo quippe tempore Abotriti rebellauerant, & cæso exercitu nostro, ducem ipsum nomine Haicam extinxerunt: ab ipso rege sæpius ductus exercitus, eos læsit & in multis afflixit, & in ultimam penè calamitatem perduxit. Illi uero nihilominus bellum quàm

Sanctum

Alberti Candidi interitus

Godofridi Nigri laus

al's. Schidingẽ forte, sororiũ

Gero

Haico

pacem elegerunt, omnem miseriam caræ libertati postponentes. Est nanque huiuscemodi genus hominum durum, & laboris patiens, uictu leuissimo assuetum, & quod nostris graui oneri esse solet, Sclaui pro quadam uoluptate ducunt. Transeunt sanè dies plurimi, his pro gloria & pro magno latóque imperio, illis pro libertate ac ultima seruitute uarie certantibus. Multos quippe illis diebus Saxones patiebantur hostes, Sclauos ab oriente, Francos à meridie, Lotharios ab occidente, ab Aquilone Danos, item'que Sclauos: propterea que barbari longum trahebant certamen. Fuit quidam autem Sclauus à rege Henrico relictus, qui iure gentis paterna successione dominus esset eorum, qui dicuntur Heueldi, dictus Tugumir. Hic pecunia multa captus, & maiori promissione persuasus, professus est se prodere regionem. Vnde quasi occulte elapsus, uenit in urbem quæ dicitur Brandenburg, à populóque agnitus, & ut dominus susceptus, in breui quæ promisit impleuit. Nam nepotem suum, qui ex omnibus principibus gentis supererat, ad se inuitans, dolo captum interfecit, urbem'que cum regione ditioni regiæ tradidit. Quo facto omnes barbaræ nationes usque in Odoram fluuium simili modo tributis regalibus se subiugarunt. Henricus igitur discedens à Saxonia, Lotharios iterum adijt, & cum[†] genero suo, duce scilicet Isilbertho, cum suis militibus aliquandiu moratus est. Iterum ducitur exercitus à rege contra Isilberthum, & omnis regio Lothariorum illius imperio subiacens igni traditur. Obsessus'que in urbe quæ dicitur Kieuermont, elapsus inde proficiscitur. Et quum obsidio difficultate locorum parum procederet, uastata undique regione, rex in Saxoniam reuertitur. Sciens autem comitem Giselberthum uersutum & callidum nimis, nomine Immonem, artibus illius melius arbitratus est pugnare quàm armis. Ille uero ut erat astutissimus, meliori ac maiori se subdens, arma sumit contra ducem: quod ipse dux omnium laborum grauissime tulit, quia eum sibi aduersum sustinere debuisset, cuius consilio ac fidei hactenus se maxime credebat. Augebat quoq; indignationem duci grex porcorum, ab Immone callide captus. Nam subulci ducis quum cõtra porcos urbis transirent, Immo porcellum pro porta agitari fecit, & omnem gregem porcorum apertis portis intra urbem recepit. Quam iniuriam dux ferre non ualens, coacto exercitu, obsedit Immonem. Ille autem plurima apum examina habuisse fertur, quæ frangens proiecit contra equites. Apes autem aculeis equos stimulantes in insaniam uertebant, ita ut equites periclitari cœpissent. Quo uiso Immo, prospiciens de muro, eruptionem cum socijs minitatus est. Huiuscemodi igitur artibus sæpius dux ab Immone delusus, soluit obsidionem. Discedens uero, fertur dixisse, Immone mecum sentiente, omnes Lotharios facile captos tenui; modo ipsum solum cum omnibus Lotharijs capere nequeo. Tractum tamdiu bellum Euerhardus considerans, ultra non quiescit. Quin contempto rege,

Sclauorum mores

Tugumir perfidia

Odora flu.

† forte, sororio

Kiuermont, id est, mons capræ

Immonis calliditas

rege, & iure spreto iuramentorum, ut initio, conserta manu, cum Iselbertho ad incentiua bellorum pariter conspirant. Nec contenti regno occidentali solummodo, in Rheni orientalem agrum depopulandum cum exercitu demerguntur. Hęc quum audiuntur in castris regis: nam ea potestate rex erat pugnans contra Briseg. & alias urbes, quæ erant Euerhardi ditionis: multi se castris eruebãt, nec ultra spes erat regnandi Saxones. Rex uero in ea turbatione tanta constantia ac imperio usus est, licet coram milite constiparetur, ac si nihil ei difficultatis obuiasset. Nam summi pontifices relictis tentorijs, & alia qualibet supellectili, ipsi etiam defecerunt à fide. Defectionis causam edicere, & regalia mysteria pandere super nos est. Verum historiæ satisfaciendum, arbitramur quicquid in hac parte peccemus, ueniabile sit. Summus pontifex missus ad Euerhardum, pro concordia & pace, quum esset earum rerum desideratissimus, pacto mutuo suum interposuit iuramentum, & ideo ab eo non posse deficere fertur narrasse. Rex autem per pontificem officio suo congruentia dirigens responsa, nil ad se pertinere uoluit quicquid episcopus egisset, sine suo imperio. Quare, quia contra autoritatem regi quasi præcellenti noluit subijci, sed recessit ab eo in Hommaburgnensem urbem, quasi in exilium destinauit, Ruodhardũ episcopum uero nouam Corbeiã direxit. In breui uero utrisq; clementer ignoscit, in sui gratiam suscepit, & honori pristino reddidit. Ad coërcendã igitur ducum præsumptionẽ, missus Herimannus cum exercitu, inuenit eos super littus Rheni, magnamq; partem exercitus abesse, eo quod iam Rhenum cum præda transissent. Circumfusus itaque dux ipse Euerhardus militum armis, multis uulneribus acceptis, ac uiriliter redditis, perfossus tandem telis corruit. Giselbertus autem fugiens, nauem cum pluribus ascendit, quæ onere prægrauata, succumbens mergitur: ipséque dux cum cæteris mersus, nunquam est inuentus. Rex autem audita uictoria suorum militum, ac morte ducum, gratias egit omnipotenti deo, cuius sæpius auxilium expertus est opportunũ. Præficiensq; regioni Lothariorũ Oddonem, Ricuinis filium: & ut nutriret nepotẽ suum, filium Giselberti optimæ spei puerulum nomine Henricum, reuersus est in Saxoniam. Mater autem pueri copulata est coniugio Luthouuico regi, & Henricus frater regis discedens à Lotharijs, secessit in regionem Caroli. Necem ducum asperrima hyems, hyememq; sequuta est fames ualidissima. Post hæc Immo uera nescio an falso arma sumit contra regem, & media hyeme circundatus exercitu, se pariter cum urbe tradidit, ac deinceps fidelis & utilis permansit. Nepotes quoque Giselberthi, seruituti regiæ se subijciebãt, urbibus quas tenebant nihilominus retentis, Kieuermont etiam ab Anfredo & Arnoldo adhuc tenebatur, ad quos Immo mandatum huiuscemodi dirigens ait, De me non sentio

Brisacum

Ruodhardus episcopus Argentinensis

Ducis Sueuorum castra ad Aldernacum

Immo

nisi quod uos sentitis: de uobis autem notum est, quia huius gentis prin-cipes estis. Nulli ergo dubium, quin duabus manibus quisque magis ua-leat quàm una. Certum est itaque tres unum fortitudine præcedere. Et nunc quæ necessitas cogit, ut seruiamus Saxonibus, nisi nostra discordia? Quando uos armis circundederunt, num uictoria lætati sunt? Victoribus certe turpe est seruire. Optimum omniũ mortalium qui me à puero nutri-uit,& inter amicos semper habuit,& magna potestate clarificauit, nostrum communem dominum deserui, & Saxoniæ periculo capitis mei sociaui, modò, ut scitis, pro merito honore contumelia ab eo affectus, armis cir-cundatus, penè ex libero seruus factus sum. Vt ergo noueritis me ex fide communi utilitati uelle cõsulere,tibi Ansfrid unicam filiam meam despon sabo, quo nullo apud uos infidelitatis scrupulo notari queam. Date igitur locum mutui colloquij, & ex meipso fidem probabitis, quam per nuncium necdum potestis. Ipsi ad hæc, quamuis ferrei pectoris essent, & illum iam olim suspectum haberent, tantæ tamen calliditati cedentes, suasibilibus emolliti uerbis, mutuo dabant locum conspectui. At ille armatos habens locis opportunis absconditos, dolo ambos cepit, & sub custodia regi de-stinauit,mandato in hæc uerba pariter directo. Elatior,inquit,est mollior, uinculis aut uerberibus non indiget, minis pandit uniuersa quæ scit. Ans-frid uero durior ferro est, hunc si tormenta acerrima rimentur, magnum est. Quos quum rex suscepisset, aliquanto tempore custodiæ mancipa-tione castigauit. Postea suæ gratiæ lenitate sibi associans, in pace dimisit.

Immonis callida insinuatio

Excusatio ordinis rerũ permixti

Quum ergo causæ causis, ac rebus res ita copulatæ sint, ut sententiarum ordine discerni adeo non debeant, nemo me temporum uicissitudine ac-cuset, dum posteriora anterioribus præposuerim gesta. Rex igitur uicina semper sibi clementia graues fratris miseratus labores, aliquantis urbibus suis usibus concessis permissus est in terra regionem Lothariorum habi-tare. Eo tempore bellum barbarorum feruebat. Et quum milites ad ma-num Geronis præsidis conscripti crebra expeditione attenuarentur, & do-natiuis uel tributarijs pręmijs minus adiuuari possent,eo quod tributa pas sim negarentur,seditioso odio in Geronem exacuuntur. Rex uero ad com-munes utilitates reipublicæ Geroni semper iuxtà erat. Vnde factum est, ut nimis exacerbati,odia sua in ipsum quoque regem uertissent. Quæ cau-sa Henricum minime latuit: & ut solet, amaris animis dum dulce aliquid offertur, persuadebat facile huiuscemodi homines sibi concordare, spem habens iterum regnandi, dum nosset exercitum regi offensum. Denique multis intercurrentibus legatis, & munusculis inuicem missis, omnes penè orientalium partium milites sibi colligauit. Quæ res ad tantum nephas processit,

Henrici uafricies

processit, ut coniuratione ualida facta, in paschali festiuitate quę erat proxima, quum ipse Henricus ad palatium adijsset, regem occidere cogitassent: ipsi uero regni diadema imponerent. Earum rerum dum non esset publicus proditor, semper se protegente summa diuinitate, notæ factæ sunt regi insidiæ modicum ante pascha. Qui fidelium militum uallatus manu die ac nocte, nihil que decoris uel maiestatis regiæ coram populo ea solennitate minuens, nimium hostibus intulit timorem. Post diem uero solennem consilio maxime Francorum, qui eo tempore maxime sibi astabant, Herimanni scilicet, Vdonis, atque Chuonradi, qui dictus est Rufus, secrete proditos iubet comprehendi, uel certe occidi. Inter quos erat primus, in cæteris omnium bonarum uirtutum rebus absq; hac noxa fortissimus optimusq; Erik. Hic quum armatos ad se properasse intellexisset, conscius causarum, equum ascendit, arma sumit, circumfususq; hostium turmis, memor pristinæ uirtutis ac nobilitatis elegit mori, quàm inimicorum dominationi subijci. Nam lancea perfossus occubuit, uir omni uirtute ac industria ciuibus carus atq; clarus. Cæteri autem insidiarum conscij, in alteram hebdomadam differuntur, & secundum leges sceleribus suis meritas pœnas soluentes, capite cæduntur. Henricus autem fugiens regno cessit. Eo anno, & portenta quædam apparuere, scilicet cometæ. Nam à quintadecima kalendas Nouembres, usque in ipsas kalendas uisæ sunt. Quibus uisis, multi mortales territi, aut nimiam pestilentiam, uel certe regni mutationem metuebant. Quomodo quidem ante regis Henrici excessum, multa prodigia monstrata sunt, ita ut solis splendor forinsecus aëre absque nubilo penè nullus appareret, intrinsecus autem per fenestras domorum rubeus, tanquam sanguis infunderetur. Mons quoque ubi ipse rerum dominus sepultus est, fama prodidit, quia multis in locis flammas euomeret. Hominis etiam cuiusdam manus sinistra ferro amputata, post annum ferè integrum restituta est ei dormienti, qui pro signo miraculi sanguinea linea loco coniunctionis notabatur. Sed cometas inundatio nimia, inundationem que boum pestilentia subsequuta est. Defuncto autem † Vdone Lothariorum pręside, ac regis nepote Henrico, ducatus regionis conceditur Chuonrado, cui & unicam filiam suam rex desponsauit, qui erat adolescens acer & fortis, domi militiæq; optimus, commilitonibus suis carus. Illis diebus Bertholdus frater Arnulfi procurabat Baioariam, pugnansq; contra Vngaros, uictorq; existens, triumpho celebri factus est clarus. Rex autem de die in diem proficiens, paterno regno nequaquam est contentus, sed abijt Burgundiam, regem cum regno in suam accepit potestatem. Hugonem alterum armis edomuit, ac sibi subiectum fecit. Cuius fibulam auream regni dono

Erik

Prodigia ante Henrici mortem

for. Oddone

Aurea fibula Corbeiæ

concessam, gemmarum uarietate mirabilem uidemus in altari protomartyris Stephani rutilantem. Igitur quum omnia regna coram eo silerent, & potestati ipsius omnes hostes cederent, monitu & intercessione sanctæ matris eius, recordatus est multis laboribus fatigati fratris, præfecitque eum regno Baioariorum. Bertholdo iam defuncto, pacem & concordiam cum eo faciens, qua usque in finem fideliter permansit. Erat autem ipse dominus Henricus copulatus matrimonio filiæ ducis Arnulfi, fœminæ egregiæ formæ, mirabilisque prudentiæ. Fratrum uero pax atque concordia deo acceptabilis, hominibusq; amabilis, toto orbe fit iam celebris, dum unanimes respublicas augent, hostes debellant: ciuibus paterna potestate præsumit. Ducatu igitur Baioariorum accepto, nequaquam desidia torpuit: sed abiens, Aquilegiam cepit, Vngaros duabus uicibus armis superauit, Ticinum transnatauit, & præda magna intra regionem hostium capta, exercitum incolumem in patriam reduxit. Talium igitur & tantorum mores, habitum formamq;, quos summa clementia mundo ad delicias, omnémque decorem destinauit, nostrum non est omnimodis exponere. Verum deuotionem quam erga eos habemus, penitus cælare nequimus. Ipse denique dominus rerum fratrum natu maximus, optimus in primis, pietate erat clarus, opere omnium mortalium constantissimus: præter regiæ disciplinæ terrorem semper iocundus, dandi largus, dormiendi parcus, & inter dormiendum semper aliquid loquens, quo eum semper uigilare æstimes: amicis nihil negans, & supra hominem fidelis. Nam quosdam audiuimus accusatos, & peccati manifestos, ipsum eorum aduocatum & intercessorem, & criminis nullo modo credulum ab eo posthabitos, tanquam nihil unquam in eum peccassent. Ingenium ei admodum mirandum: nam post mortem Edidis reginæ, quum antea nescierit literas, intantum didicit, ut pleniter libros legere & intelligere nouerit. Præterea Romana lingua Sclauonicáque loqui sciebat: sed rarum est quod earum uti dignaretur. In uenationibus creber: tabularum ludos amat, equitatus gratiam regia grauitate interdum exercens. Accessit ad hæc & moles corporis, omnem regiam ostendens dignitatem, capite cano, sparsus capillo, oculi rutilantes, & in modum fulguris cita repercussione splendorem quendam emittentes: facies rubicunda, & prolixior barba: & hæc contra morem antiquum: pectus leoninum, quibusdam sparsum iubis: uenter commodus: incessus quondam citus, modo grauior: habitus patrius, ut qui nunquam sit peregrino usus. Quotiescunque autem sit opus corona portanda, ieiunium semper præcedere pro uero traditur. Henricus uero morum grauitate pollebat, & ob id ab ignotis minus clemens iocundusq; prædicabatur, cõstanti admodũ animo: fidelis & ipse amicis, ita ut mediocris substantiæ militem coniugis

Henrici fortia facta

Ottonis mores

Ottonis imago

Henrici mores

coniugis suæ sororis matrimonio honoraret, socium sibi amicumq; faceret. Erat corpore præstanti, & qui in adolescentia omnem hominem egregia forma ad se inclinaret. Iunior uero fratrũ dominus Bruno, magnus erat ingenio, magnus scientia, & omni uirtute ac industria. Quem quum rex præfecisset genti indomitæ Lothariorum, regionem à latronibus ita purgauit, & intantum disciplina legali instruxit, ut summa ratio, summaq; pax illis in partibus locum tenerent. Igitur quum bella intestina externaq; cessarent, leges diuinæ atque humanæ autorali uigore pollent. Grauisq; persequutio monachis oritur in diebus illis, affirmantibus quibusdã pontificibus melius arbitrari paucos uita claros, q̃ plures negligentes inesse monasterijs oportere: obliti, nisi fallor, sententiæ patrisfamiliæ prohibentis seruos zizania colligere, sed utraque crescere oportere, zizania & triticum usque ad messem. Quo factum est, ut plures propriæ infirmitatis conscij, deposito habitu, & relictis monasterijs, graue onus sacerdotum deuitarent. Fuerunt autem quidam, qui summum pontificem Friderichum hoc non pure sed ficte fecisse arbitrati sunt, quatenus uenerabilem uirum, regiq; fidelissimum abbatem Hadumarum quoquo modo posset dehonestaret. Ipse enim erat uir magnæ prudentiæ ac industriæ. Sub eius temporibus templum famosum Uuldense igne consumptum est, & ab eo restauratum, & multo maiori decore perfectum est. Hic pontificem sub custodia tenuit, secunda coniuratione culpabilem: primum honorifice, sed quum literas ab eo scriptas reprehendisset satis seuere. Pontifex uero dimissus, dum ultionem quærit contra tantum uirum, leges non præualent, humillima monasteria autoritate tentauit, ut ad excellentissima æqualiter procederet. Sed huiuscemodi simulationes incassum profusæ. Nam abbas in gratia & amicitia regis permansit, & causis intercurrentibus pontifex quod cogitauit non impleuit. Soror autem regis Lothouuico regi genuit tres filios, Carolum, Lotharium, & Carlomannum. Ipse autem Lothouuicus rex à ducibus suis circumuentus, & à Nortmannis captus, consilio Hugonis Lugdunum missus custodiæ publicæ traditur. Filium autem eius natu maiorem Carolum Nortmanni secum duxerunt †Rothum, ibi & mortuus est. Audiens autem rex, super fortuna amici satis doluit, imperauitq; expeditionem in Galliam contra Hugonem in annum secundum. Eo tempore quum moraretur in campis syluestribus uenationem agens, obsides Bolizlaui uidimus, quos populo rex præsentari iussit satis super eis lætatus. Ille annus notabilis casu calamitoso totius populi, de morte scilicet beatæ memoriæ Edidis reginæ, cuius dies extrema septimo kalendas Februarij celebrata est cum gemitu & lachrymis omniũ Saxonum. Hæc nata ex gente Anglorum, non minus sancta religione quàm regali potentia pollentium stirpe claruit. Decem annorum regni consortia tenuit, undecimo obijt. Saxoniam uero decem & nouem annis inhabitauit.

Bruno archiepiscopus Coloniensis

Monachorum persequutio

Hadumarus abbas Fuldensis

al's. Rothomagum

Edidis mors

Reliquit

Reliquit filium nomine Liudulfum, omni uirtute animi & corporis, ea ætate nullo mortali secundum. Filiam quoque Liutgardam nomine, quæ nupserat Chuonrado duci. Sepulta est autem in ciuitate Magathaburg, in basilica noua latere Aquiloni ad orientem.

EPISTOLA VVITICHINDI AD REGINAM MAthildim Ottonis Imperatoris filiam.



Vemadmodũ cœli terræq; facies, hominum uoces, uultus ac mores mille modis concordi discordia uariantur, sed ad unius luminis sensusq; ducatum, dei cuncta regentis prouidẽtia coguntur: ita publicis ac priuatis rebus intentis imperiale decus, quod te ut serenissimum splendorem, gemmamq; lucidissimam mundo effudit, unum iusticiæ moderamen est normáque rectitudinis. Vnde laboris nostri opus quod à diuersis moribus diuerse accipitur, eo quod ingenij sermonisq; claritate egeat, sinu gloriosæ clementiæ tuæ suscipiatur, nec in ea nostra insipiẽtia, sed maior consideretur deuotio, humiliter deposco.

VVITICHINDI MONACHI BENEDICTINI DE REBVS GESTIS SAXONVM AC OTTONIS, aliorumq; succedentium Imperatorum, liber tertius.



OST EXCESSVM EDIDIS reginæ, omnem amorem maternum transfudit rex in unicum suum Liudulfum. Factoq; testamento, creauit eum regem post se. Ipse autem tener adhuc erat adolescens, ætatis nõ habens amplius quàm sedecim annos. Rex uero in Gallicã proficiscens expeditionem, coacto apud Camaracam urbem exercitu, festinat intrare regnum Caroli, uindicandæ causa iniuriæ generi sui Lothouuici. Quo audito Hugo missa legatione, iurat per patris sui animam, qui iam olim perijt, deo regiq; proprio repugnando, quia tanta sibi esset copia armatorum, quantam hactenus rex nunquam uidisset, addiditq; contemptum, uane tumideq; super Saxones loquendo, quia imbelles essent, & quia facile posset una potione telorum Saxonicorum septem absorbere. Ad quod rex famosum satis reddit responsum: sibi uero esse tantam multitudinem pileorum fœninorum, quos ei præsentari oporteret, quantam nec ipse nec pater suus unquam uideret. Et reuera quum esset magnus ualde exercitus, triginta scilicet duarum legionum, non est inuentus qui fœnino non uteretur pileo, nisi † Corbeius abbas nomine Bouo cum tribus suis sequacibus. Hic erat uir sapiens ac clarus, à deo nobis ostensus, non concessus. Huius patris auus Bouo Græcas literas coram Chuonrado rege legendo factus est clarus: & huic eiusdem

Hugonis contumax fastus

Pilei fœnini Saxonum in æstate

alij, Fuldensis

eiusdem nominis auus erat, ut natu maior omni uirtute ac sapientia potior. Sed & ipse nepos erat Vuarini, qui ex milite factus est monachus, & primus omnium apud nouam Chorbeiam regulariter electus est in patrem. Qui quum esset admirandæ sanctitatis, ad augmentum uirtutum suarũ, beatæq; memoriæ Saxoniæ preciosum attulit thesaurum, reliquias uidelicet preciosi martyris Viti. Dimissus igitur Lothouuicus regi occurrit, iungit'q; cum socijs exercitui illius. Rex autẽ cum exercitu Lugdunum adijt, eamq; armis tentauit, inde Parisiũ perrexit, Hugonemq; ibi obsedit, memoriam quoque Dionysij martyris digne honorans ueneratus est. Ductus inde exercitus contra urbem Remensem, ubi erat nepos Hugonis contra ius fasq; omne subrogatus episcopus, legitimo pontifice adhuc superstite. Armis autem urbem capiens, iniuste constitutum expulit sacerdotem, legitimum ecclesiæ sediq; propriæ restituens. Exinde collecta ex omni exercitu electorum militum manu, Rothun Danorum urbem adijt, sed difficultate locorum, asperioriq; hyeme ingruente, plaga eos quidem magna percussit: incolumi exercitu, infecto negocio post tres menses Saxoniam regressus est, urbibus Remense atque Lugduno cum cæteris armis captis Lothouuico regi concessis. Hugo autem expertus potentiam regis, uirtutemq; Saxonum, non passus est ultra terminos suos hostiliter intrare, sed pergenti in eandem expeditionem anno sequenti, occurrit iuxta fluuium qui dicitur Car, manus dedit, iuxtaq; imperium regis pactum inijt, utilisq; proinde permansit. Vidẽs autem rex filium suum Liudulfum uirum factum, dedit ei coniugem diuitijs ac nobilitate claram, ducis Herimanni filiam nomine Idam. Quam quum accepisset, in breui post hæc socer moritur, cum ducatu omni ei possessione relicta. Accepta autem potestate, animũ tranquillum quem in puero gessit, exuit, armatũq; militem in Italiam ducens, aliquantis ibi urbibus captis, & sub custodia traditis, ipse reuertitur in Franciam. Eo tempore usurpato imperio, regnauit in Longobardia homo fortis & auarus, & qui omnem iusticiam pecunia uenderet Berngarius. Veritus autem singularis prudentiæ reginæ uirtutem, à Lothouuico rege relictæ, in multis eam afflixit, quo tanti decus splendoris extingueret, uel certe obscuraret. Illo tempore rex proficiscitur in militiã contra Bolizlauum regem Bohemorum: & quum capienda esset urbs quæ nuncupabatur Noua, in qua clausus obsidebat' Bolizlaui filius, prudẽti rex consilio diremit prælium, ne miles in rapiendis hostium spolijs aliquod periculũ incideret. Cõsiderata itaq; uirtute regis, ac innumera multitudine exercitus, Bolizaf urbe egressus, maluit tantæ maiestati subijci, q̃ ultimã perniciẽ pati. Sub signisq; stans, & regẽ audiẽs, respõsaq; reddẽs, ueniã tandẽ promeruit. Inde plena uictoria gloriosus factus rex Saxoniã regressus est. Quũq; eum uirtus præfatæ reginæ nõ lateret, simulato itinere Romam proficisci statuit. Quũq; in Longobardiã uentũ esset, aureis muneribus amorẽ reginæ super se probare

als. Rothomagum

Car. flu.

Berngarij III in Italia tyrannis

Boleslai rebellio

probare tentauit. Quo fideliter experto, in coniugiũ sibi eam sociauit, cumq́ꝫ ea urbem Papiam quæ est sedes regia, obtinuit. Quod quum uidisset filius eius Luidulfus, tristis à rege discessit, profectusq́ꝫ in Saxoniã, aliquandiu mo ratus est in loco consilijs funesto Salaueldun. Rex uero in Italia celebratis iuxta magnificentiã regalem nuptijs, proficiscit̃ inde cum noui matrimonij claritate, acturusq́ꝫ proximũ pascha in Saxonia, lætitiam patriæ magnamq́ꝫ gratiã conferens. Persuasus quoq́ꝫ rex Berngarius à Chunrado duce cui Papia cum præsidio militari relicta erat custodienda, regem subsequutus est in Germaniam, pacem cum eo facturus, & omnibus quæ imperauisset obtemperaturus. Cui regiæ urbi appropinquanti, occurritur miliario ab urbe à ducibus & præfectis, Palatinorumq́ꝫ primoribus, & regaliter susceptus, ductus in urbem, iussus est in hospitio sibi præparato manere. Neq́ꝫ enim faciem regis intra tres dies uidere promeruit. Quod ægre ferẽs Chuonradus qui eum adduxerat, unumq́ꝫ cum eo sentiens filius regis Luidulfus, suspectum super hac causa Henricum fratrem regis habentes, quasi antiqua stimulatum inuidia deuitauerunt eum. Henricus autẽ sciens adolescentẽ maternis destitutũ suffragijs, contemptui eum cœpit habere, in tantum, ut à conuicijs ei quoque non parceret. Interea rex regem alloquitur, in gratiamq́ꝫ regis ac reginæ susceptus, deditionis sponsionẽ dat, fœderis spontanei diem apud urbem Augustam designans. Vbi quum conuentus fieret, Berngarius manus filij sui Adelberti suis manibus implicans: licet olim Hugonem fugiens, regi subderetur: tunc tamen renouata fide coram omni exercitu famulatui regis se cum filio subiugauit. Et ita dimissus in Italiam remeauit cum gratia & pace. Ibi miræ magnitudinis lapis grandinis tonitrui ac tempestate turbulenta de cœlo iactus, ingens miraculum multis uisentibus præbuit. Nati sunt autem regi filij ex serenissima regina, primogenitus Heinricus, secundus Bruno, tertius Otto, paterni nominis maiestate designat̃, quem iam post patrem dominũ ac Imperatorem uniuersus sperat orbis. Filiam quoq́ꝫ sanctæ matris eius uocabulo insignitam, de qua non præsumimus aliquid dicere, quũ eius claritas præcellat omne quod dicere aut scribere ualeamus. Enimuero rex quũ regiones Francorum urbesq́ꝫ circuiret, audiuit quia ei insidiæ pararentur à filio generoq́ꝫ, quapropter summus pontifex reuocatus, ubi austeriorem uitã more solito cum eremitis & solitarijs ante pascha agebat, suscepit regem Mogontiæ, ibi ei aliquandiu ministrans. Nephanda cõsilia prodita, à filio generoq́ꝫ animaduersa, purgandi locum criminis cum consilio pontificis petierunt, & impetrant. Qui licet sceleris manifeste arguerentur, paruit tamen rex eorum sententijs in omnibus, locorum temporumq́ꝫ angustia. Et quum apparatus paschalis apud aquas fieri oporteret, comperit quia nihil sibi dignum ibi paratum esset. maternis gaudijs & officijs decenter curatur, regemq́ꝫ quem in Francia penè perdidit, in patria magnifice recepit. Nam cõfortatus amicorũ

Salaueldiã cõiurationibus nefasta

Lapis cœlitus delapsus

gentisq́ꝫ

gentisq́ propriæ præsentia irritum fecit pactũ,quod coactus inire confessus est:edictumq́ est filio generoq́,autores sceleris puniendos tradere,aut certe se publicos hostes nosse. Pactis pristinis pontifex intercessit,tanq̃ paci & cõcordiæ cõsulturus: ob id regi fit suspectus,amicis regalibus, consiliarijsq́ omnimodis spernẽdus. De eo necessariũ arbitramur nequaq̃ aliquid temere iudicare: sed quod de eo probamus, q̃a magnus erat oratione die noctuq́, magnus eleemosynarũ largitate, præcipuus uerbo prædicationis,nõ silere dignum duximus: cæterum de accusatis causis qui iudicat dominus est. Earum rerũ dum ibi finis non fieret,uniuersalis populi conuentus esse iubetur apud uillam quæ dicitur Fridesleri, super his causis discutiendis. Vbi quũ frater regis Henricus adesset, multas ac graues causas summo pontifici obijciebat: proptereaq́ regis totiusq́ penè exercitus offensam incurrit,dum eum penitus culpabilem ex illis dictis censerent. Propterea rex sæuiorem animum gerens ex recenti iniuria,eminentissimos uiros,ac sibi quondã charos,& in Britannico bello fideles,traditos exilio damnauit, dum accusati rationem redderent,& se purgare non sufficerent. Hi erant Thuringi genere,potestatis præfectoriæ,Dadanus & Vuilhelmus nomine. Hoc facto,multi scelerum conscij perterriti. Soluta concione,multitudine dimissa, sese rex in orientales partes contulit. Lotharij autem quum regem duci Cunrado sensissent offensum, quum iam olim ei infesti essent, eo q̧ ducatum super eos administraret ipsis inuitis,arma contra eum sumunt. Ille uero imperterritus leoninum exercens animum, signa signis contraria inuexit, & incredibilem multitudinem ex eis propria manu fudit,dum sanguine amici quem in prælio amisit, Cunradi scilicet Euerhardi filij,ut fera sæuissima acueret. Itaq́ illi fortissimo suppetente fortium militum manu,aduerso exercitui dum nouus semper additur, à meridie usq́ in uesperum protrahitur bellum:nocte prælium dissoluitur: nullus uictoria lætatur. Rex autem circa Calendas Iulias moto exercitu armis filiũ generumq́ quærere tentauit: obuias urbes partis aduersæ aut armis cepit, aut in deditionem accepit,quousq́ Mogonciam perueniret,quam filius cum exercitu intrauit,patremq́ miserabilius armatus expectauit. Ibi plus quàm ciuile, & omni calamitate acerbius bellum cœptum: multæ machinæ muris admotę,sed ab urbanis destructæ uel incensæ: crebræ ante portas pugnæ,raro forinsecus stationes fusæ:cunctando enim res uniuersæ uariauere,dum dominatorẽ regni foris,intus successorem metuebant. Obsidio itaq́ dum sexaginta dies fermè excederet,sermo fit de pace: unde datus est obses in urbem consobrinus regis Ecbertus, quo libera uia cuilibet pateret in castra crimen purgandi,de pace atq́ concordia tractandi. Filius cum genero castra ingressi,regalibus uestigijs prosternunt, pro scelere omnia sustinere paratos fore, saltẽ ut amici auxiliatores in fide suscepti, nihil aduersi paterentur. Rex autẽ non inueniens quomodo meritas pœnas filio inferret,fautores insidiarũ ex-

Fridenrichus regi suspectus

Exules

Lotharij rebelles

Ecbertus obses

postulat. Illi autem iuramentis uicarijs obligati, & quodammodo arte antiqui hostis cõstricti, hoc omnino negabant. Ingens interea oritur lætitia in castris, & à castris circũquaq; fama diffusa, nunq; urbe egressuros, nisi omnibus essent à rege imperatis obtemperaturi. Eæ spes incassum cõceptæ: nam quũ obedirent edictis regis, motus Henricus aduersus adolescentem, Nihil te, inquit, iactitas contra dominum meum regem fecisse, & ecce omnis exercitus usurpatorem te regni inuasoremq; nouit. Ipse ergo si accusor reus criminis, si culpabilis existo, quare non contra me legiones ducis? Signa aduersum me moue: & festucã de terra sumens, Huius, inquit, precij à me meaq; potestate rapere nõ poteris. Quid tibi uisum est sollicitare huiuscemodi rebus patrem tuum? contra summam diuinitatẽ agis, dum domino patriq; tuo repugnas. Si aliquid scis uel uales, in me furorem tuum euome, ipse enim tuam non timeo iram. Ad hæc adolescens nihil respondit, sed audito rege cum suis urbẽ ingressus est. Consobrinus autem regis Ecbertus, quum obses datus esset in urbem, suasibilibus corruptus uerbis, regi fit auersus, quum & antea ei iratus esset, eo quod argueret incepti certaminis, ubi oculum perdidisset. Dum hæc agerẽtur, proxima nocte Boidarij comites fratris regis, relicto eo iuncti sunt Liudulpho: qui pergens cum eis cepit urbem regiã, quæ dicitur Reinesburg cum cæteris in ea regione munitissimis, omnemq; pecuniam ducis suis militibus diuisit: coniugem cum filijs patrui & amicis non solum urbe, sed & regione excedere cogit. Hæc omnia à deo credimus acta, ut qui serenissimũ regem plurimis populis ac gentibus præficere uoluit, disceret parũ in se, in deo uero omnia posse. Erat autem iunior Arnulphus cum fratribus, qui tale consilium machinatus est contra Henricum, eo q; paterno regno subrogaretur, ipse autem honore patrio priuatus esset. Porrò exercitus diutino labore fatigatus, missionem petit & accipit, rege cum paucis admodum filium in Baioariam subsequente: ipse nanq; erat patiens laborum supra quàm quod credi possit de homine ab adolescentia delicate nutrito. Multitudine deniq; deficiente à fide, rari admodum erant qui partes regis adiuuarẽt: inter quos erat quidam Adelbertus, & alij cum eo admodum pauci. Militãte aduersus Mogunciam rege, Herimannus dux Saxoniam procurabat. Quum nouus exercitus à Saxonia ad supplementum ueteris mitti debuisset, Thiedericus iuniorq; Vuicmannus ei præfuere. Attingentes terminos Francorum à Liudulpho duceq; Cunrado subito circumfusi, in desertum quoddam coguntur castellum. Quod quum oppugnare nituntur, iactu rotę signifer ante portã brachium perdidit: quo facto bellum est sedatum, induciæq; concessæ trium dierum in Saxoniam reuertendi. Thiedericus à Liudulpho magnis promissionibus est tentatus, Vuicmannus autem admodum corruptus, patruum exin arguere, paternæ hæreditatis raptorem dicere, & suorũ thesaurorũ prædonẽ uocare cœpit. Ipse autẽ consilij nequaq; ignarus, quanta sapientia, quantaq; prudentia

Henrici cum Liutholfo expostulatio

Ecbertus rebellionis particeps

Herimannus saxoniæ præses

prudentia contra propinquos & hostes manifestos uigilauerit, difficile est omnimodis edicere. Iungitur quippe Ecbertus Vuigmanno, eademq; sententia consurgunt in ducem, nullumq; ei dant quietis ocium. Ille auté nobili patientia iuuenum furorem frangens, cauet tumultum aliqué rege absente illis in partibus accrescere. Baioarij repetino regis aduentu nec ad pacé uertunt, nec bellum publicum præsumunt, sed clausi muris grandem exercitui laboré suæq; regionis solitudinem parant: unde minus procedente negocio, à manibus exercitus à nulla re abstinebat, sed omnia uastabat. Summus pontifex interea, ut ipse aiebat, timore regis officio pontificali amisso, eremiticá cú solitarijs ducebat uitá. Non minima quoq; cæteris pontificibus cúctatio erat in Baioaria, dum fauét partibus nunc regi assistendo, núc alias partes adiuuando: q̄a nec sine periculo alienabant à rege, nec sine detrimento ei adhærebát. Agés tres menses integros, à Mogoncia recedés rex in illis regionibus: demú circa Cal. Ian. infecto negocio, amissis duobus principalibus uiris, ac potestate claris, Immede & Mainuuerco, quorú uterq; ictu sagittarú perijt, alter Mogonciæ, alter in itinere, Baioariá p̄gentibus, reuertitur in Saxoniá. Causas dicentibus corá rege Herimanno suisq; nepotibus, omnes iusti tenaces sententiam ducis laudauere, adolescentes castigandos iudicantes. Rex autem amás parcebat illis sub custodia militari, tantum intra palatium tradens Vuigmannum. Interea audit quia Auares intrantes Baioariá, iungerent aduersarijs, disponerentq; publico bello eum tentare. At ille satis impterritus tali necessitate, nunq; se gratia dei dominú ac regem oblitus est: sed collecta ualida manu obuiam procedit acerrimis hostibus. Illi aút diuerterút ab eo, acceptisq; ducibus à Liudulfo omnem Franciam p̄uagati sunt, & tantá stragem dederunt primú amicis, ut cuidam Ernesto uocabulo, qui erat partis aduersæ, sui iuris familias supra millesimú numerú captiuassent, deinde cæteris omnibus, ut dictu fidé excedat. Dominica ante pascha Vormaciæ eis est publice ministratú, & muneribus auri & argenti plurimú donatú. Inde in Galliá profecti, per aliam uiam in patriá reuertunt. Baioarij ciuili exercitu externoq; fatigati: ná Vngaris egressis exercitu regali premuntur, coacti sunt de pace tractare: factumq; est ut pax daretur usq; in XVII Cal. Iul. & locus esset apud Cinná rationis dandæ, & responsionis reddendæ. Ad condictú locum dum uniuersalis populi conuentus fieret, talem rex orationé exorsus est. Paterer, inquit, si indignatio filij mei, cæterorumq; insidias tendentiú me solum torqueret, & non totum Christiani nominis populum p̄turbaret: parú esset urbes meas more latronum inuasisse, regiones à mea potestate rapuisse, ni propinquorú meorum ac charissimorú comitum sanguine satiarent. Ecce sine filijs sedeo orbatus, dum filium grauissimú hostem patior: quem plurimú amaui, & à mediocri loco ad summum gradum summumq; honoré prouexi, unicum filiú meum habeo aduersum me. Tolerabile hoc totum foret, si nó dei hominúq; inimici his causis introducerent. Modò regnum meum habent desolatum,

Fridenrichus eremita

Ernestus periclitatur

Cinna

Ottonis oratio

populum captũ uel interfectum,urbes destructas, tẽpla succensa, sacerdotes extinctos:adhuc madent sanguine plateæ:auro meo & argento,quibus filiũ generumq; ditaui, hostes Christi sedes suas remeant referti. Quid ergo superfit sceleris,quid perfidiæ,excogitare nequeã? His dictis tacuit rex.Henricus laudans sententiã regis,subiũxit quia hostes secundo uicti publico certamine maligne ac pessime conducerent, quo uia eis iterum lædendi aperiret, omnem calamitatẽ, omnemq; laborem consultius uelle pati,quàm cõmunẽ hostem unq; in fidem susciperet. His dictis Liudulfus procedens ait, Conductos aduersum me pecunia fateor: obtinui, ne me mihiq; subiectos læderẽt:si in hac parte culpabilis prædicor, sciat me omnis populus hoc nõ uoluntarie,sed ultima necessitate coactum fecisse.Postremũ pont.summus rationẽ redditurus intrauit,ꝓmittens se quocunq; rex imperauisset iudicio significaturũ,nunq; cõtra regem sensisse,uel uelle,uel fecisse, timore coactũ à rege discessisse:offensum sibi eum,quia intellexisset innocentẽ grauissimis accusationibus obrutũ:de cætero iuramentorũ omnibus iuramentis fidem seruaturũ. Ad hæc rex, A uobis non exigo iuramentum,nisi pacis & cõcordiæ: consiliũ in quantũ possitis adiuuetis.Et hoc dato,in fide ac pace eum dimisit. Pontifex cum duce Cunrado quũ adolescentẽ nõ possent inclinare,quatenus patri subderetur, eiusq; sententiã sequutus sustineret, discesserũt ab eo, deo regiq; se iungẽtes. Proxima nocte Liudulfus cum suis à rege discedens, urbem Reinespurg cum exercitu intrauit. Rex aũt sequens filium, urbẽ offendens quæ dicitur Horsedal,obsedit eam.Facta autem pugna,durius certamen circa murum nemo unq; uiderat mortalium.Multi ibi ex utraq; parte cęsi,plures sauciati: noctis tenebræ præliũ diremere.Saucius ancipiti bello postera luce ducitur exercitus inde: diutius ibi non morari uisum ad grauiora tendentibus. Trium dierum itur proinde ad Reinespurg. Castrorũ loca occupata, munitionibusq; circumsepta, obsidio urbis diligenter est incepta. Sed quum multitudo machinas muris applicari non fineret,satis dure interdum ab utrisque pugnatũ pro muris:diu tracta obsidio cogit clausis belli negocijs aliquid actitare.Arbitrati sunt enim fame peius torqueri,si ad id cogerentur, quàm in acie fortiter mori.Iussum itaq; occidentali porta erumpere equites,quasi impetum in castra facturos, alios naues ascendere, & per fluuium urbi contiguũ, dum equestri prælio pugnaretur,castra armatis deserta inuaderent. Vrbani signo nolæ congregati condicta peragere, quod in castris usu non ignotum: quapropter & ipsi non segniter præparant.Morã facientibus in erumpendo equitibus clausis ab urbe longius elabunt: exilientesq; de nauibus irruũt in castra,offendentesq; armatos,dum trepidi fugæ cõsulunt,circumfusi undiq; cędunt.Alij naues ingredi nõ timore perculsi deuiantes flumine absorbent: alij naues plus æquo ingressi dimergunt, factumq; est ut uix pauci de pluribus superessent. Equites uero ab equitibus fatigati deuictiq;,plures saucij in urbẽ cogũtur.Miles regius uictor in castra reuersus,unum solummodo letali uulnere

Liudolfi purgatio

forte, Regenspurg

Horsedal obsidio

Fames audaces facit

uulnere percussum, pro portis secū reuehunt. Pecus omne urbis loco herboso delatū, qui erat inter †Rein & Danubium fluuios, sed à fratre regis Henrico captū, & inter socios diuisum est. Vrbani crebris prælijs triti, fame quoq; periclitari cœperunt. Vnde egressus urbe Liudulfus cum principalibus uiris pacem postulat, sed non impetrat, quia patri obedientiā negat. Ingressus uero urbem, portā orientalem obsidentē armis tentat Geronem, tot uictorijs quot prælijs clarum. A tertia hora usq; in nonā acriter pugnatū est ante portam urbis. Equo cadente ascensor Arnulfus armis exutus, ilicoq; telis perfossus occubuit. Post biduum à muliere famem urbis fugiente, mors illius notificatur, dum antea incertum esset. Cuius morte urbani satis cōfusi, iam de pace tractabant. Interuentu proinde principum iterum Liudulfus cum socijs urbe egressus, dum mense integro & dimidio obsideretur, pacem obtinuit usq; ad condictum diem, dum de his causis dijudicaret̄, locusq; consilij apud †Fridesleri notabat̄. Rex redit inde in patriā: Hēricus uero Nouāurbē obtinuit: Reinespurg penè omnis proxima nocte arsa. Exercitandi gratia uenationē agens rex in loco qui dicitur Suueldun, filius patri nudatis plantis ꝓsternit̄, intima tactus pœnitentia: oratione flebili patri primum, deinde omniū præsentium lacrymas extorquet. Amore itaq; paterno susceptus in gratiā, spondet se obtemperaturū, consensurumq; omni paternæ uoluntati. Interea summus pōtifex ægrotasse nunciatur ac desperari. Quapropter regis placitū modice est dilatatū. Finem summi pontificis qui interfuere satis laudabilem prædicant. Defuncto pontifice uniuersalis cōuentus populi celebratus: Mogoncia post annū & dimidiū regi tradita cum omni Francia: filius ac gener in gratiā suscepti, qua & in finē usi sunt fideliter. Eo anno Sclaui, qui dicunt̄ Vchri, à Gerone cùm magna gloria deuicti, quum ei prȩsidio esset dux Cunradus à rege missus. Præda inde ingens ducta: Saxoniȩ lætitia magna exorta. Proximum agens pascha rex cum fratre, ducit post hȩc exercitū cōtra Reinespurg, iterum armis machinisq; urbem torquens. Dum præsidio Saxonū destituit̄ ac fame uexatur, portis urbani egressi, cum urbe tradiderūt semetipsos regi. Qui principes exilio damnans, reliquæ multitudini parcit, uictoriaq; gloriosus remeauit in patriā, omni regione Baioarica fratri restituta. Ingressusq; Saxoniā circa Cal. Iul. obuios habet legatos Vngarorū, tanq; ob antiquā fidē ac gratiā eum uisitantes, re autē uera, ut quibusdam uidebat̄, euentū belli ciuilis cōsiderantes. Quos quum secū aliquot diebus retinuisset, & aliquibus munusculis donatos remisisset in pace, audiuit à nuncijs fratris, ducis scilicet Baioariorū: quia ecce Vngari diffusi inuadunt terminos tuos, statuuntq; tecum inire certamen. His auditis rex quasi laboris oblitus, quē præterito bello tolerauisset, cœpit ire contra hostes, sumptis secum paucis admodum ex Saxonibus, eoq; iam bellum Sclauonicū urgeret. Castris positis in cōfinijs Augustanæ urbis, occurrit ei exercitus Francorū Baioariorūq;: cū ualido quoq; equitatu uenit in castra Cunradus dux: cuius aduentu erecti milites, iam optabāt

Regus nunc & Regol flu.

al's Frislariā

Fridenrichi mors DCCCLIIII

Geronis uictoria de Sclauis

Ottonis indefessa fortitudo

non differre certamen:nam erat natura audacis animi,& quod rarũ est audacibus,bono consilio,& dum eques,& dum pedes iret,in hosté bellator intolerabilis,domi militiæq; socijs charus. Igit ab utriusq; exercitus latrocinãtibus agminibus notificabat,nõ longe exercitus ab altero fore. Ieiunio in castris indicto,iussum est omnes in crastinũ paratos esse ad bellũ. Primo diluculo surgentes,pace data & accepta,operaq; sua primũ duci,deinde unusquisq; alteri cũ sacramento ꝓmissa,erectis signis ꝓcedunt è castris,numero quasi octo legionũ. Ducit exercitus per aspera & difficilia loca,ne daretur hostibus copia turbãdi sagittis agmina,quibus utunt acerrime,arbustis ea ꝓtegentibus. Primã & secundã, tertiamq; legionẽ direxerũt Baioarij,quibus præfuerunt præfecti ducis Henrici: nam ipso bello interim aberat, eo ꝙ ualetudine corporis laborasset,qua & mortuus est. Quartã uero ordinauere Franci, quorũ ꝓcurator & rector erat dux Cunradus. In quinta,quæ erat maxima,quæ & dicebatur regia,ipse princeps uallatus lectis ex multis militũ milibus alacriq; iuuentute,coramq; eo Angelus,penes quẽ uictoria,denso agmine circũseptus. Sextam & septimã construxerũt Sueui,quibus præfuit Burcardus,cui nupserat filia fratris regis. In octaua erant Bohemi electi milites mille, armis potius instructi quàm fortuna,in qua & sarcinæ omnes ac impedimẽta quæq;,quasi ipsa esset tutissima, quæ esset nouissima. Sed aliter res acta est ac arbitrabatur: nam Vngari nihil cunctantes Lech fluuiũ transierunt, circũeuntesq; exercitũ,extremã legionẽ sagittis lacessere cœperũt: & impetu cum ingẽti uociferatione facto,alijs cæsis,alijs captis,sarcinis omnibus potiti,cæteros legionis illius armatos fugere cõpulerunt. Similiter septimã ac sextã aggressi,plurimis ex eis fusis,in fugã uerterunt. Rex aũt quum intellexisset bellum ex aduerso esse,& post tergũ nouissima agmina periclitari, misso duce cũ quarta legione captiuos eripuit,prædam excussit,latrocinantiaq; hostiũ agmina perturbauit. Fusis latrocinantibus undiq; aduersariorũ agminibus,signis uictricibus dux Cunradus ad regẽ reuertit:mirumq; in modũ cũctantibus ueteranis militibus,gloria uictoriæ assuetis, cũ nouo milite, & ferè bellandi ignaro triumphũ peregit. Dum ea gerunt in Baioaria, uarie pugnatũ est à præside Thiederico aduersus barbaros. Quum capere uisus esset quandã urbẽ illorũ usq; introitũ portæ persequutus est aduersarios, cogens illos intra murũ,oppido potito & incenso,& omnibus quæ foras murum erant,captis uel interfectis. Quũ iam incendio extincto reuerteret,& paludẽ quæ erat adiacens,medietas militũ transisset, Sclaui uidentes nostros in arcto sitos ob difficultatẽ loci,nec copiã habere pugnandi,nec locũ adeo fugiendi,insequebant à tergo reuertẽtes clamore magno. Peremerũt ex eis ad quinquaginta uiros, fœda fuga nostrorũ facta. Ingẽs interea pauor omnẽ Saxoniã trepidam pro rege & exercitu eius pro hac re aduersam inuasit. Terrebant nos præterea portenta inusitata. Templa deniq; plerisq; in locis tẽpestate ualida cõcussa,uisentibus & audientibus horrorẽ nimiũ incussere; utriusq; sexus sacerdotes ictu fulminis interie-

Cunradus gener regis

Angelus signum regis militare

Portenta

nis interierũt,& alia multa illo tpe cõtigerũt dictu horrẽda,& ꝑpterea nobis præter eũda. Totũ põdus prælij ex aduerso iã adesse cõspiciens rex, exhortandi gratia allocutus est socios suos hoc modo: Opus esse nobis bonis opibus in hac tanta necessitate, milites mei, uosipsi uidetis, qui hostẽ nõ longe, sed coràm positũ toleratis. Hactenus em̃ impigris manibus uestris ac armis sempꝛ inuictis gloriose usus, extra solũ & impiũ meũ ubiqꝫ uici: & nũc in terra mea & regno meo terga uertã? Superamur scio multitudine, sed nõ uirtute, sed nõ armis: maxima enim ex parte nudos illos armis oĩbus penitus cognouimus: & quod maximi est nobis solatij, auxilio dei. Illis est sola pro muro audacia, nobis spes & ꝓtectio diuina. Pudeat iã nunc dños penè totius Europę inimicis manus dare. Melius, bello si finis adiacet, milites mei gloriose moriamur, quàm subiecti hostibus uitã seruiliter ducamus, aut certe more malarũ bestiarũ strangulo deficiamus. Plura loquerer milites mei, si nossem uerbis uirtutẽ uel audaciã animis uestris augeri. Modò melius gladijs quàm linguis colloquiũ incipiamus. Et his dictis arrepto gladio & clypeo, ac sacra lãcea, ipse primus equũ in hostes uertit, fortissimi militis ac optimi Imp. officiũ gerens. Hostiũ audaciores primũ restitere, deinde ut socios uiderũt terga uertere, obstupefacti, nostrisqꝫ intermixti extinguunť. Cæterorũ uero alij eqs fatigatis, uillas ꝓximas intrãt, circũfusiqꝫ armatis cum mœnijs pariter cõcremanť: alij flumen contiguũ transnatãtes, dum ripa ulterior ascendẽtes nõ sustinet, flumine obuoluunť & pereũt. Eo die castra inuasa, captiuiqꝫ omnes erepti: secũdo die ac tertio à uicinis urbibus reliqua multitudo in tantũ cõsumpta est, ut nullus aut rarus euaderet. Sed nõ adeo incruẽta uictoria fuit de tã sæua gente: Cunradus quippe dux fortiter pugnãs, animi feruore solisqꝫ ardore, qui eo die nimius erat, accẽsus æstuat, uinclisqꝫ solutis, dũ aurã captat, uulnere sagittæ aduerso gutturis defixæ cadit: cuius corpus iuxta regis imperiũ honorifice collectum transportatur Vormaciã, ibiqꝫ sepeliť uir omni uirtute animi & corporis magnus atqꝫ famosus, cum fletu & planctu omniũ Francorũ. Tres duces gentis Vngariæ capti, duciqꝫ Henrico pręsentati, mala morte, ut digni erant mulctati: suspendio nanqꝫ crepuerũt. Triumpho celebri rex factus gloriosus, ab exercitu pater patriæ imperatorqꝫ appellatus est: decretis proinde honoribus & dignis laudibus summæ diuinitati per singulas ecclesias, & hoc idem sanctæ matri eius per nuncios demandãs, cũ tripudio ac summa lętitia Saxoniã uictor reuersus à populo libẽtissime suscipiť: neqꝫ enim tãta uictoria quisquã regũ intra CC annos ante eum lætatus est: nam ipsi bello Vngarico aberant, Sclauonico certamini reseruati. Igitur ut supra retulimus, quũ deficeret in ratione reddenda cõtra suum patruũ, Vuicmannus intra palatiũ custodiť. Quum igitur rex in Baioariã proficisci uellet, simulata infirmitate ipse iter negauit, unde monitus ab Imperatore quia destitutus à patre & matre loco filiorum eum assumpserit, liberaliterqꝫ educauerit, honore paterno promouerit, rogatqꝫ ne ei molestiã inferret, quum alia plura †grauaret. Ad hæc nihil

Concio regis ad milites

Hungari Lechom ergũtur

Cũradi mors DCCCCLV

Ottonis triumphus

al. causaretur

 utile

utile audiens imperator discessit, cõmendato eo Iboni comiti. Aliquantis diebus cum eo degens, petit post hæc uenandi gratia syluã intrare liceret: ibiq; absconditos socios secũ sumens perrexit in patriã, & occupatis ibi aliqbus urbibus, iuncto sibi Ecberto, arma sumit contra Imp. Industria autẽ ducis Herimanni facile eos oppressit, trans Albimq; coëgit. Illi quũ se sensissent duci resistere non posse, sociauerunt sibi duos subregulos barbarorũ, Saxonibus iam olim infestos, Naconẽ & fratrem eius. Ductus exercitus à duce repti sunt in urbe quæ dicitur Suuithleiscranne: & penè erat ut caperent cũ urbe, ni clamore cuiusdam excitarent, & ad arma psilirẽt: cæsis tamen ante portã urbis ad XL armatis, cæsorumq; spolijs potitus dux Herimannus discedit. Erant aũt qui eum adiuuarent Henricus præses cum fratre Sigifrido, uiri eminentes & fortes, domi militiæq; optimi. Facta sunt autem hæc in initio quadragesimalis ieiunij. Barbari uero post proximũ pascha irruũt in regionem, ducem habentes Vuigmannũ ad facinus tantũ, nõ ad imperiũ: nullam morã agẽs, sed & ipse dux Herimannus cum præsidio militari adest, uidensq; exercitũ hostium grauem, sibiq; paruas admodum belli copias adesse, ciuili bello urgente, arbitratus est consultius differre certamen in dubijs rebus constitutis, multitudiniq; imperare, quæ maxima in unã urbem cõfluxerat, dum cæteris diffiderent, quoquo pacto possent pacem expostularent: quod tamen consilium milites ægre ualde tulerũt, & maxime Sigifridus, qui erat bellator acerrimus. Faciũt tamen ciues Cocaresceemiorũ, ut dux imperarat, pacemq; eo pacto obtinent, quo liberi cum uxoribus & natis supra murũ inermes ascenderent, conditione seruili & omni supellectili in medio urbis hostibus relicta. Quum intra urbẽ irruerent barbari, quidam illorũ suum mancipiũ agnoscit in cuiusdam liberti uxore: quã quum rapere de manu uiri niteret, ictum pugni accipit, irritumq; pactũ ex parte Saxonũ pclamitat: unde fit ut omnes ad cædem uerterent, nullumq; relinquerent, sed omnes perfectæ ætatis neci darent, matresq; cum natis captiuos ducerent. Quod scelus imperator ulcisci gestiens, uictoria iam de Vngaris parta, regiones barbarorũ hostiliter intrauit. Consultum de Saxonibus qui cum Sclauis conspirauerant, iudicatumq; est, Vuigmannũ & Ecbertum pro hostibus publicis habere oportere, cæteris uero parcere, siquidẽ remeare uoluissent ad suos. Aderat & legatio barbarorũ, tributa socios ex more uelle psoluere nuncians, cæterum dominationẽ regionis uelle tenere: hoc pacto pacẽ uelle, alioquin pro libertate armis certare. Imperator ad hæc respondit, pacẽ quidem eis nõ negare, sed omnimodis dare non posse, nisi iniuriã perpetratã digno honore ac emendatione purgarẽt, omniaq; uastando & incẽdendo per illas regiones duxit exercitũ, donec tandem castris positis super Raxã fluuiũ ad transmeandum paludibus difficillimũ, ab hostibus circumfunditur: à tergo nanq; arborũ robore obstruit, eademq; armatorũ manu uallat: ex aduerso fluuius, fluuioq; cõtigua palus, & cũ ingẽti exercitu Sclauos bellatores & ab opere & ab itinere prohibẽs.

Vexatur

Naco · *Sigifridus* · *Sclauorum sæuitia* · *Raxa flu.*

Vexatur autem & aliis incōmodis exercitus,morbo pariter ac fame.Dum talia agerent per plures dies,mittitur ad principē barbarorū, qui dicebat Stoinefgero comes,quatenus imperatori se dedat, amicum per id adepturū, non hostem experturū.Erant quippe in Gerone multæ artes bonæ,bellandi peritia, in rebus ciuilibus bona consilia, satis eloquentiæ, multum scientiæ,& qui prudentiā suā opere magis ostenderet quàm ore : in acquirendo strenuitas, in dando largitas , & quod optimū erat, ad cultum diuinum bonum studiū. Igitur præses super paludem & flumen cui palus adiacens erat,barbarū salutabat. Cui Sclauus æqualia respondit. Ad quem præses, Satis tibi esset,si bellum gereres contra unum nostrûm de seruis domini mei,& non etiam cōtra dominum meum regem. Quis tibi exercitus,quæ arma,ut talia præsumas? Si aliqua uobis uirtus assit,si artes,si audacia,date nobis locū ad uos transeundi,siue nos uobis huc ueniendi:& æquato loco fortitudo appareat pugnatoris.Sclauus barbarico more frendens,& multa cōuicia euomens, irrisit Gero nē imperatoremq́;,& omnem exercitū, sciens eum multis molestiis aggrauatum. Gero ad hæc cōmotus, ut erat animi ardentissimi, Crastinus,inquit, dies declarabit,tu & populus tuus fortes uiribus sitis, an non: cras enim nos uobiscū congredientes ꝓculdubio uidebitis. Gero deniq; olim licet multis gestis insignibus clarus haberet, iam tamen magnus ac celebris ubiq; prædicabat,eo ꝙ Sclauos,qui dicunt Vchri,cū magna gloria cepisset. Gero reuersus in castra retulit quæ audierat. Imp. uero de nocte consurgens iubet sagittis & aliis machinis ad pugnā prouocare hostē , & quasi ui flumen paludemq́; transcendere uelle. Sclaui autem hesterna cōminatione nihil aliud arbitrati, ad pugnam pariter cōspirauere,iter totis uiribus defendentes. At Gero cum amicis suis miliario fermè uno à castris discedens,hoste ignorante,tres pontes celeriter construxit : & misso nuncio ad imp. totum exercitum reuocauit. Quo uiso barbari & ipsi obuiare legionibus contendunt. Pedites barbarorū dum longiorem uiam currunt,& certamen ineunt,fatigatione dissoluti militibus citius cedunt: nec mora,dum fugæ præsidiū quærunt,obtruncant. Stoinefgero autem colle eminenti cum equitibus euentum rei expectabat: socios inire fugā cernens, fugit & ipse, lucoq́; quodā cum duobus satellitibus repertus à uiro militari,cuius uocabulum erat Hosed,certamine fatigatus,armisq́; nudatus,capite cæsus est.Satellitum alius uiuus captus,imperatoriq́; cum capite & spoliis reguli ab eodē milite præsentatus est. Ex hoc Hosed clarus & insignis habitus:merces tam famosi gesti donatiuū imꝑiale cū reditu uiginti mansuum. Eo die castra hostium inuasa, & multi mortales interfecti uel capti:cædes in multam noctem protrahebatur.Postera die caput Subreguli in campo positum,circaq́; illud septuaginta captiuorum capite cæsi, eiusq́; consiliarius oculis erutis lingua est priuatus , in medioq́; cadauerum inutilis relictus. Vuigmannus uero & Ecbertus scelerum conscii in Galliam profecti ad Hugonem ducem fuga elapsi sunt. Crebris uictoriis imperator gloriosus factus

Geronis laus

Geronis in dicēdo libertas

Sclaui

Victoria de Sclauis

Hosed celebre facinus

ſus factus atq; famoſus, multorũ regum ac gentiũ timorem pariter & fauorẽ promeruit: unde plurimos legatos ſuſcipit, Romanorũ ſcilicet & Græcorum Saracenorumq́; , per eosq́; diuerſi generis munera, uaſa aurea & argentea, ærea quoq; & mira uarietate operis diſtincti uitrea, uaſa eburnea etiã, & omni genere modificata ſtramenta, balſamũ & totius generis pigmenta, animalia Saxonibus antea inuiſa, leones & camelos, ſimias & ſtruthiones: omniumq́; circumquaq; Chriſtianorũ in illo res atq; ſpes ſitæ. Luidulfus aũt filius imperatoris, quum fidem uult ſeruare amicis, patria ceſſit, Italiamq́; cum eis adijt:

Luidulfi mors

quo agente annũ ferè totum, diem extremũ obijt, toti Francorum imperio relinquens ſuo uulnere uulnus durum. Funus autẽ eius à militibus debito honore curatum, & ab Italia Mogonciã corpus tranſlatum, in baſilica Albani martyris ſepultũ eſt, cum luctu & planctu multorũ populorũ. Reliquit poſt ſe filium patris uocabulo inſignitum. Literę autem obitus eius allatæ ſunt imperatori, quum eſſet in militia qua militauit contra Redarios: qui ſatis plurimum lacrymarũ pro filij interitu fudit: de cætero, qui adhuc ordinauit imperium ſuum, rectori omnium deo fideliter cõmiſit. Eodem tempore Vuigmannus ſciens Saxoniã bellatoribus uacuã, à Gallia profectus Saxoniã occulte intrauit, domum coniugemq́; reuiſit, inde ſe iterum alienigenis immerſit. Ecbertus uero interuentu magni pontificis Brunonis in gratiã recipit. Ductus exercitus cõtra Vuigmannũ tertia uice, uix obtinuit ut in fide Geronis filijq́; ſui ſuſciperet, ipſiq́; apud imp. obtinerent, quo patria coniugiſq́; patrimonio cum gratia imperiali frueret. Iniuſſus ſacramentũ terribile dedit, ſe contra imperatorẽ, imperatoriſq́; regnum nunq́; aliquid inique cõſilio aut actu facturum. Ita fide data in pace eſt dimiſſus, & bonis promiſſionibus ab imp. erectus. Peracta cæde barbarorũ, eo anno prodigioſæ res apparuere, notæ ſcilicet crucis in ueſtimentis plurimorũ. Quibus uiſis plurimi ſalubri timore perculſi, aduerſa formidabant: ijdemq́; uitia multa ex parte emendauerunt. Fuerunt & qui lepras ueſtiũ interpretarent, eo q; ſubſequẽs lepra multos mortales corrumperet. Sapientiores autẽ ſignum crucis ſalutem uictoriamq́; præfiguraſſe prædicabant: quibus & nos fidelem aſſenſum præbemus. Eo tẽpore imp. & ipſe ægrotare cœpit, ſed meritis ſanctorum, quibus fidele iugiter obſequiũ præbet, maximeq́; patrocinio inclyti martyris Viti, cui aperuit os ſuum, de infirmitate cõualeſcit, & mũdo ut ſol lucidiſſimus poſt tenebras ad omnẽ decorem & delitias condonatur. Rebus igitur rite compoſitis per omnem Franciam Saxoniamq́; & uicinos circumquaq; gentes, Romã ſtatuens proficiſci, in Longobardiam perrexit. Ergo qualiter regem Longobardorum Berengarium duobus annis obſeſſum, cum coniuge & filijs captum in exilium deſtinauerit, Romanos duobus prælijs uicerit, Romam expugnauerit, duces Beneuentorum ſubiecerit, Grȩcos in Calabria Appuliaq́; ſuperauerit, in terrã Saxonia uenas argenti aperuerit, imperiũq́; cum filio quammagnifice dilatauerit, noſtræ tenuitatis non e ſtedicere; ſed ut in initio hiſtoriæ prædixi, in-

Redarij

Vuigmanni iuſiurandum

Cruces in ueſtibus

xi, in-

xi,in tantum fideli deuotione laborasse sufficiat. Cæterũ erga tuam claritatẽ serenitatemq́, quam patris fratrisq́ celsitudo patriæ ad omnem honorẽ nobisq́ ad solatium reliquit,magna deuotio opus humile magnificet. At finis ciuilis belli terminus sit libelli. Enimuero donatus patriæ Vuigmãnus,æquanimiter se continuit,donec imperatoris aduentũ sperauit. Quum eius reuersio differret,ad aquilonares partes se contulit,quasi cum rege Danorũ Haraldo bellum ab integro machinaturus. At ille mandauit ei, si ducem necasset, uel aliũ quemlibet principũ,nosset sine dolo quũ sibi sociare uellet, aliter rem fraudulenter agitasse non dubitaret. Interea ab emptore prætereunte latrocinia eius produnt̃,sociorumq́ alij comprehensi, & tanq̃ contra publicã rem agentes,à duce damnati strangulo uitam ꝑdiderunt. Ipse aũt cum fratre uix euasit. Dani antiquitus erant Christiani, sed nihilominus idolis ritu gentili seruientes. Contigit autem altercationẽ super cultura deorũ fieri in quodam cõuiuio rege præsente, Danis affirmantibus Christum quidem esse deũ,sed alios eo fore maiores deos,qppe qui potiora mortalibus signa & ꝓdigia per se ostenderẽt. Contra hæc clericus quidã,nũc uero religiosam uitã ducens,episcopus,nomine Poppa,unum uerũ deum patrem cum filio unigenito domino nostro Iesu Christo & spiritu sancto, simulacra uero dæmonia esse & nõ deos,testatus est. Haraldus aũt rex,utpote qui uelox tradit̃ fuisse ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat si hanc fidẽ per semetipsum declarare uelit. Ille incunctanter uelle respõdit. Rex uero custodire clericũ usq́ in crastinum iubet. Mane facto ingentis põderis ferrum portare iussit. Confessor Christi indubitanter ferrũ rapit,tam diuq́ deportat, quo ipse rex decernit: manũ incolumem cunctis ostendit: fidem catholicã omnibus probabilẽ reddit. Ad hæc rex conuersus,Christum deũ solum colendum decreuit,idola respuenda subiectis gentibus imperat,dei sacerdotibus & ministris honorẽ debitum deinde præstitit. Sed & hæc uirtutibus merito patris tui ascribunt̃, cuius industria in illis regionibus ecclesiæ sacerdotũq́ ordines in tantũ fulsere. Gero igit̃ comes nõ immemor iuramenti,quũ Vuigmannũ accusari uidisset, reũq́ cognouisset,barbaris à quibus eũ assumpsit,restituit. Ab eis libenter susceptus longius degentes barbaros crebris prælijs contriuit. Miscã regem, cuius potestatis erant Sclaui,qui dicuntur Licicauiki,duabus uicibus superauit, fratremq́ ipsius interfecit,prędam magnã ab eo extorsit. Eo quoq́ tempore Gero præses Sclauos,qui dicunt̃ Lusiki,potentissime uicit,& ad ultimã seruitutẽ coëgit,non sine sui tamen graui uulnere,nepotisq́ optimi uiri casu, cæterorũ quoq́ quãplurium nobiliũ uirorũ. Erant duo subreguli Herimanno duci, inimicitiæ à patribus uicariæ relicti:alter uocabat̃ Selibur,alter Mistau. Selibur pręerat Vuaaris,Mistau† Addritis. Dum inuicẽ accusant̃ quãsępe,uictus tandem ratione Selibur,condemnatus est XV talentis argenti à duce. Eam damnationẽ grauiter ferens, arma sumere cõtra ducem cogitauit: sed quum ei belli

Haraldus ad rebellionem sollicitatur

Altercatio super fide Christiana

Misca
Sclaui

†al's Abotritis

ei belli copiæ non sufficerent, missa legatione postulat præsidiũ à Vuigmanno contra ducem. Ille nihil iocundius ducens, quàm aliquam molestiam inferre patruo, cito cum socijs adest Sclauo. Vt autẽ suscipitur in urbem Vuigmannus, statim urbs obsidione uallatur ab inimico. Ductus quoq; exercitus à duce, urbem obsedit: interim casu nescio an prudenti cõsilio, Vuigmannus cum paucis urbem est egressus, quasi ad extrahenda sibi de Danis auxilia. Pauci dies intererant, dum uictus bellatoribus & pabulum iumentis defecerant. Fuerunt etiam qui dicerent Sclauum speciem quidem belli gessisse, non uerum bellum: incredibile omnimodis fore, hominem à puero bellis assuetũ bellicas res tam male præparatas habuisse: sed id consilij machinatum ducẽ, ut quoquo pacto posset nepotem uinceret, ut saltem in patria salutẽ recuperaret, quam inter paganos penitus perdidisset. Fame itaq; urbani ac fœtore pecorum aggrauati, urbe egredi sunt coacti. Dux Sclauum austerius alloquens, de perfidia & nequam eius actibus arguit: hoc quoq; ab eo responsi accepit, Quid me, inquit, de perfidia arguis? ecce quos nec tu, nec dominus tuus imperator uincere potuistis, in ea perfidia inermes assistunt. Ad hæc dux conticuit, eum suæ ditionis regione priuans, filio ipsius, quem antea obsidem accepit, omni ipsius potestate tradita. Milites Vuigmanni uarijs pœnis afflixit: urbis prædam suis militibus donauit: simulacro Saturni ex ære fuso, quod ibi inter alia urbis spolia reperit, magnum spectaculum populo præbuit, uictorq; in pátriam remeauit. Audiens autem Vuigmannus urbem captam, sociosq; afflictos, ad orientem uersus iterum se paganis immersit, egitq; cum Sclauis, qui dicuntur Vuloini, quomodo Misicam amicum imperatoris bello lacesserent: quod eum minime latuit. Qui misit ad Boluzlauum regem Bohemorum: gener enim ipsius erat: accepitq; ab eo equitum duas acies. Quumq; contra eum Vuigmannus duxisset exercitum, pedites primũ ei immisit. Quumq; ex iussu ducis paulatim coram Vuigmanno fugerent, à castris longius protrahitur, equitibus à tergo immissis, signo fugientes ad reuersionem hostium mouet. Quum ex aduerso & post tergum premeretur Vuigmannus, fugam inire tentauit. A socijs igitur arguitur sceleris, quia ipse eos ad pugnam instigauerit, fidensq; equo quum necesse fuerit fugam facile inierit. Coactus itaq; equo cessit, pedestris cum socijs certamen inijt, eoq; die uiriliter pugnans armis defenditur. Ieiunio autem & longiori uia, qua per totam noctem armatus incessit, mane cum paucis admodum areã cuiusdam fessus intrauit. Optimates autem hostium quum eum reperissent, ex armis agnoscunt, quia uir eminens esset, interrogatusq; ab eis quisnam esset, Vuigmannũ se esse professus est. At illi arma deponere exhortati sunt: fidem deinde spondent, saluum eum domino suo præsentari: hocq; apud ipsum obtinere, quatenus incolumem imperatori restituat. Ille licet in ultima necessitate sit constitutus, non immemor pristinæ nobilitatis ac uirtutis, dedignatus est tali-

Saturni simulacrum æneũ

Vuloini

Misica

est talibus manum dare: petit tamen ut Misacæ de eo annuncient, illi uelle arma deponere, illi manus dare. Dum ad Misacam ipsi pergunt, uulgus innumerabile eum circundat, eum acriter impugnant. Ipse autem quamuis fessus, multis ex eis fusis, tandem gladium sumit, & potiori hostium cum his uerbis tradidit, Accipe, inquit, hunc gladium, & defer domino suo, quo pro signo uictoriæ illum teneat, imperatoriq; amico transmittat, quo sciat aut hostem occisum irridere, uel certe propinquum deflere. Et his dictis conuersus ad orientem, ut potuit patria uoce dominum exorauit, animamq; multis miserijs & incommodis repletam pietati creatoris omnium effudit. Is finis Vuigmanno, talisq; omnibus ferè, qui contra imperatorē arma sumpserunt. Imperator itaque acceptis armis Vuigmanni, de nece eius iam certior factus, scripsit epistolam ad duces & præfectos Saxoniæ in hunc modum. *Misacæ* *Vuigmanni mors*

Otto diuino nutu Imperator Augustus, Herimanno & Thiederico ducibus, cæterisq; publicæ rei nostræ præfectis, omnia amabilia. *Epistola Ottonis*

Deo uolente salus omniaq; prospera planè succedunt. Cæterum nuncij Constantinopolitani regis, dignitate satis insignes, nos adeunt, pacem ut intelleximus admodum quærentes. Quoquo modo tamen res agatur, bello deo uolente nullo modo nos tentare audebunt. Appuliam & Calabriam prouincias, quas hactenus tenuere, nisi conueniamus dabunt. Si uero uoluntati nostræ paruerint, ut præsenti æstate coniugem cum æquiuoco nostro in Franciam dirigentes, per Fraxinetum ad destruendos Sarracenos deo comite iter arripiemus, & sic ad uos disponemus. Præterea uolumus, ut si Redares, sicut audiuimus, tantā stragem passi sunt: scitis enim quàm sæpe fidem fregerint, quas iniurias attulerint, nullam uobiscum pacem habeant. Vnde hæc cum Herimanno duce uentilantes totis uiribus instate, ut in destructione eorum finem operi imponatis. Ipsi si necesse fuerit, ad eos ibimus. Filius noster in natiuitate domini coronam à beato Apostolico in imperij dignitatem suscepit. Scripta XV Cal. Febr. in Campania iuxta Capuam. *Otto II. filius regis* *Redares*

His literis lectis in conuentu populi, in loco qui dicitur Vuerla, corā principibus & frequentia plebis, uisum est pacem iam datam Redarijs oportere stare, eo quod tunc bellum aduersum Danos urgeret, & quia copiæ minus sufficerent ad duo bella pariter conficienda. Græcorum itaque legatis imperator satis credens, partem exercitus cum plerisque principalibus uiris direxit ad condictum locum, quo eis secus sponsionem legatorum puella traderetur, & cum honore filio adduceretur. Græci uero ad artes paternas conuersi (nam erant ab exordio ferè mundi plurimarum gentium domini, & quos uirtute nequibant, arte superabant) subito super improuisos, & nihil aduersi suspicantes irruunt, castra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt, quos & Constantinopolim imperatori suo præsentant. Qui uero effugere poterant, reuersi ad impetatorem quæ acta sunt nunciabant. At ille super his *Græcorum perfidia*

 commotus

commotus, ad hoc dedecus diluendum cum graui manu uiros eminentes, domesticis & externis rebus iam sæpe claros factos, Guntharium & Sigifridum mittit in Calabriam. Græci autem præterita uictoria elati, & minus cauti, ceciderunt in manus eorum: ex quibus innumera multitudine cæsa, quos supererant capientes, obtruncatis naribus nouam Romã remeare permiserunt. Tributum in Calabria & Appulia à Græcis extorserunt, taliq; uictoria illustres facti, & spolijs hostium ditati, ad imperatorem reuersi sunt. Populus autem Constantinopolitanus à suis audiens male pugnatum, consurrexerunt aduersus imperatorem suum,& machinatione coniugis propriæ cuiusdam militis insidijs occiderunt, locoq; domini militem in imperio designantes. Constitutus autem rex continuo captiuos absoluit: puellam cum magno exercitu, & claris muneribus ad imperatorem destinauit. Quã ipse statim filio tradidit, celebratis que magnifice nuptijs, omnem Italiam super hoc & Germaniam lætiores reddidit. Eo tempore quo hæc intra Italiam gerebantur, summus pontifex Vuilhelmus, uir sapiens & prudens, pius & cunctis affabilis, à patre sibi commendatum regebat Francorum imperium. Cuius mater licet peregrina, nobili tamen genere erat procreata. Hic quum audisset ægrotare cœpisse matrem imperatoris, miræ sanctitatis fœminam, nomine Mathildam, dumq; eius expectat funus, proprio funere ipsius funus præcedit. De cuius laude si aliquid dicere cupimus, deficimus: quia omne argumentum ingenioli nostri superat uirtus tantæ fœminæ. Quis enim digne possit explicare eius uigilantiam erga cultum diuinum? Omnis nox omnibus modis,& omni genere cellulam suam diuinorum carminum melodia implebat. Erat enim ei cellula ecclesiæ proxima, in qua modice requiescebat, de qua omnibus noctibus consurgens intrat ecclesiam, nihilominus cantoribus & cantatricibus intra cellulam & pro foribus, & in uia triformiter constitutis, qui diuinam clementiam laudarent atque benedicerent. Ipsa intra ecclesiam in uigilijs & orationibus perseuerans, missarum solennia expectabat. Deinde infirmos ubicunque audiuit in uicino uisitauit, necessaria præbuit, deinde pauperibus manum porrexit, deinde hospites, qui semper aderant, cum omni largitate suscepit: neminem sine affatu blando dimisit, nullum sine munusculis ferè uel necessarijs adiumentis uacuum reliquit. Sæpe uiatoribus, quos longius de cella prospexit, necessaria transmisit. Talia opera licet ualde humiliter diebus ac noctibus exerceret, tamen nihil de honore regio minuebat: & sicut scriptum est, Quamuis sederet tanquam regio circũstante populo semper & ubique, tamen erat mœrentium consolatrix. Domesticos omnes famulos & ancillas uarijs artibus, literis quoque instituit: nam & ipsa literas nouit, quas post mortem regis lucide satis didicit. Ergo si omnes uirtutes eius uelim narrare, hora deficeret: facundia Homeri uel Maronis mihi si adesset, non sufficeret. Igitur plena dierum, plena omni honore, plena

Nicephori interitus

Ottonis II. nuptiæ

Mathildæ laus & mors

re, plena operibus bonis & eleemosynis: cunctis diuitijs regalibus distributis seruis dei, & ancillis, ac pauperibus, secundo Idus Martias animam Christo reddidit. Illo quoque tempore Bernhardus, ut ab omni populo prædicabatur, suis temporibus sacerdotio dignissimus, diem finiuit extremum. Piam famam super his nemo nos uituperet prodidisse, dum uero periculo non succumbimus. Audiuimus enim à quodam solitario, in spiritu nescio an manifesta uisione, animam reginæ & episcopi infinitam multitudinem angelorum cum gloria ineffabili cœlos deferre uidisse. Igitur Imperator audita morte matris & filij, cæterorumq; principalium uirorum (nam & Gero uir magnus & potens, iam antea defunctus erat) iudicauit ab expeditione Fraxineti abstinere, & dispositis in Italia rebus patriam remeare. Pulsauit quoque fama eum, quasi plerique Saxonum rebellare uoluissent: quod quia inutile erat, nec relatione dignum arbitramur. Egressus itaque est de Italia cum magna gloria, capto rege Longobardorum, superatis Græcis, uictisque Sarracenis, cum uictricibus alis Galliam ingressus est, inde Germaniam transiturus, & proximum pascha loco celebri Quidilingeburg celebraturus: ubi diuersarum gentium multitudo conueniens, restitutum patriæ cum filio cum magno gaudio celebrant. Manens autem ibi decem & septem diebus, non amplius, descendit inde ad ascensionem domini apud Merseburg celebraturus. Tristis autem illa loca perambulabat, obitu optimi uiri ducis Herimanni, qui prudentiæ ac iustitiæ, miræque uigilantiæ in rebus ciuilibus & externis, cunctis retro mortalibus æternam reliquit memoriam. Post susceptos ab Aphrica legatos eum regio honore & munere uisitantes, secum fecit manere. Tertia autem feria ante pentecosten loco deuenit qui dicitur Mimileuu. Proxima nocte iuxtam morem diluculo de lecto consurgens, nocturnis & matutinis laudibus intererat. Post hæc paululum requieuit. Missarum deinde officijs celebratis, pauperibus iuxta morem manus porrexit, paululum gustauit, iterumq; in lecto requieuit. Quum autem hora esset processit, lætus & hilaris ad mensam resedit. Peracto ministerio uespertinis laudibus interfuit. Peracto cantico Euangelij æstuari atque fatigari iam cœpit. Quod quum intellexissent principes circumstantes, sedili eum imposuerunt. Inclinantem autem caput, quasi iam defecisset, refocillauerunt, expetitóque sacramento diuini corporis & sanguinis, & accepto sine gemitu cum magna tranquillitate ultimum spiritum cum diuinis officijs pietati creatoris omnium tradidit. Transportatur inde in cubiculum: & quum esset iam sero, nunciatur populo mors eius. Populus autem pro eius laude & gratiarum actione multa loquutus, memorauit eum paterna subiectos rexisse pietate, ab hostibus eos liberasse, superbos hostes Auares, Sarracenos, Danos, Sclauos armis uicisse, Italiam subiugasse, delu-

D. Bernardi mors.

Fraxinetum

DCCCCLXXIIII

Herimanni mors

Mimleuua locus

Otto Nonis Maij moritur

bra deorum in uicinis gentibus destruxisse, templa ministrorum'que ordines constituisse, multáque alia bona inuicem conferentes, regali funeri insistebant. Mane autem iam facto, licet iam olim unctus esset in regem, & à beato Apostolico designatus in imperatorem, spei unicæ totius ecclesiæ, imperatoris filio, ut initio certatim manus dabant, fidem pollicentes, & operam suam contra omnes aduersarios sacramentis militaribus confirmantes.
Otto II. Igitur ab integro ab omni populo electus in principem, transtulit corpus patris in ciuitatem, quam ipse magnifice construxit, uocabulo Magdaburg. Itaque defunctus est Nonis Maij, quarta feria ante pentecosten Imperator Romanorum, rex gentium, diuinarum humanarumq; rerum multa ac religiosa seculis relinquens monumenta. Huius anno primo, qui est à dominica incarnatione DCCCCXXXVII. Vngari Franciam & Alemaniam, & Galliam usque oceanum, Burgundiamq; deuastantes, per Italiam redierunt. Monasteria sancti Galli & sancti Bonifacij cremantur. Rudolphus rex Burgundiæ, & Arnoldus dux Noricorum obierunt.

VITICHINDI MONACHI BENEDICTINI DE REBVS gestis Saxonum ac Ottonis, aliorumq; Imperatorum, libri tertij & ultimi finis.

VITA HEN-

VITA HENRICI IIII. CAESARIS AVGTSTI, DVCIS BAVARIAE VII. PAVlo post mortem illius à quodam eius temporis conscripta.

PROOEMIVM



VIS DABIT capiti meo aquam, & fontem lacrymarum oculis meis, ut lugeam non excidia captæ urbis, non captiuitatem uilis uulgi, nō damna rerum mearum, sed mortem Henrici imperatoris Aug. qui spes mea & unicum solatiū fuit: imò, ut de me taceam, qui gloria Romæ, decus imperij, lucerna mundi extitit? Erit posthac mihi uita iocunda? erit absq; lacrymis dies aut hora? aut tecum ô dulcissime potero illius mentionē habere sine fletu? Ecce dum scribo, quod dictauit impatientia doloris, cadunt lacrymæ, madent fletu literæ, & quod notat manus, diluit oculus. Sed forsan impatientiā doloris mei redarguis: & ut fletum meum reprimam, ne forte ijs qui de morte imperatoris gaudent innotescat, instruis. Recte me doces, fateor: sed non possum imperare mihi quin doleam, non possum me continere quin lugeā, licet in me furorem suum exacuent, licet me membratim discerpere cupiant: dolor timere nescit, dolor illatas pœnas non sentit. Nec ego solus mortē eius lamentor: hanc Roma plangit, hanc omne Romanum imperiū deflet, hanc in commune diuites & pauperes, præter insidiatores potentiæ uitæq; eius lugent. Nec mihi priuata doloris causa est: publicam lamentari cladem pietas me cogit: nam illo recedente iustitia terras reliquit, pax abijt, fraus in locum fidei subintrauit, chorus laudantium deum conticuit, solennitas officij diuini siluit, uox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum non auditur: quia qui hæc omnia solenniter ordinauit, non inuenitur. Monasteria patronū suū, claustra patrem amiserunt, quibus quid commodi, quid honoris ipse conferret, nunc demum agnoscitur, quum extinctus ea non tenet. Ergo claustris omnibus uera dolendi causa subest: nam cum illo sepulto gloria eorū sepulta est. Heu Moguncia quantum decus perdidisti, quæ ad reparandam monasterij tui ruinam talem artificem amisisti: si superstes esset, dum operi monasterij tui, quod inceperat, extremam manum imponeret, nimirum illud illi famoso Spirensi monasterio contenderet, quod ille à fundo fundatum usq; mira mole & sculptili opere compleuit, ut hoc opus super omnia regū antiquorum opera laude & admiratione dignum sit. Qualem etiam ornatum ex auro, argēto, lapidibus preciosis, & sericis uestibus illi monasterio contulerit, difficile est credere, nisi cui contingit & uidere. Vobis quoq; ô pauperes uel maxima causa dolendi est: nam nunc demū pauperes facti estis, quum pauper- *Henrici ædificia*

 tatis

Largitas Henrici in pauperes

tatis ueſtræ conſolatorem amiſiſtis: ille uos pauit, ille manibus ſuis lauit, ille nuditatem ueſtram texit: non ante ianuam, ſed ante menſam eius Lazarus iacuit: nec micas, ſed regias delitias expectauit. In ipſa menſa ſaniem & fœtorem ulceroſi non abhorruit, quum miniſter menſæ contra fœtentē nares corrugaret aut obſtiparet. In cubiculo eius cæci, claudi, & diuerſis morbis confecti iacebant: hos ipſemet excalceabat, hos collocabat, hos de nocte conſurgens tegebat, nec abhorrebat uel eius tactum, quē ægritudo compulerat uſque ad ſordidandum lectum: iter eius pauperes præcedebant, comitabātur, ſequebantur: quorum curam tametſi ſuis intimis commendaſſet, ipſemet tamen eos tanquam nulli commendatos curabat: ſed & per curtes ſuas uſquequaq; ſtipendia pauperibus diſpoſuerat, quorum numerum & obitum ipſe ſcire uoluit, ut & defuncti memoriam ageret, & in eius locum alterum ſubrogatum noſſet. Sed quando ſterilitas anni famē indixit, multa milia pauenda ſuſcepit, uere memor uerbi domini præcipientis: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Quid putamus quo dolore pauperes afficiuntur, quum hæc bona quæ enumerauimus, ſe habuiſſe, & nunc non habere recogitant? Quis enim illis hanc humanitatis curam impendit? quis quærit ubi æger cubet, uel quid alimenti poſtulet? quis amplius ijs miſericordiæ officijs inſeruit, quibus Henricus imperator inſeruiuit? O uirum pietatis & humilitatis laude inſignem: imperauit mundo, pauperes illi: mundus illi, pauperibus ipſe miniſtrauit. Hæc de bono miſericordiæ in pauperes, quos multum amauit, & quod ab hominibus abſcondere non potuit, non pro dignitate facti, ſed pro facultate ingenij primo loquuti: quis enim ſcire poſſet, quæ ſolo deo teſte peregit? de alijs quoq; uirtutibus quibus claruit, aliqua dicamus: nam omnia dicere non ſufficimus. Nemo miretur, ſi luctui mortis eius, uitæ quoq; eius læta geſta immiſceam, quum hic mos dolentium ſit, ut quum extinctum amicum lugent, totam eius retro uitam & mores in augmentum doloris ſui ediſſerant. Itaq; iuuat me de eo ſcribere, iuuat indulgere dolori, & mortuū flere, qui dum uiueret gaudium meum fuit. Ille modò perſonam imperatoris, modo tanquam militis gerebat: ex uno gerendæ dignitatis, ex altero documentū præbens humilitatis. Tam ſubtilis ingenij, tamq; magni conſilij fuit, ut dum ſententia principum uel in cauſa decernendi iuris, uel in tractandis regni negocijs hæſitaret, ipſe cito nodum ſolueret, & quid æquius, quid utilius eſſet, tanquam ex ipſius arcano ſapientiæ ſumptum edoceret. Intendebat aliorum uerbis, ipſemet pauca loquebatur: nec prior ad ſententiā erumpebat, ſed aliorū expectabat. In cuius uultum aciem oculorum ſuorum fixiſſet, eius animi motus perſpiciebat, uidebat tanquam lynceis oculis ſiue aduerſum ſe cor odij, ſeu gereret amoris. Nec illud laude uacat, quod in turba procerū cæteris eminentior & maior ſeipſo uidebatur, & quod in uultu terribile quoddam decus præ ſe

ferebat,

ferebat,unde intuitus aspicientium tanquam fulmine reuerberaret,quum inter domesticos suos, & raram turbam uultu placidus, & statura æqualis appareret. Non solum potentes imperij sui metuebant eum,sed & reges orientis & occidentis adeo fama eius perterruit, ut ante tributarij sint facti quàm uicti. Ipse rex Græciæ ut metum dissimularet,amicitiam eius expetebat, & quem futurum hostem timuit, muneribus ne fieret hostis præuenit. Testatur hoc aurea tabula Spirensis altaris, tam artis nouitate, quàm metalli pondere miranda, quam rex Græciæ, dum imperatoris uotum & studium circa Spirense monasterium feruere cognosceret, nobile donum, & tam eo qui misit,quàm cui mittebatur dignissimum transmisit. Sed & rex Aphricæ, quia potentiam imperatoris multum timuit,eius fisco multum addidit.Oppressores pauperum oppressit, raptores in direptionem dedit, contra se contumaces, contraq; suam potentiã se leuantes adeo retudit, ut in posteris eorum regiæ uindictæ uestigia uel hodie cõpareant: quo nimirũ facto & suis in præsenti,& imperij rebus in futurum prouidit, ut discant non disturbare pacem, non armis imperium uexare. Hic uelim abrumpere stylum: nam uentum est ad factiones,ad fraudes,ad scelera,de quibus uera scribere periculum,falsa crimen est: hàc lupus, hàc canis urget. Quid igitur faciam? eloquar an sileam? manus incipit & dubitat,scribit & renuit,notat & delet, ut penè ignorem quid uelim: sed turpe est inceptam materiam mutilatam relinquere, & caput absque membris pinxisse. Pergam igitur ut cœpi, constans & securus inde quod fides tua ea mihi spectata est, ut hæc scripta nulli detegas, aut si quà foras exierint, autorem non prodas.

Rex Grætiæ

Rex Aphricæ

HENRICI IIII. CAESARIS AVGVSTI VITA.



Vum imperator Henricus, de quo nobis sermo est, patri suo gloriosissimo imperatori tertio Henrico adhuc puer succederet in regnum (nam illo paruulo pater naturæ concessit) regno priorem statum adhuc tenente, non bella pacem disturbabant non classica quietem rumpebant, non rapina grassabatur, non fides mentiebatur: adhuc iustitia sui uigoris,adhuc potestas sui iuris erat. Hunc beatum regni statum Agnes imperatrix serenissima, uirilis ingenij fœmina, multum iuuit,quæ unà cum filio rempublicam pari iure gubernauit. Sed quoniam ætas immatura parum timori est, & dum metus languet audacia crescit, pueriles anni regis multis suggerebant animum sceleris. Igitur quisque nitebatur maiori se æqualis, aut etiam maior fieri: multorum´que potentia scelere creuit. Nec legis metus ullus erat, quæ sub rege paruulo paruam autoritatem habebat. Et ut omnia licentius facere possent, primo puerum matre spoliabant, cuius maturam sapientiam, graues´que mores metuebant, illud causantes, non decere

Agnes

regnum administrari à fœmina, quum multę reginæ legantur administrasse uirili sapientia. Sed postquam rex puer de sinu matris abstractus, in manus principum nutriendus uenit, quicquid illi præscribebant faciundum, ut puer fecit: quem uolebant exaltauit, quem uolebant deposuit, ut regi suo non tam ministrasse, quàm imperasse merito dicantur. Quũ regni causam tractabãt, non tam regni, quàm suæ causæ consulebant: idq; præcipuum eis fuit in omnibus quæ agerent, ante omnia suum quæstum facere. Fuit hæc perfidia uel maxima, quod eum quasi sub sigillo seruandum in puerilibus actis suæ potestati relinquebant, ut & sic elicerent ab eo quod affectabant. Sed quum in eã ætatis & ingenij metã euasisset, ut quid honestũ, quid turpe, quid utile, quid non, discernere posset, retractans quæ suggestione principum inductus gessisset, multa quæ gesserat damnauit: & ipse iudex sui factus, ex ijs mutanda mutauit. Prohibebat quoq; bella, uiolentiã, & rapinas: nitebatur pulsam pacem & iustitiam reuocare, neglectas leges restituere, & sceleris licentiã resecare. Quos assuetos sceleri, per edictum coërcere non potuit, per censuram legis & ius curiæ, mitius tamen quàm culpa exigeret correxit. Quod illi non iustitiam, sed iniuriam putantes, & qui legem abiecerant lege cõstringi, & qui per omne nephas ruebant, frena pati respuentes, qualiter eum uel extinguerent, uel priuatum facerent, consilijs incumbebant, nõ recolentes se debere ciuibus suis pacem, regno iustitiam, regi fidem. Igitur Saxones gens dura, bellis aspera, tam præceps ad arma quàm audax, uendicans sibi prerogatiuam laudis ex incepto furoris, repente super regem armis ruebant. Qui cum paucis contra innumeros armatos confligere periculosum existimans, uix elapsus uitã laudi, salutem fortunæ prætulit. Itaq; uidentes inceptum suum uotis non respondisse, ossa filij regis: necdum enim imperator factus erat (ô inhumanam mentem, ô probrosam uindictam) effodere. Qua utraque iniuria grauissima rex commotus, exercitum contra gentem illam duxit, conflixit, uicit: uicit inquam, aciem contra se instructam, non obstinationẽ erectam: nam licet eos in pugna congressos uinceret, uictos fugaret, fugatos persequeretur: licet bona eorum deuastaret, munitiones euerteret, & omnia quæ uictori libent faceret, non tamen ad deditionem cogi potuerunt. Iterum quum inde digressus reparato in breui exercitu eos inuaderet, diffidẽtes uiribus suis, utpote in priori bello grauissime contusis, quod saluti proximum erat, se dedidere, sperantes regem sola deditione contentum, gratiam suam facile donaturũ. Sed longe præter spem euenit: nã rex eos exilio addictos, in alienas terras misit, ubi dura custodia constricti, relaxationis edictum expectarent. De quo exilio alij fuga elapsi, alij propter pecuniam à custodibus dimissi, dum ad patriã & domum suam repedassent, recenti coniuratione se inuicem obligabant, ut parati essent ante mori, quàm denuo deditione subijci. Sed & ualidior eorum coniuratio facta est, quia nonnulli Longobardorum, Francorum, Bauarorũ.

Rex puer · *Rex adolescẽs* · *De Saxonib. uictoria*

Sueuorum

Sueuorum,data & accepta fide illis cōglutinati sunt,qui regem bellis undiq; pulsarent. Videntes autem regem bellis tangi posse,non deijci:uexari,nō superari: quippe cuius robur adhuc erat inexpugnabile, ut uires eius extenuarent,cōfictis cōscriptisq; super eo criminibus,quæ pessima & immundissima potuit odium & liuor excogitare,& quæ mihi scribenti,tibiq; legenti nauseā parerent,si ea ponerē,uera falsis miscentes apud Ro.pontificem Gregoriū septimū eum deferebant,non decere tam flagitiosum,plus notū crimine quàm nomine regnare: maxime quum sibi regiam dignitatem Roma non contulerit:oportere Romæ suum ius in cōstituendis regibus reddi.Prouiderēt Apostolicus & Roma ex consilio principū, cuius uita & sapientia tanto cōgrueret honori.Qua surreptione delusus Apostolicus,simul & honore creandi regis quem sibi fallaciter obtulerāt,impulsus,regem banno innodauit,& episcopis alijsq; regni principibus, ut à cōmunione excōmunicati regis se retraherent denunciauit: se cito uenturū in Teutonicas oras,ubi de negocijs ecclesiasticis & potissimū de regno tractaretur. Quinetiā & hoc addidit : absoluit omnes à iuramento, qui fidem regi iurauerant, ut contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis displicuit (si cui displicere licet,quod Apostolicus fecit) & asserebant tam inefficaciter,quàm illicite factū quod factum est. Sed non ausim assertiones eorū ponere, ne uidear cum eis Apostolici factū refellere.Mox & episcopi,tam illi quos amor,quàm quos timor in partē regis traxerat,metuentes ordini suo,ab eius auxilio pleriq; se retrahebant:quod & maior pars procerū factitabat.Tum uero uidens rem suā in arcto sitā,inito tam occulto quàm astuto cōsilio,subitū & inopinatū iter in occursum Apostolici arripuit,unoq; facto duo peregit,scilicet & banni solutionē accepit,& suspectum sibi colloquiū Apostolici cum aduersarijs suis ipse medius intercepit.Pro imposito sibi crimine parū respōdit:qa ad accusationē inimicorū suorū,etsi uera fuisset,nō sibi respōdendū asseruit.Quid uobis profuit hoc egisse, ut banno illigaret̄,quū de banno solutus potentia sua potēter utat̄? Quid uobis profuit eū fictis criminibus accusasse, quū accusationē uestram facili responso,ut uentus puluerē,dissipauerit? Imò quæ dementia uos contra regē uestrum & orbis rectorē armauit?Nihil cōiurata uestra malignitas proficit,nihil pagit.Quē dei manus in regno firmauit,uestra deijcere nō poterit. Vbi fides quam illi iurastis? quare beneficiorum quæ regia liberalitate cōtulit in uos,obliti estis? Vtimini uel adhuc sano consilio,non furore, pœniteat uos incepti , ne fortior uobis superueniens uincat uos, & pedibus suis conculcet uos,& ea uindicta feriat,quæ futuris seculis demonstret,quid regia manus ualeat. Saltem uos ô episcopi uidete, ne pereatis de uia iusta, uidete ne transgressores promissæ fidei fiatis: alioqui quid consequatur uosipsi nostis. Igitur rex ab Apostolico digressus,benedictione pro maledictione accepta , Rudolphum ducem super se regem creatum , inuenit : qui audita re-

Calumniæ

Ro.pont. autoritas

Rudolphus

gressionis

gressionis eius fama, ante paratus ad fugam quàm ad pugnam, ante pulsus quàm uictus in Saxoniã fugit: facile est regnum accipere, difficile tueri. Sed nulli mirum sit, uirum in rebus bellicis exercitatũ & strenuum nunc fugisse: quia sæpe iustior & uictrix causa fortes in metum mittit & in fugam. O auaritiam pestem pessimã, quę bonos mores transuertit, & sępe ipsas uirtutes ad uitia trahit. Iste Rudolphus dux eximius, uir magnæ autoritatis & laudis in toto regno, ueri rectiq́ue tenax, fortis in armis: deniq́ue spectatus in omni genere uirtutũ: iste inquam, auaritia, quæ uincit omnia, uictus, & supplantator domini sui factus, fidem incerto postposuit honori. Fuere tum qui dicerent ab Apostolico eũ immissum, nec unq́ue tantæ uirtutis uirũ magis auaritiæ quàm cõsilio cessisse: & hoc in argumentũ sibi sumebant, quod Apostolicus tacuit, dum post absolutionẽ regis Rudolphus regnum inuasit, iuxta illud Comici: Qui tacet, satis laudat. Itaq́ue rex cedente Rudolpho, cuius caput, si deprehensus esset, uindex gladius digne rotaret: Bauariam, Sueuiam inuasit, & coniurationis aduersum se socios uastauit, munitiones eorũ fregit: nec tamen pro iniuriæ suæ materia se uindicabat, sed sciens in ultione freno uti, longe infra metam culpæ cohibebat habenas uindictæ. Sed Rudolphus, ut dedecus fugæ uirtutis facto recompensaret, Vuirtziburgensem ciuitatem obsedit: ubi tamen fraude magis quàm uirtute pugnatũ est. Nam quum rex ad propellendum hostem exercitum conuocasset, instructa ambarũ partiũ acie, & primis inter se prælia miscentibus, quidam equites regiæ partis mercede conducti, qui se regis lateri quasi fidi clientes applicuerant, subito in ipsum arma uerterunt: sed ære munito corpori liuorem, non uulnus inflixerunt. Heu miserrimi, quibus preciũ & sceleris causa fuit & necis, quos uno in loco & crimen inuoluit & uindicta: nam eos tot uindices dextræ in frusta concidebant, ut in eis humani cadaueris figura periret: fit tumultus, exoritur clamor, spargitur rumor regem interfectum: quo rumore perterritus exercitus fugit, hostis insequitur: & quoniam in equis equitum salus, solis peditibus miserabile fatum incubuit. Ideoq́ue uictoria quanto maioris, tanto minoris tituli fuit: sic hostis urbe capta, impositoq́ue præsidio, in Saxoniã regressus est. Quid improbe tibi profuit uel indiscreta cædes fugientis uulgi, uel fortuna captæ urbis, quum nec urbe diu, nunq́ue autẽ regno potiaris? rex enim breui pòst tempore cum exercitu reuersus, ereptã urbem recepit: nam ij quibus prouincia tuendæ urbis tradita fuerat, ex urbe profugerant. Postea Saxoniam cum exercitu sæpius ingressus, aut uictor, aut æqua manu recessit: sed ad ultimum reuersus tam notanda, quàm felici uictoria uicit: magnumq́ue mundo documentum datum est, ut nemo contra dominum suum consurgat. Nam abscisa Rudolphi dextera, dignissimã periurij uindictam demonstrauit, qui fidem domino suo regi iuratam uiolare non timuit: & tanquam alia uulnera non sufficerent ad mortem, accessit etiam huius membri pœna, ut per pœnam agnosceretur

Gregorius VII

Insidiæ Henrico tenduntur

Vuirtziburgum capitur

Periurij supplicium

sceretur & culpa. Sed & aliud notandum in illa uictoria contigit, uidelicet quod tam uictor quàm uictus exercitus: nimirũ hoc ordinante desuper diuina clementia, ut post ruinam capitis ex alterna fuga tolleretur nefas alternę cædis. Sed gens dura nec damno monita est, nec signo: quin potius ut obstinatione uinceret, quod manu non poterat, Herimannũ nouum sibi regem constituit, qui & ipse nouo modo perijt. Nam quum Saxones eum de terra sua proturbarent, quicquid illud fuerit quod eis in illo displicuit, reuersus in patriã suam portans inane nomen regis, ad Herimannũ Treuirensem episcopum se contulit, quem etiam ad ausum sentiendi contra regem inexpugnabilis munitionũ firmitas impulerat. Quanta potentia regis, qui alendus fuerat, nõ ex suis, sed ex opibus alienis? Quadam die quum iter ageret, incidit animo suo iocus ille, ut ad castellum quo ituri erant, sub specie hostium ruerent, & quæ audacia, quæ uirtus animis defendentium inesset, tentarent: quàm mirabilem uiã, quàm inopinã, sæpe inuenit quod futurum est ut fiat? Quumq; portã absq; claustris, & absq; custode repertam irrumperent, alijs qui intus erant, raptis armis uiriliter contrà procurrentibus, alijs latebras eneruiter quæritantibus, fœmina sexu, fœmina non animo, quæ in turrim euaserat, molarem in caput regis dimisit: & sic ille manu fœminea, ut mors eius turpior esset, occubuit: sed ut hoc dedecus dealbarent, fœminæ factum in uirilem personam ex composito transtulerunt. Post hanc regum fortunam in creatione regum diu hæsitatum est: & casus præteriti metus erat futuri. Vicit tandem cupiditas, & Ecbertum Marchionem ad ambitum regni forti manu impulit: qui tamen in morte sero didicit, quod alter ex alterius damnis instrui possit. Vrbs erat in Saxonia, quæ quia fortunam regis prospero ire cursu uidebat, in partes eius se conuerterat, præsumens fiduciam & ex loci sui firmitate, & ex regia subuentione. Quod indigne ferentes Saxonum proceres, urbem obsidione uallabant. Marchio uero Ecbertus, qui spe potiundi regni intumuerat, ut se accõmodaret ad id quod affectabat, maiore super omnes robore ad obsidionẽ illam ibat, præmissáque multitudine cum paucis ipse sequebatur. Quem deuiantẽ à publica uia, ne forte incideret in hostes (quis enim tam potens, qui hoste careat, aut qui hostiles insidias non metuat?) latens semita per quoddam arbustum duxit. Quàm occulta iudicia tua deus, quàm miro ordine & abscondis quæ facturus es, & aperis quę abscondisti? Iam meridianus ardor solis, equos equorumq; sessores urebat, & ut fit, sitim æstus accendebat. Præterea tam grauis sopor fessis obrepsit, ut colla somno languida penderent, & equi frenis non fessi liberam uiam carperent. Haud procul in recessu saltus solitarium molendinum conspexere, quò diuertentes sopori se dedere, misso interim molendinario, qui de uilla potum sitientibus afferret. Qui dum imposito scapulis suis utre festinaret, aliquos scutatos ad prædictam obsidionem tendentes obuios habuit, qui erant occulte fideles regis, licet ad

Herimannus

Herimanni interitus

uersæ partis. A quibus interrogatus,unde prodiret,quò tenderet,cur tam anhelus properaret,nesciens cælare quod sciebat,hospitem suum, & causam itineris indicauit. Qui stupefacti,seu metu,seu potius gaudio,uersantes inter se quid agerent, quid periculi,quidq; præmij,quid uirtutis,quid laudis,quid fidelitatis inesset, si tam magnum hostem regis ferirent: occasionem illam nō frustra sibi oblatam,maximā uirtutem per maxima discrimina probari, incitatis alternatim animis,immissis equis ad molendinū properabant.Sed peruenerunt ante uotis quàm equis. Incepta est pugna, quæ diu dura fuit & dubia,quia uirtute pares & numero congressi,hi pro laude, illi pro uita pugnabant. Regis tamen fortuna uicit:& hostis ferocissimus non in acie, sed in molendino peremptus turpiter iacuit. Felix nimium es, & multi semper nominis mola,ad quam trahit homines nō tam tuum uolubile officium,quàm fama,quæ & molendo pugnam illam narras, & narrando molis. Sic ille conuentus procerum confusus,procinctum soluit,sic ab obsidione infecto negocio recessit.Itaq; res regis in altiorem & feliciorem statum se quotidie promouebant: aduersariorum autem eius deorsum uergebant,& omne eorum inceptum in turpem exitum desinebat. Quum ergo cernerent nullum se habere successum, nec in armis,nec in electione regum ,iterū se conuicijs armauerūt, & eum apud Apostolicū prçter alia multa & nephanda criminati sunt,quod reges Christianissimos,quos ipsi non sine autoritate Apostolici creassent,ille ob crimen suum extorris à regno factus occidisset,regnum sanguine usurpasset,igne,præda,ferro cuncta uastasset, & tyrannidem suam aduersus ecclesiā & regnum omnibus modis exercuisset. Ad quorum criminationem Apostolicus eum iterum banno,ut ipsi iactabant,illigauit: sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eo q; non rationis,sed arbitrij: non amoris, sed odij esse uideret.Cernens autem rex Apostolicū ad hoc tendere, ut se regno priuaret,nec alia sui obedientia contentū, nisi ut regno renunciaret, ex obedientia in rebellionē,ex humilitate in tumorē,relabi coactus,hoc Apostolico facere parabat,quod Apostolicus sibi faciendum intenderat. Cessa obsecro, rex gloriose,cessa ab hoc molimine,ut ecclesiasticū caput de suo culmine deijcias, & in reddenda iniuria te reum facias. Iniuriā pati felicitatis est,reddere criminis. Quærebat itaq; rex causas & occasiones, qualiter eum eijceret,inuentūq; est eum Ro. sedem olim abiuratā insedisse: quam idcirco abiurauerit, quia ad eam dum archidiaconus esset, adhuc uiuente domino suo,per ambitionē aspirare uoluerit. Vtrū hæc uera sint,an falsa, parum cōperi: alij asserebant, alij figmentum esse dicebant: utrisque Roma fuit in argumentum: ijs quod Roma mundi domina,nunq; pateretur tale nephas: illis q; ea cupiditatis ancilla facile permitteret ob preciū omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est,quum incerta nec possim defendere, nec ausim affirmare. Igitur cum exercitu Romam pergebat,proterens in uia quicquid obstabat:oppida fregit,

Accusatur Hēricus apud Pont. Ro.

Bannus

Ro.cupiditatis ancilla

fregit,tumida pressit, ardua curuauit,factiones dissipauit. In cuius aduentu Roma persuasa, quæ debuerat honores, arma, tanquã Pœnus Hanibal alpes transcẽdisset,parabat, & regi suo uelut hosti portas præcludebat. Vnde rex iusta cõmotus indignatione,urbem obsidione(quã res postulabat)occlusit,& qui sibi aditum,illis exitũ negauit. Missi circumquaqꝫ,qui castella frangerent,uillas euerterent,bona diriperent:prouinciæqꝫ nocuit foris,quod Roma se clauserat intus:foris bella,intus metus erat, undiqꝫ machinæ surgebãt: hinc murũ aries pulsabat,inde miles scalis ascendere parabat. Contrà,qui in urbe erant,tela,saxa,præustas sudes,ignemqꝫ iactabant,interdũ egressi cominus cõmittebant,utrinqꝫ fortiter pugnatum est:hos causa, illos periculum fortes fecit. Quadã die,quum exercitus uterqꝫ pugna æstuqꝫ fessus,circa meridiẽ sopori se dedisset, & nec speculator(ut fortuna uoluit) uigilaret, unus ex scutarijs propius ad murum,ut pila legeret accessit:quumqꝫ erectis & intentis auribus explorasset intus neminem adesse (nam murũ & propugnacula uacua cernebat)adiutus & animi confidẽtia, & corporis leuitate,manibus & pedibus sursum enitebatur, donec tandem muri summitatem apprehendit. Tum uero quum iactatis circumquaqꝫ oculis, neminem uideret, inter spem & metũ positus,toto corporis motu socijs innuebat, uixqꝫ se à clamore quũ tardius innuentem attenderẽt, abstinebat. Qui raptis armis,& scalis properantes,citius (ut aiunt) dicto murum superantes, captam urbem sero defendentes interficiunt,capiunt,fugant. Dedignabatur iam rex reclusum portarũ aditum, ubi & sequens à præeunte tardaretur, & præcedens à sequente premeretur:sed in ultionẽ temerariæ præclusionis iussit,ut fracto muro,tam latũ sibi ingressum panderẽt,quã totus exercitus æquato iunctoqꝫ latere se simul immergeret. Igitur ubiqꝫ mors,ubiqꝫ luctus erat. Roma contremuit,dum impulsa turriũ altitudo corruit. Fugit Apostolicus, & qui omneis in periculum impulerat,omneis in periculo deseruit. Tandem Romã præsumptionis suæ pœnituit,& quæ prius meruisse poterat,ut à rege donis honoraretur,nũc ingenti pecunia apud regem uix obtinuit, ne tota subuerteretur. Mox sedatis omnibus,rex causam quur uenisset in publicũ protulit, quod de Apostolico crimen accepisset,retulit:multisqꝫ hoc ita factum cõfessis, Clementẽ papam ad electionem omnium instituit: à quo ipse cõmuni omnium fauore consecratus, Imperator & patricius factus, Romæ se per aliquod tẽpus,dum omnia in solidam reformaret concordiam continuit. Nec prætereundum,quod & relatio fidelium personarum in Teutonicas oras diffamauit,& ipsa Roma asserit. Imperator consueuerat quoddam oratorium,orationis causa frequentare,& nullum diem quin ueniret,prætermittere. Elegerat autem sibi in eodẽ auditorio locum orationi familiarẽ,ubi tanto intentius,quanto secretius orationi uacaret. Hanc eius consuetudinem,dum quidam prophanæ mentis attenderet:seu propria,seu potius aliena instimulatus nequitia, grande saxum

Romæ obsidio

Roma capta

Gregorius vij

Clemens papa

Insidiae super trabem ad feriendum desuper caput Imperatoris posuit, sublataque de laqueari tabula, quæ caput Imperatoris recte despiciebat, mittendo ponderi foramen aperuit, demisso fune sæpe explorans, ne saxum in cadendo falleret. Postquam satis exploratum est, minister doli sursum in nocte scandens, desuper obseruabat, dum Imperator staret ad orandum in loco quo consueuerat. Tamen ille alieni auidus exitij, sed nescius sui, quum pondus in caput Imperatoris libraret (Imperator autem parum se de loco mouerat) cum pondere infelix ipse pondus illæso Imperatore cecidit. Per totam Romã cito res innotuit, & plebs quæ non facile sedari potest, dum mota fuerit, inuito Imperatore, semianime corpus per rupes, per saxa tractum, in frusta discerpsit. Tum uero cuncti rem signo nõ euentui assignantes, fide & animis Imperatori deuinctiores facti sunt: & inimicum consilium non solũ illi fideles firmauit, sed & multos ex inimicis fideles fecit: sicque dum nocere studuit, profuit. Denique Imperator omnibus Romæ compositis, impositoque urbi præsidio, ne ei fidem mutaret, nouæ dignitatis apicem gerens, in Teutonicũ regnũ reuersus est. Sed nulla fortuna longa est: nam hi quos Imperator Romæ præsidio imposuerat, ægritudine correpti, quã & locus & tempus intulerat (erat enim æstas) ne uno quidem superstite mortui sunt. Tũc Roma iugo præsidij sublato, compos arbitrij sui facta, ad ingeniũ redijt, & præsumptis aduersus Imperatorem armis, pulso Apostolico alium constituit. Nam ille prior Gregorius à uita decesserat. Quod ubi Imperatori compertũ esset, iterũ aduersus Romam exercitũ promouit: sed in Italiam ueniens, quum legati à Roma pactum pacis ferentes occurrerent, & quum inimici moliminis fama sequeretur, relicto in Italia filio Conrado, iam tum regni sui hærede designato, regressus est, scilicet qui se grassanti Mathildi, & penè totam Italiã sibi uendicanti opponeret, & regnum quod futurum erat suum, de manu fœminæ tolleret. Quid facient inimici, quum insurgant in parentes ipsi filij? unde securitatẽ sibi quis promittat, quũ nec ab eo tutus sit quem genuit? cessent iã connubia: nemo sibi optet hæredem: hæres tuus erit hostis tuus. Nam nõ solum te domo tua, prædijsque spoliat, sed & uita spoliare festinat. Filius Imperatoris, quem in Italia relictũ à patre, & quam ob causam relictũ diximus, à Mathilde persuasus (quẽ enim astutia fœminea nõ subuertat, aut decipiat?) iunctus inimicis patris coronã sibi imposuit, regnũ inuasit, prophanauit ius, confudit ordinẽ, impugnauit naturã, quærebat patris sanguinẽ: quia nõ nisi sanguine patris regnare potuisset. Quod ubi ad hostes Imperatoris currens fama pertulit, exultabant, plaudebant, cantabant, laudabant factũ filij, præcipue fœminã ducẽ facti. Mittebant propere legatos, qui stimulũ animo noui regis adijcerent, & adderent oleum camino, qui pro se, sed contra se fidem & opem perpetuã iurarent, quanque dudum se tam filio quàm patri nunquã obtemperaturos coniurassent. Imperator aũt ad hanc famam tametsi intus doluit, in

Romæ rebellio

Conradus filius Mathildis comitissa

Impietas in parentem

luit, in grauitate tamen sua se foris tenuit: & non suam, sed filij fortunam conquestus est. Quũ autem eum ab incœpto reuocare nõ posset, non tam suam iniuriã ulcisci, quàm exemplũ iniuriæ per ultionẽ tollere quærens, filiũ exhæredare, & fratrem eius Henricũ adhuc puerum in regnum promouere cogitabat. Igitur multis procerum conuentibus habitis, Imperator super filio suo Conrado conquestus est: quia additus hostibus regnum inuasisset, & quod patrem non solum regno, sed & uita priuare conaretur: iniuriam suã publicã esse debere: uel si nullum ea mouerent, saltem hoc Reipub. causa præstarent, ut per uim neminem & scelus regnare paterentur: transferrent potius electionem in minorẽ filium suum, quam iure maior amisisset. Pleriq; contra nitebantur, magis utentes ingenio, quàm iusto & uero. Multi autẽ publico bono fauentes, sententiæ uotoq; Imperatoris concordabant. Tandẽ omnibus in unam sententiam coëuntibus, & concordi fauore approbantibus: Imperator minorem filium, inuasore prius ex decreto curiæ dijudicato, hæredem regni sui constituit: à quo ne & ipse abiret in uiam fratris sui, iusiurandum accepit, uidelicet ne unquã se uel de regno, uel de prædijs patris eo uiuente (nisi forte ex consensu ipsius) intromitteret. Iam tum murmur & metus erat, inter duos fratres intestina bella fore, magnamq; regni cladem futuram: sed qui omnia dispensat, hunc metum leto maioris filij sustulit: & ut regnũ in unam concordiam redire posset, occasionẽ dedit. Quibus ita trãsactis, hostes Imperatoris detruncato toties capite, nõ habentes cui adhærerẽt, pactione subacti, quod optimum erat, in pacem bella, in domesticam securitatẽ castra conuerterunt. Igitur ut ubiq; pax & tranquillitas esset, conuocatis ad curiã primatibus, pacẽ per totũ regnũ sub iuramẽto firmari fecit, & ad inhibenda mala quæ fiebãt, grauem pœnam in transgressores decreuit. Quod quidem pacis decretum, quantum miseris & bonis profuit, tantum peruersis & potentibus nocuit. Illis copiam, istis egestatem & famem intulit: nam qui in milites bona sua distraxerant, ut multo milite stipati procederẽt, & alijs armorum copia longe præstarent: hi dum sibi licentia rapinarum erepta est (ut pace ipsorum dictũ sit) egestate laborabant, cellaria eorum penuria & fames possidebat. Qui nu per spumeo ferebatur equo, contentus esse cœpit uel rustico iumento: qui nu per non aliam uestem quærebat, nisi quæ rubeo murice tincta arderet, bene secum actum aiebat, si nunc uestem, quam natura suo colore tinxisset haberet: gaudebat aurum non se iam in luto calcari, dum ferreis calcaribus inopia cogeret uti. Deniq; quicquid uanitatis, quicquid superfluitatis corrupti mores intulerant, totum penuria magistra resecabat. Oppida in ripis posita, quibus præda nauium uictum præbebat, nauta securus esuriente oppiduli præside præteribat. Mira res, nec minus ridicula: alij iniurias suas iniurijs uindicant, Imperator suas pace uindicabat. Quum autem domini cum satellitibus suis per aliquos annos hac lege stringerentur anxij, quod non liceret eis uti

Imperator exhæredat filium

Cõradi mors

Pax exosa militibus

libertate peruersitatis suæ: iterũ aduersus Imperatorem murmur mouebant, iterum super eius factis sinistrum rumorem seminabant. Quid illud (rogo) est, quod admisit? Nempe hoc erat, quod scelera prohibebat, quod pacem & iusticiam reuocabat, quod iam latro uiam non obsedit, quod sylua suas insidias non occultauit, quod nautis, mercatoribusq; liberum erat suam ire uiã, quod uetitis rapinis raptor esuriebat. Quur obsecro, uobis non aliunde, nisi ex rapto uiuere placet? Reddite agris quos ex agro deputastis armis: coæquate numerum satellitum ad mensuram facultatum: recolligite prædia uestra, quæ stulte sparsistis, ut multos armatos haberetis, & redundabunt omnibus bonis horrea & cellaria uestra: nec erit amplius necesse aliena tollere, quum quilibet ex proprio possit abundare. Sic fit, ut nec Imperator crimine denotetur, nec bellum in regno moueatur: sic fit, ut & corpori satisfacere habeatis, & animas uestras (quod felicissimũ est) saluetis. Sed nihil ago, asinũ ad lyram uoco: consuetudo mala, aut nunquam, aut uix tollitur. Igit̃ assueti rapinis, ut occasionem repetendæ consuetudinis inuenirent, mouendis iterũ bellis animum intendebant, iterum æmulũ Imperatoris reperire quærebãt. Ad quam rem filium eius maxime idoneum existimabant: itaq; ut suggestioni locum inuenirent, quæ prima decipiendi lenocinia erant, frequenter eũ uenatum secum abducebant, conuiuiorum illecebris inescabant, iocis in dissolutionem animi mulcebant, & ad pleraq; facienda, quæ adolescentia suadet, secum trahebant. Deniq;, ut fit inter adolescentes, quodam soliditatis glutino uincti sunt, ut etiam fidem, dextramq; mutuis sacramentis darẽt. Quum ergo eum multis dolis irretitum decipi posse considerarent, quadam die inter alia tanquam ex obliquo patrem eius in mentionem adducebant: se mirari quod tam durũ patrem pati posset: nihil eum à seruo differre, quum omnia quæ serui sunt toleraret: patrem eius senem esse, & moderandis regni habenis inualidũ: si inuestituram regni usq; ad obitum eius differret, haud dubium quin alter illud sibi præriperet: illum multos fautores habiturum propter inuidiam & odium patris sui: se autem omnium uota in se transferre, si non cunctaretur suscepti regni gubernacula possidere, maxime quum patrẽ eius excõmunicatũ, & ecclesia dudum abiecerit, & proceres regni reprobauerint: nec sibi obseruandum, quod incaute iurauerit, imò tum demum se sanctificasse, si iuramentum excõmunicato iuratum irritũ faceret. Pater uero de filio nihil mali suspicatus, familiaritatẽ eius cum maioribus regni probauit, sperans eos sibi postmodum tanto fidelius & ualidius auxilium ad obtinendum regnũ laturos, quanto prius inuicem in amore magis coaluissent. Quid multa? statim illectus, & abstractus à concupiscentia, malignæ suggestioni (ut semper seductilis est adolescentia) nec uoto defuit, nec facto. Igitur filius Imperatoris obseruans tempus recedẽdi à patre, quando id maximo patris incõmodo fieret, euntẽ illum cum exercitu cõtra quosdam Saxonũ rebelles, qui per

Pacis studia

Corruptela iunioris Henrici

qui per legatos obuiam Imperatori miſſos, pactioni inſiſtebant, repente abſtractis ab eo multis, deſeruit, proculdubio deſerendus ab ijs, qui ſibi, ut deſertor fieret, perſuaſerūt. Miſſis Imperator poſt eum legatis, tam lachrymis, quàm mandatis reuocauit, obteſtans eum ne ſenem patrē contriſtaret: imò ne patrem omnium offenderet, ne ſe ſputis hominum exponeret, ne ſe fabulam mundo faceret. Inſuper meminiſſet, qua ſe ſibi cautione obligaſſet: hoſtes eſſe, non amicos: inſidiatores, nō conſiliatores, qui ſibi talia ſuggeſſiſſent. Ille prorſus abnuit, & ſe nō ulterius ſecum partē habiturum, quia excōmunicatus eſſet, aſſeruit. Ita ſub ſpecie cauſæ dei, ſuam cauſam egit. Illico Bauariā, Sueuiā, Saxoniā percurrit, proceres cōuenit, attraxit omnes (ut ſunt ingenia nouarum rerum cupida) & ſubintrauit in regiam poteſtatē tanq̃ ſepelijſſet patrem. Mox caſtellum Norinberch minax obſedit, ubi quanta uirtute pugnatū ſit, clades utriuſq; partis argumento fuit. Sed obſeſſis quanto minus ſpei, tanto plus animi inerat: & niſi Imperator ſceleri parcens, caſtellum tradere præcepiſſet, adhuc ibi caſſa obſidione laboraret: excepto, ſi ſola fames, quæ cuncta expugnat, illud nō expugnaret. Ecce quanta pietas patris? Reddidit contra filij factū paternitatis affectū: nō attendit iniuriā, ſed naturam. Maluit oppidum tradi, quàm filij diſcrimine liberari: maluit eius iniurias tolerare, quàm uindicare. Igitur oppidani oblata qualem uellent pactione, oppidum tradiderūt: dimiſſoq; exercitu rex Ratisbonā ſe cōtulit, ut eam dum adhuc ancipti penderet animo, ſtabilem ſibi, fixaq; fide immobilem faceret. Quod ubi comperit Imperator (ſedit enim tunc in urbe Vuirtziburgenſi) reputans filiū, uel in itinere, uel in urbe comprendi poſſe: tam præcipiti, tamq; tacito curſu eius ueſtigia ſequebatur, ut iter eius non ante, donec non modica turba ſuorum tranſito Danubio ad urbem immiſſis equis ruerent, prēſciret. Obſtupefactus filius ad tam ſubitam & inopinatam rem, ex urbe profugit. Quur fugis non fugiendum? quur fugis patrem tuum? ſequitur te, non perſequitur: ſequitur, inquam, nō ut hoſtis, ſed ut pater: non ut perdat, ſed ut ſeruet: ſequitur ut turbatam ex te rempublicā in quietum ſtatū reſtituat, & tuis rebus in futurum proſpiciat. Miſſis illico rex nuncijs per Bauariā, & Sueuiā, ſparſum exercitū recollegit: quæ res Imperatorem, cogeret ut & ipſe exercitū, coēgit. Igitur exercitus uterq; ad fluuiū, cui Regino nomen, ſe ſibi oppoſuit: hinc pater, inde filius: hinc pietas, inde furor conſedit. Quumq; potentiores utriuſq; partis tanquā tanti diſſidij mediatores conuenirēt, qui ex parte Imperatoris erant, perſuaſibilibus illecti uerbis, & multis magniſq; pollicitationibus attracti, erga Imperatorem in fide frigebāt: & niſi domeſticā fraudem præſenſiſſet, ſolus cum paucis periculo relictus eſſet. Igitur quod faciendum fuit, ſceleri fortunæq; cedendum putauit, & ad ſimilitudinē Dauid, ne filius parricida fieret, fugit. Quàm mirabiliter gratia dei operatur, quàm euidenti ſigno nos docet, ſi doceri uellemus, ſi cæcum cor non haberemus. Cogitans

Noribergenses obſeſſi fortiter ſe defendunt

Ratisbona

Regino flu.

Imperator, quod inimici sui hàc, quâ uenerant persequerentur eum, ad ducem Bohemiæ diuertit, qui quamuis nuper eum in arto non bene reliquisset, cum magno tamen honore suscepit, & usque in Saxoniam deduxit: ubi quamuis infestos & fortes inimicos haberet, per eos tamen & ab eis usque ad Rhenum honorifice deductus est. Vnde hoc, nisi quod manus domini erat cum eo, & inuisibilem ducem habebat, qui eum securum per tela, per hostes ducebat? Hoc miraculo monitus es ô fili Imperatoris, si moneri posses, ut disceres uenerari patrem tuum, non persequi, quem uenerati sunt quum in manus eorũ uenisset etiam inimici. Sed durius moneberis, quum ex hac tam leni admonitione non corrigaris. Quum autem Imperatoris fuga cognita esset, euentus ille multos ab eo seduxit: multumque rebus filij sui accedere, suis autem decedere fecit. Continuo rex, ut fauentem sibi fortunam urgeret, curiam Moguntinam ad natale domini indixit, inuitauit proceres, accersiuit multos, ut cunctis innotesceret, quia dominus rerum esse uellet. Ad quam curiam etiã Imperator conuocatis necessarijs suis, uenire disposuit, uolens in ratione ponere rectène secum an secus actum esset. Quod quũ agnouissent aduersarij eius, metuentes sibi & causæ suæ si ueniret ille, tam armatus multitudine, quàm ratione, hanc fraudem regi suggerebant, ut obuius patri sumpto ualde pœnitentis uultu culpam fateretur, & gratiam expeteret, dolere se, quod malignæ suggestioni consensisset, paratum se ad omnem satisfactionẽ, dum gratiam inueniret. Et si sic occasionẽ fraudis inuenire posset, uteretur illa: sin aũt non, fraus ipsa pro fide, simulatio teneretur pro ueritate. Hac instructus arte, quũ uenisset ad patrem, pater credulus uerbis & lachrymis filij, irruit super collũ eius, flens & deosculans eum, gauisus instar illius euãgelici patris reuixisse filium, qui mortuus erat, & inuentum qui perierat. Quid multa? condonauit filio tam pœnam quàm culpam: & hoc fuit illi iniuriam filij uindicasse, paterna lenitate filium corripuisse, iuxta illud Comici, Pro magno peccato filij, paululum supplicij satis est patri. Post hæc patrem, sicut ficta pœnitudine, sic & consilio fefellit, suggerens ei quemadmodum sibi suggestum fuerat, ut dimissa tanta multitudine, ad curiã ambo mediocri copia uenirent: nihil esse quum ipsi coijssent in concordiam, quod illi resisteret, uastari omnia si pergerent ea copia. Placuit consilium patri: bonum quidem, si fraudulentum non fuisset. Dimissaque multitudine, non plus quàm trecentis uiris ad curiam filio comite pergebat. Ventum est ad nocturnam mansionem, ibi se filius obsequio patris totum impendebat: ibi se pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, osculabatur, auidus recompẽsare damnum oblectationis diu intermissæ: sed nescius illam oblectationis noctem ultimam esse. Mirum, fraudem, uimque, tam ordinatam fortunam habuisse. Postera namque die, quum appropinquarent Mogũtiæ, uenit nuncius subornatus, qui diceret Bauaros & Sueuos cum ingenti

Bohemiæ dux — *Crocodili lachrymæ* — *Fraudis exemplum*

ingenti multitudine Moguntiam uenisse: tunc filius suggessit Imperatori, nõ esse tutum uenire in medios hostes, nisi prætentatis eorum animis: audaciã hominum nullis regi frenis: diuerteret potius ad castellum quod iuxta erat, dum ipse cõueniret eos, & à sententia incœpti deduceret, & ad eum ob requirendam eius gratiam, secum adduceret. Fecit Imperator ut filius suggesserat: diuertit ad castellum, non cernens laqueũ doli, quem texerat pulchra species mendacis fidei. Quum autẽ Imperator cum paucis intrasset, occlusa porta, fidelibus eius aditus negabat, detectaq; fraude qui receptus est ut dominus, tentus est ibi ut captiuus. Itaque appositis patri custodibus, cum hoc fraudis triumpho, ad Moguntinam curiam reuersus, tanquam rem uirtutis egisset cum magna iactantia retulit, quo ingenio patrem comprehendisset. Tum uero curia plausu, lætíciaq; resonabat: & nephas iustitiæ, fraudem uirtuti ascribebant. Statim misso legato, patri mandauit, ut si uitam seruare uellet, absq; mora sibi crucem, coronam, & lanceam, cæteraq; regalia transmitteret: & munitiones quas firmissimas tenebat, in manũ eius transferret. Nec ille cunctabatur omnia quæ iussus est facere, nec imperiũ pluris habebat quàm se. Sed nõ in hoc satis fecisse uidebatur, nisi & ipse coràm ueniret, & in cõspectu omnium imperio renunciaret. Venit ergo non suæ potestatis, sed in comprehensione adductus: solus coram eis, qui dudum coram se steterant, stetit: nec rationis libertatem habens, ut captiui fortuna postulabat, loquebatur. Inquisitus de spontanea imperij renunciatione, nõ quod uolũtas habuit, sed quod necessitas coëgit respondit: se uidelicet imperio renunciare, non ui coactum, sed propria uoluntate inductũ, sibi iam defecisse uires ad moderandas regni habenas, non se eius iam cupiditate teneri, quod longo usu didicisset, habere plus molestiæ quàm gloriæ: tempus esse, ut honore cum onere deposito prouideret animæ suæ: tantum filius suus caueret, ne quid tale faceret in se, quod indignum esset, & illum facere, & se pati. Multos & oratio Imperatoris, & fortuna ad gemitus & lachrymas cõmouit: filium autem ad miserationem nec ipsa natura mouere potuit. Et quũ caderet ad pedes filij, orans ut recogitaret in se saltem ius naturæ, nec uultum, nec animum ad patrem reflexit: quũ ipse potius ad proprios pedes aduolui debuisset, eo quod illi regnum (cuius hæres ab ipso designatus fuerat) impatiens moræ præripuisset. Præterea ueniã precabatur ab omnibus, quos unquam iniuste læsisset: sed & pedibus Apostolici legati aduoluitur, orans & obsecrans, ut se à Banno solueret, & communioni ecclesiæ redderet. Laici misericordia commoti, ueniam dabant: legatus autem domini apostolici absolutionem negabat, asserens non hoc suæ potestatis esse: oportere ab ipso apostolico absolutionis gratiam eum expectare. Quid multa? abrenunciata imperiali dignitate priuatus discessit, & ad quandam ciuitatem, quam filius uictui illius permiserat, recessit. Quàm impotens potentia mundi, quàm incerta, quàm instabilis? sed nec potentia dicenda est,

Henricus capitur à filio

O scelera

quæ ad omnia quæ uult, efficax non est: & quam qui assequitur, amittere potest. His ita transactis, finitaq; curia, rex superiores Rheni regiones & urbes pertransit: &, ut res postulabat, hos beneficio, illos iniuria sibi subiecit. Quum autem intrasset Alsatiam, ibi fortuna eius aliquantulum hæsit, ibi pugnam tam infelici euentu, quàm imprudenti gessit incepto. Nam quum in uilla Rufach, quæ multitudine præualet & armis, satellites eius superbe grassarentur, frequentia ciuium iniuriam prohibebat: nec enim dum iniuria modum excederet, patiens esse poterat. Audito tumultu, rex properabat: non ut iniuriam prohiberet, sed iuuaret: non ut pugnam sedaret, sed amplius commoueret. Quæ res totius uillæ turbam exciuit: ruit irreuocabile uulgus, fœmina cum uiro, seruus cum domino, ignauus cum forti, & ut plerunq; fit, animum iniuria ministrauit. Incœpta pugna, incœpta est fuga: nã qui regiæ partis erant, quũ uiderent impetum furentis turbæ, & rem in arto sitam, considerantes in uirtute sua cladem, in sola fuga salutem, qui poterant fuga uitam seruabant. O infelicem euentũ, ô dedecus regni: fugiente rege, regalia insignia uulgi præda facta sunt. Resipisce tandem rex bone resipisce, & supernã iram in hac sorte tua recognosce. Iudicium irę dei est, ut fugeres, qui patrem fugasti: & insignia perderes, quæ patri abstulisti. Sed his postea receptis interueniente pacto pacis & gratia ueniæ, regem sententiam mutare fecit altum uulnus iniuriæ, ut maiori robore collecto, uillam incendio, prædaq; uastaret, & in homines loci illius indiscreta cæde sæuiret. Sed quod in se fortuna tantum ausa est ex patris consilio prodisse suspicatus, nouas iniuriarũ cogitationes in eum cogitare cœpit: & ne sibi esset obstaculi materia, uel ad comprehensionẽ eius, uel ad expulsionem animũ intendit. Itaq; Leodij, ubi eum fidem, & fortunæ suę receptaculũ inuenisse audierat, pascha sibi celebrandũ statuit, ut & ipsum, si fieri posset, comprehenderet, & ab episcopo, qui sui honoris æmulum recepisset, iniuriam expostularet. Quumq; pater uidisset, quod filius Leodij pascha celebrandum statuisset, legationem ad eum in hunc modum direxit. Si interrogem te fili dulcissime, traditio hominum an mandatũ dei præstantius, magisq; tenendum sit: respondebis, nisi à uero deductus sis, similem esse iumentis, qui cœlestia terrenis, humanis diuina non præferat. Quur ergo magis audis eos, qui tibi suggerũt, persequere patrem tuum, quàm uerbum ipsius dei, honora patrem tuum? Isti te decipiunt, nõ instruunt: isti honori tuo nõ prouident, sed inuident: isti sub specie fidei, perfidiæ laqueos nectunt: non aliter peruenire potuerũt ad destructionem honoris tui, nisi per destructionẽ nostri. Fuerit sanè ut peccatis meis exigentibus (quæ sententia aduersariorum meorum est) abiecerit me deus, ne regnem: attamen tuum non erat in abiectionẽ meam operam dedisse, & regnum quod tibi paraueram, mihi præripuisse. Barbara regna tam inhumanũ facinus damnant & deuouent: ipsi pagani abhorrẽt, & qui deũ nesciunt, quid in diligendis hominibus naturæ debeant,

Rufach

Rubeacum incenditur et diripitur

Leodium

Henrici ad filium legatio

beant,recognoſcunt.Sed quid mirum,ſi maligna ſurreptio ſeductilem & immaturam ætatem decepit,quum etiam ſenes,& fixum animi ſtatum,ad malum mala conſilia nõnunquam inflectant?Fortuna mea alieni potius,quàm tui ſceleris eſt.Nam tu in manibus ſuadentium eras,nõ illi in tuis. Si autem iniuriam addideris,nõ iam excuſari poteris: quũ & factam,crimen eſſe ſcias, & infectam non facere queas. Audiui enim quod paſcha Leodíj celebrandũ decreueris:quo in loco fides & pietas epiſcopi me recepit, quum nõ eſſet qui uel beneficiorum noſtrorum recordaretur,uel fortunæ compatere͂t:cuius profecto beneficijs in me te decet regia liberalitate reſpõdere: tantoq́ certior de eius fide poteris eſſe,quanto fidelius erga nos probat͂ egiſſe.Hic niſi te forte domo receperit,me ſecum in feſtiuitate paſchali retinendum decreuit. At dicis dignum & conueniens eſſe, ut ea feſtiuitas nos iungat potius,quàm diuidat:te uelle, te cupere,ut ibi tecum agam dies paſchalis lætitię:quod quidem & ego admodum cuperem,ſi non eſſet quod timerem. Neq; enim non poſſum non timere eos, quos mihi uitam permiſiſſe pœnitet, dum in manibus eorum mors & uita mea fuiſſet. Omnia mihi ſuſpecta ſunt,omnia timenda ſunt,maxime in turba, ubi tanto difficilior eſt periculi cautio, quanto maior ſceleris occaſio. Inde eſt quod ex medio eorũ qui me oderunt longe receſſi,& in extremis regni tui finibus me cõtraxi: ut uel ſeceſſu loci tutus ſim,uel ſi fortuna mea poſtulauerit extraneam humanitatem expetere, citius regno tuo cedere poſſim. Precor ergo,ut cauſa patris tui,paſchalem curiam alibi diſponas,& in domo eius qui me humanitatis gratia recepit,quũ non liceat Imperatorem,ſaltem hoſpitem eſſe ſinas:ne uel in meum ludibrium,uel in tuũ opprobrium narretur, quod in ſolennitate dominicæ reſurrectionis incerta hoſpitia fortuna mea quærere cogatur. Si feceris quod poſtulo,maximas grates habeo:ſin autem non,malo uillicus eſſe in externis regnis,quàm ludibrio haberi in regnis quondã meis. Hanc legationẽ patris aure ſurda filius audiuit,nec à ſententia ſua deduci potuit. Quam ob rem,quum iam inſtante paſcha,pater recedere uellet,epiſcopus & Henricus dux(qui & ipſe ab epiſcopo fuerat inuitatus)eum recedere prohibebant:nõ ſe poſſe pati,ut in tanta feſtiuitate pulſus è tectis hominum,ſyluas peteret latebraſq́ ferarum:illũ quidẽ abſq; cauſa deſtitutum imperio,ſed nõ amicorum obſequio: ſi pace frui permitterentur,nihil ſe magis quàm pacem uelle: ſin autem res armis agẽda ſit, arma ſibi nõ defore. Ille uero ne eis materia cladis eſſet,cedere quàm manere utilius aſſerens:tandem eis quum importunius inſtarẽt,conſenſit:& ut poſtulabant,manſit. Iamq́ multus equitatus faciẽ regis longe præcedẽs ad pontẽ fluuíj,qui uocat͂ Moſa uenerat: & alterius ripæ crepidinẽ filius prædicti ducis cum paucis occupat. Nam turbam armatorum non longe per opportuna loca in inſidíjs locauerat. Qui ut pugnam prouocaret,nunc equum in rectam curſus lineam immiſit, nunc in orbes flexit & reflexit: & ſi pares numero

Impietas in patrem

confligere

confligere secum auderent, inquisiuit. Nec mora, transierunt ad eos totidem ex parte regis, mixtiq; intra se uario reflexu, nunc pugnam inferebant, nunc fugam agitabant. Interim unus & alter transito ponte sociorum numerũ latenter auxit, & rupto certaminis pacto, ex æquali inæqualem fecit. Quod uidens filius ducis, terga cum suis uertit, nõ tam ut fugeret quàm ut falleret: nec tam ut fugiens periculum uitaret, quàm ut sequẽtes in periculum deduceret. Hi autem, qui ex aduersa ripa erant, uisa fuga, præcipiti cursu pontem transeuntes, fugiẽtes persequebantur, ignari futuræ sortis & fraudis quæ latebat. Postquam autem uentum est ad locum ubi dispositæ fuerant insidiæ, exurgentes de insidijs, impetu magno in persequentes ferebantur. Illi autem inopino territi periculo, metuq; turbante nil rationis in armis habentes, in fugã se retorserũt. Sed quid profuit auertisse pectora, & uulneribus terga dedisse? Itaq; multi capti, multi truncati, multi occisi sunt: uictorq; cruentus nõ alium modum sceleris habebat, nisi quem fastidium faciebat. Ad pontem uero ubi fugax multitudo se coartauerat, tãto plus sceleris impia manus peregit, quanto minus constipata turba se mouere potuit. Sed multo plures fluuius absorbuit, quàm ensis hausit: nam quum hostis à tergo premeret, impellẽte metu in fluuium se præcipitabant, & attoniti confusiq;, de morte in mortẽ ruebãt. Erat ibi cernere & aliam miseriam uel maximam, quum pons multitudine prægrauatus repente corruit, & fluuius homines, equosq; pariter inuoluit. Nulli locus erat euadendi, nulli profuit ingenium natandi: nam aut armorũ pondere, aut inhærentium connexione fatigatus, in profundum trahebatur. *Parasceue* Quod malũ, ut scelestius esset, in ipsa die Parasceues contigit, creuitq; magnitudo sceleris ex reuerẽtia temporis. His itaq; transactis, rex iter Coloniã conuertit: sed quũ illa quoq; aditũ sibi præclusisset, in uilla quę dicitur Bonna, dominica tantũ paschæ peracta, Moguntiam festinus redijt: & sparsis ubiq; legatis, querimoniã ad proceres in hunc modũ direxit, Si per inuasionẽ regnũ occupassem, tamen resistentes potestati nostræ retunderẽ inquantũ possem. Nũc aũt quum in sumpta regni dignitate uestris paruerim præceptis, ausus est quispiã impune in publicam contumeliam, regnum & nos armis uexare. Quum enim Leodiũ ituri, ubi nobis curia paschalis habẽda fuerat, ad fluuiũ Mosam uenissemus: episcopus Leodiensis, & dux Henricus, de quorũ fide & obsequij deuotione multum præsumebamus, nobis latenter insidias posuerant, & nostros inscios & ad pugnam imparatos cædebant, capiebant, fugabant: quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre, quàm inultum dimittere. Igitur constrictus & euentus asperitate, & temporis articulo, Coloniam diuerti. Quæ quum me recipere satis superbe refutaret, apud uillã *Bonna* Bonnam sanctum diem paschæ utcunq; peregi. Cui unquam regiæ personæ tanta contumelia facta est? Nec solum me petit hæc contumelia, uos despecti estis: isti præsumptores decreta uestra autoritatem habere nolunt, sua tantũ

statuta

ſtatuta firma eſſe uolũt. Deniq; in quos totũ regni pondus ſe reclinet haberi cupiunt. Regẽ quem conſtituiſtis deſtituere parant, ut nihil eorum, quæ uos decernitis ratum ſit. Igiť hæc iniuria mea regni potius eſt, quàm mea. Nam unius capitis licet ſummi deiectio, reparabile regni damnum eſt. Principum autem cõculcatio, ruina regni eſt. An hæc impune feremus? & ex ignobili patientia noſtra, magis tumebit eorum ſuperbia. Abſit, ut qui dicimur inhonorati, dicamur & inulti. Pauca dixiſſe ſat eſt: deſides animi prolixæ cohortationis ſtimulo opus habent, cauſa magis ad incitamentum facit quàm uerba. Quia igitur contra tam ſuperbos hoſtes R. P. uiribus utendum eſt, expeditionem uobis & rogando præcipimus, & præcipiendo rogamus. Cuius collectioni & tempus Calendas Iulias, & locum Vuirziburgenſem urbẽ præfinimus. Quũ ergo audiſſet Henricus dux & Colonienſes cum Leodienſibus, quod ſuper ſe rex exercitũ ducere uellet, arma parabant, copias colligebant, urbes firmabant, & ad reſiſtendum pari uoto ſtudioq; ſe accingebãt. Sed & Imperatorẽ conſilijs & precibus urgebant, ut imperialẽ dignitatẽ quam non ratione conuictus, ſed ui ferroq; mortem intentante coactus dimiſiſſet, reſumeret: ſe ſibi nec armis defore, nec animis: multos illum in breui fautores habiturum, quia multi multum abominarentur tam inſolitum facinus & inhumanum. Quorũ importunitati hac ille ratione reniti cœpit: impoſſibile eſſe amiſſum imperium armis repetere, quod poſſeſſum armis retinere nequiuiſſet: illud ſibi nõ eſſe tanti, ut multorum exitio recipiendũ exiſtimaret: beatius ſibi & tutius fore, ut priuatus licet indigne deiectus uiueret. Sic utrinq; data redditaq; ratione, quum inſtare nõ deſinerẽt, ne benignitatẽ circa ſe remoueret à ſe, nec ad integrũ cõſenſit, nec abnuit, prouiduſq; futuri, præcipites eorũ animos ſpe dubia ſuſpendit. Igitur primo Coloniam, quæ primum impetũ latura fuerat, uallo turribuſq; muniebant: & congeſtis belli ſtipendijs, impoſitoq; præſidio, periculum ſuum fortibus animis expectabant. Sic & alias urbes quas inuadendas credebãt, munitione, machinis, & robore militum firmabãt: ſed & edictum ſub comminatione crudeli ubique ſpargebant, ut aduerſus exercitum in magna ſuperbia ſuper ſe uenturum parati eſſent, & patriam libertatem, uitamq; defenderent, neu ſinerent uxores ſuas corruptionis ludibrio ſubſterni, uel agros in alienos dominos diſtrahi. Iã rex Rhenũ cum exercitu ualido tranſierat, & primo Coloniam, quæ quaſi caput inter alias urbes eminebat, magno impetu inuaſit: reputans ſe ſibi membra facilius ſubijcere contrito tam ualido capite. Sed res longe præter ſpem euenit: nam cruenta repulſa retroacti, procul locatis caſtris urbem obſidione uallabant. Magis autem dixerim obſeſſores ab obſeſſis obſeſſos: nam præreptis ſibi nauibus quæ per Rhenum deſcendentes exercitui commeatum portabant, premente fame quaſi quadam obſidione conſtricti laborabant. Interim ut urbẽ ab obſidione liberarent, totius patriæ robur undiq; coibat. Sed *Colonia*

Imperator

Imperator tam cruentũ facinus deteſtatus, pugnã obnixe diſſuadebat: quur eis tantus ardor pellendæ obſidionis ineſſet, quæ non niſi magna ſui clade pelli poſſet: tollerent omnem ſolicitudinem capiendæ urbis, quæ & ex firmitate murorum, & ex forti milite tutiſſima, & omni uictus genere eſſet opulentiſſima, accedente & Rheni beneficio, qui per naues delicias quas appeterent inuito obſeſſore ſubminiſtraret: ſinerent potius eos in cladem ſuam furere, & inexpugnabilem urbem, unde uulnera tantum, cæſoſq; reportarent, impugnare: ſinerent eos late uaſtare, dum ruris copia conſumpta eſurire inciperẽt: ſinerent eos graſſari, dum equos uiroſq; labor eneruaret: fore, ut uictoria ſibi paruo conſtaret, ſi paululum tolerantia & opportunitate temporis uti uoluiſſent. Sic Imperatoris hortatu à pugna reuocati, hoſtiles tantum excurſus obſeruabant, & ignaros loci paſſim cædentes, metum hoſti ne longius euagaretur, incutiebant. Omnia uero quæ prędixerat Imperator euenerunt. Quoties enim tentabant portas infringere, ariete murum perrumpere, tormentis turres deijcere, infecto negocio, uulnera tantum & funera ad caſtra reportabãt: homines & equi exhauſti, tam alimentorum penuria, quàm laboris improbitate uiribus deficiebant: nam agris in circuitu uaſtatis nihil reperiebãt: ſed nec ulterius progredi latitante in inſidijs hoſte, præſumebãt. Acceſſit his malis etiam morbus, quem fœtor caſtrorum (ut fieri ſolet) aëre uitiato concitauerat, qui non ſolum uulgus, ſed etiam ipſos principes, aut ægritudine confecit, aut leto rapuit. Huiuſmodi rerum aduerſitate fatigati, quid facturi eſſent ambigebant, quia uolentes mori, occaſionem pugnæ non inueniebant: aut ſi reditum pararent, certi quod hoſtis à tergo premeret, exercitum ſuum fuga ſpargendum metuebant. Qua tempeſtate mentis dum fluctuarent, ſubito fama ueniens, nubila tantæ perturbationis in ſerenum conuertit. Retulit enim Imperatorem mortis debitum perſoluiſſe: ad quam famam primo hæſitabant. Sed quum nuncius extremũ munus patris, anulum uidelicet & gladium cum mandatis filio portans ueniſſet, tanta lætitia oborta eſt, ut uoces gratulantium minime ſedari poſſent. Sed non minor luctus circa funus Imperatoris erat: proceres plangebant, uulgus lamentabatur: ubique gemitus, ubiq; planctus, ubiq; uox dolentium audiebať: ad exequias illas, uiduæ, pupilli, deniq; totius patriæ pauperes conueniunt, deflent ſe orbatos patre, fundunt in corpus lachrymas, deoſculantur largas manus, uix auellebantur ab amplexu extincti corporis, uix illud condendi copia dabatur. Sed nec tumulum deſerebant, ibi uigilijs, lachrymis & orationibus uacabant, plangẽdo recitantes, & recitando plangentes, quæ nam opera miſericordiæ feciſſet in ſe: quanquam mors eius plangenda nõ fuit, quam bona uita præceſſit, qui fidẽ rectam, ſpem firmam, compunctionem cordis amaram in extremis ſuis tenuit, quem nec de pudendis admiſſis publicam agere confeſſionem puduit: qui tota cordis auiditate dominici corporis cibũ ſumpſit. Felix es Imperator Henrice,

Henrici mors

Henrice,qui tales excubias,tales intercessores tibi parasti, qui nunc multipli-citer auctum de manu domini recipis quod in manus pauperum abscondi-sti: turbulentum regnum pro tranquillo, defectiuum pro æterno, terrenum pro cœlesti mutasti. Nunc demum regnas,nunc diadema portas, quod tibi nec hæres tuus præripiat,nec aduersarius inuideat. Ergo continendæ sunt la crymæ,si contineri possunt. Huic tuæ felicitati debetur tripudium,nō luctus: exultatio,non planctus: uoces gratulantium,non dolentium. Post hunc re-rum euentum hi qui contra regiam maiestatem bellum susceperant, mortua spe sua animis & uiribus deficiebant: & quod in illo rerum articulo facien-dum fuit, ad gratiam regis,deditione, pecunia, quóque modo quisque pote rat,recurrebant.

Ecce habes de gestis,de expensis in pauperes,de fortuna,de obitu imperatoris Henrici,quæ sicut nō poterant absque lacrymis à me scribi, sic non poterunt absque lacrymis à te legi.

VITAE HENRICI IIII. CAES. AVG. FINIS.

EPISTOLAE ALIQVOT HENRICI IIII, CAES. AVG. AD PONTIFICEM RO. ET ALIOS PRINCIPES.

HENRICVS DEI GRATIA REX ANNONI COLO-niensi Archiepiscopo gratiam,salutem,dilectionem.



IN maximis negocijs maximis maximorum opus est consi lijs,qui & facultatem habeant exterius,& uoluntate non ca reant interius, ut rei cui bene cupiunt, bene consulere & ue-lint & possint. Quia in cuiuslibet rei profectu nec facultas sine uoluntate,nec uoluntas sine facultate proderit:quod u-trunq; tu fidelissime,ut arbitramur, æqualiter possides, uel ut uerius dicamus,licet maximo tibi maxima nō desit facultas, maior tamen adhuc maxima facultate(si te bene nouimus, si fidem tuam diligenter nota-uimus) in nostram & regni utilitatem tibi exuberat uoluntas: de præteritis enim fideliter exhibitis,in futuris crescit spes fidelius exhibendis. Tuæ autē dilectioni committimus,ne spes nostra maior sit fide tua: quia de nullius re-gni principum uel episcoporum fidelitate,quàm de tua,maiora speramus:si-cut hactenus non modo in præteritarum rerum exhibitione,uerumetiam in sperandarum promissione tua gauisi sumus. Assit igitur hoc in tempore op portuno,tua cum facultate uoluntas,quam non modo nostra,uerum & om-nium episcoporum,fratrumq; tuorum, imò totius oppressæ ecclesiæ exoptat necessitas. Non etiam hanc oppressionem ignoras,tantum uide ne oppressę te ecclesiæ subtrahas,sed regno & sacerdotio condoleas: quo utroq; sicut huc

usq; ecclesia est exaltata, ita nunc heu humiliatur uiduata. Nam unus dum utrunq; sibi uendicauit, utrunque dissipauit: nec in uno profuit, qui in neutro prodesse uoluit, nec potuit. Et ne diutius notati nomine te suspendamus, acci-
Hildebrandus pe quē dicimus, Hildebrandum scilicet, monachū habitu quidē, dictum Apostolicū, non pastoris cura, sed inuasoris uiolentia, apostolicæ sedi præsidentē, & de sede pacis catholicæ, pacis unitæ uincula dissipantē, ut tibimet in promptu est scire. Vt enim de pluribus pauca referamus: regnum ac sacerdotium deo nesciente sibi usurpauit, in quo piā dei ordinationē contempsit, quę nō in uno, sed in duobus duo, id est regnum & sacerdotium principaliter consistere uoluit: sicut ipse dominus saluator in passione sua de duorum gladiorum sufficientia typica intelligi innuit. Cui quum diceretur: Ecce domine duo gladij hic: respondit, Satis est: significans hac sufficienti dualitate, spiritualem & carnalem gladium in ecclesia esse gerendum, quibus omne nociuum foret amputandum, uidelicet sacerdotali ad obedientiā regis pro deo: regali uero gladio ad expellendos Christi inimicos exterius: & ad obedientiam sacerdotij interius, omnem hominē docens fore castigandum: & ita de alia in aliam charitate tenderetur, dum nec regnum sacerdotij, nec sacerdotium regni honore priuaretur. Hanc dei ordinationē qualiter Hildebrandica insania confuderit, tu ipse nosti, si scire uoluisti: nam nullum eius iudicio licet esse sacerdotē nisi qui hoc à fastu suo emendicauerit. Me quoq;, quem deus in regnum, nō autem illum uocauit ad sacerdotiū, quia me de deo, & nō de illo regnare uelle uidit, quia ipse me regem nō constituit, regno priuare studuit, minitans regnum animamq; mihi se tollere, quorum neutrū concessit. Hæc & ijs similia quum sæpius in nostram, ut ipse nosti, contumeliā struxerit, nō tamen adhuc sufficere credit, qui de die in diem noua & exquisita confusionis genera nobis ingerit, ut in nostris nuncijs nouiter argumentū dedit: nam charta exponere
Hildebrandi inhumanitas in nuncios regis non sufficit, qualiter eosdem nostros nuncios tractauerit, quàm indignis modis affecerit, quàm crudeliter eos incarcerauerit, & carceratos nuditate, frigore, fame, siti ac plagis contriuerit, sicq; demum exemplum per medium ciuitatis circumductos omnibus spectaculum præbere iusserit, ita ut eundem cum Decio tyrāno insanire, & sanctos assare credas & dicas. Vnde ne pigeat charissime communi nostrûm, scilicet meæ, & coëpiscoporū tuorū petitioni satisfacere, ut in Pentecosten Vuormatiā uenias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum cæteris audias principibus, & quid agendum sit doceas: rogatus per dilectionem coëpiscoporum, monitus per ecclesiæ utilitatem, obligatus per uitæ nostræ, & regni totius honorem.

HENRICVS DEI GRATIA REX VNIVERSAE SANCTAE Ro. ecclesiæ, clero & populo gratiam, salutē, & omne bonum.

HÆc fides firma & inconcussa creditur, quæ semper & eadem & præsenti & absenti seruatur, nec diuturna eius cui debetur absentia, nec longi temporis

temporis tædio immutatur. Et de alia epiſtola: Exurgite in eum fideliſſimi, & primus in fide ſit primus in eius damnatione. Non autem ut ſanguinem eius effundatis dicimus: quippe quũ maior ſit ſibi poſt damnationnẽ pœna, uita quàm mors: ſed ut eũ, ſi nolit deſcendere, cogatis, & aliũ cõmuni omniũ epiſcoporum & ueſtro conſilio à nobis electum in apoſtolicã ſedem recipiatis, qui quod iſte in eccleſia uulnerauit, curare uelit & poſſit.

HENRICVS NON VSVRPATIVE, SED PIA DEI ORDINAtione rex, Hildebrando iam non apoſtolico, ſed falſo monacho.



Anc talem pro confuſione tua ſalutationem promeruiſti, qui nullum in eccleſiã ordinem prætermiſiſti, quem confuſionis, non honoris: maledictionis, non benedictionis participem non feceris. Vt enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores ſanctæ eccleſiæ, uidelicet archiepiſcopos, epiſcopos, uel presbyteros non modo non tangere ſicut chriſtos domini nõ timuiſti, quin ſicut ſeruos neſcientes quid faciat dominus eorum, ſub pedibus tuis calcaſti: in quorum conculcatione tibi fauorem ab ore uulgi comparaſti, quos omnes nihil ſcire, te autẽ ſolum omnia noſſe iudicaſti: qua utiq; ſcientia non ad ædificationẽ, ſed ad deſtructionem uti ſtuduiſti: ut iure hoc beatũ Gregoriũ, cuius nomen tibi uendicaſti, de te credamus prophetaſſe, dicentẽ ſic: Ex affluentia ſubiectorum plerunq; animus prælati extollitur: exiſtimat ſe plus omnibus noſſe, quũ ſe uidet plus omnibus poſſe. & nos quidem omnia hæc ſuſtinuimus, dum apoſtolicæ ſedis honorem conſeruare ſtuduimus. Sed tu humilitatẽ noſtram timori fore intellexiſti: ideoq; & in ipſam regiam poteſtatẽ nobis à deo conceſſam, exurgere non timuiſti, quam à nobis auferre auſus es minari, quaſi nos à te regnũ acceperimus, quaſi in tua & non dei manu ſit regnum uel imperium: quia dominus noſter Ieſus Chriſtus nos ad regnum, te autem non uocauit ad ſacerdotiũ. Tu enim his gradibus aſcendiſti, ſcilicet aſtutia, quod monachica profeſſio abominatur, pecuniam, pecunia fauorẽ, fauore ferrum, ferro ſedem pacis adiſti, & de ſede pacis pacem turbaſti, dum ſubditos in prælatos armaſti, dum epiſcopos noſtros à deo uocatos, tu non uocatus ſpernendos docuiſti: dum laicis miniſterium eorum ſuper ſacerdotes uſurpaſti, ut ipſi deponant uel condemnent, qui ipſos de manu domini per impoſitionem manuum epiſcoporum docendos acceperant. Me quoq;, licet indignus inter Chriſtianos ſum ad regnum uocatus, te teſte, quem ſanctorũ patrum traditio ſoli deo iudicandum docuit, nec pro aliquo crimine, niſi à fide (quod abſit) exorbitauerim, deponendum aſſeruit: quum etiam Iulianum apoſtatam prudentia ſanctorum epiſcoporum non ſibi, ſed ſoli deo deponendum commiſerit. Ipſe uero quid uerus papa beatus Petrus clamat? Deum timete, regem honorificate. Tu autem quia deũ non times, me conſtitutũ eius inhonoras. Vnde beatus Paulus, ubi angelo de cœlo alia ſi prædicauerit non pepercit, te quoq; in

terris alia docentem non excepit. Ait enim: Si quis,uel ego,uel angelus è cœlo præter id quod euangelizauimus uobis euangelizauerit,anathema sit. Tu igitur hoc anathemate,& omnium episcoporum nostrorũ iudicio damnatus descende,uendicatam tibi sedem apostolicam relinque: alius in solium beati Petri ascendat,qui nulla uiolentia religionẽ palliet,sed beati Petri sanam doctrinã doceat. Ego Henricus rex dei gratia, cum omnibus episcopis nostris tibi dicimus, descende,descende.

4 HENRICVS IMP. ROMANO PONTIFICI PASCHALI.


SI illa inter nos pax esset & concordia, quæ inter nostros olim & tuos fuit antecessores, quæ inter nos etiam & Nicolaum & Alexandrum,uiros catholicos & religiosos Romanos pontifices,plena charitate,& integra deuotione uiguit, mandaremus tibi quicquid filius patri: sed distulimus expectãtes & cognoscere desiderãtes,si in beneplacito dei sit,nobis in charitate & amicabiliter posse conuenire, & ecclesiã suam nostris temporibus, nostro labore ipso cooperãte,in statũ redire unitatis pristinę. Hoc quanq; dudum,deo teste,desiderauimus:sed cognita nimia eorum austeritate,qui in Romana erant ecclesia, nõ utile nobis uisum est uel competens,eos de hac causa conuenire:quia magis uidebantur nos persequi odio & indignatione,quàm zelo iustitiæ,uel etiam quàm uelle nos amplecti dulcedine charitatis ad profectum ecclesiæ. Effectus hoc probat,quia quum ipsi regnum hęreditario iure nobis collatum,tempore religiosorum uirorum Romanorũ pontificum,pacifice à nobis diu possessum, contra nos commouere studerent & armare,multa inde orta est strages populorum, tam corporum,quàm etiam,quod magis dolendum est,animarum. Nunc quoq; filius noster,quem tam uehementer dileximus, ut usq; ad solium regni nostri exaltaremus,eodem ueneno infectus,consilio quorundam perfidissimorũ & periuratorum sibi adhærentiũ insurgit in nos,postpositis omnibus sacramentis quibus se nobis obligauerat: posthabita omni fide & iustitia,tantũ ut ecclesiarũ bona & regni libere ualeant perdere,rapere,& inter se diuidere. Et quũ multi nobis persuadeant,absq; dilatione in eos ui & armis esse ulciscendum, maluimus tamen adhuc differre,ut tam in Italico,quàm in Teutonico regno sciatur manifeste, quod nec nostræ sit uoluntatis,nec culpæ, si tandẽ inuiti & coacti in eos insurrexerimus,quæcũq; mala uel infortunia, seu populorũ strages inde euenerint. Præterea quia audiuimus te hominem discretum, deum timentem, charitati insudantem,sanguinem humanum non sitire,rapinis & incendijs nõ gaudere,unitatem ecclesiæ super omnia diligere,consilio & suggestione principum nostrorum mittimus tibi nuncium istum cum legatione nostra. Per hanc quippe uolumus cognoscere,si est tibi uoluntati te nobis in charitate & amicabiliter & nos uniri tibi, saluo nobis honore regni & imperij,& totius nostræ dignitatis:sicut & auus & pater noster,alijq; antecessores nostri

nostri habuerunt: seruato etiam tibi à nobis honore apostolicæ dignitatis, sicut antecessores nostri tuis antecessoribus seruauerunt, & nos præfatis pontificibus. Quod si placuerit tibi paterne nobiscum agere, & eam quam mundus dare non potest pacem deo præstante integre nobiscum cõponere, mitte nobis familiarem nuncium tuũ cum priuatis literis tuis & secreta legatione cum hoc nuncio nostro, ut hoc modo possimus indubitanter cognoscere omnem de hac re certitudinem uoluntatis tuæ. Qua cognita mittemus tibi de maioribus principibus nostris, quales & nos tibi mittere, & te deceat à nobis recipere ad tantã rem cõponendam, per quos exclusa omni ambiguitate manifeste possis cognoscere, nos ueraciter uelle cõplere, quæ tibi mandamus secrete. Præterea quæ hic inscripta non sunt, commisimus huic fidelissimo nuncio nostro quædã tibi dicenda, quibus tam ueraciter quàm scriptis credas.

EPISTOLA HENRICI REGIS AD HILDEBRANDVM.

QVum hactenus ex te ea quæ sunt patris expectarem, tibiq; in omnibus magna fidelium nostrorum indignatione obedirem, recepi à te uicissitudinẽ, qualem oportebat ab eo qui uitæ regniq; nostri perniciosissimus hostis esset. Nam quum primum omnẽ hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa sede apostolica debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens, regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti: neq; hoc contentus, in reuerendissimos episcopos, qui nobis uelut dulcissima membra uniti sunt, manũ mittere non timuisti, eosq; superbissimis iniurijs, acerbissimisq; contumelijs contra diuina & humana iura, ut ipsi aiunt, exagitasti. Quæ omnia quum ego quadam patientia dissimularem, tu hoc non patientiam, sed ignauiam existimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quę nosti, scilicet ut tuis uerbis utar, Quod aut tu mo rereris, aut mihi animam regnumq; tolleres. *Minaciter*

HENRICVS REX REGI CELTARVM.

PRinceps clarissime, & omnium in quibus post deum speramus amicorum fidelissime: primum & præcipuũ inter omnes uos excepi, cui conqueri & deplorare omnes calamitates meas & miserias necessarium duxi, & etiam genibus uestris aduolui, si liceret salua maiestate imperij. Primum quidem est quod non solum uobis, sed totius Christianæ professionis hominibus grauissimũ ac intolerabile arbitramur, quod de apostolica sede, unde usq; ad memoriam nostri temporis salutifer fructus consolationis, dulcedinis & saluationis animarum oriebatur, modò persecutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellum emittitur: nec ponunt ullum modum sententiæ, tantum ut satisfiat uoluntati indiscretæ. Huius uoluntatis suæ intemperantia adeo usque nunc abusi sunt, ut nec deum, nec quid, aut quantũ mali inde proueniat pensantes, per se & per suos omnibus modis in nos inuehantur, quum obedientiam & omnem sub-

iectionem debitam sæpe obtulerim apostolicæ sedi: si tamen honor debitus & reuerentia, sicut antecessoribus meis, exhiberetur & mihi. Quid autem intendant opportunius significabo uobis, si quando optati colloquij deus copiam dederit nobis. In hac igitur persecutionis & odij sui inflãmatione, quũ parũ uiderent se proficere, cõtra ipsum ius naturę laborantes, quod sine maximo cordis dolore, sine multis lacrymis dicere non ualeo, & quia dicitur uehementer contremisco: filium meum, inquam, Absalon dilectissimum, non solum contra me armauerunt, sed etiam tanto furore animauerunt, ut in primis contra fidem & sacramentum, quod ut miles domino iurauerat, regnum meum inuaderet, episcopos & abbates meos deponeret, inimicos & persecutores meos sustineret: ad ultimum, quod maxime uellem taceri, aut si taceri non potest, uellem non credi: omnem affectum naturæ abijciens, in salutem & animam meam intenderet, nec quicquam pensi haberet, quomodo ui & fraude ad hanc periculi & ignominiæ suæ summã aspiraret. In hac tanta mali sui machinatione, quũ essem in pace & in aliqua salutis meæ securitate, in lo-
Confluentia cũ qui Confluentia dicitur, in ipsis dominici aduẽtus sanctissimis diebus ad colloquiũ euocauit me, quasi de communi salute & honore filius tractaturus cum patre. Quem quum uidi, ilico ex paterno affectu tactus intrinsecus dolore cordis mei, ad pedes suos procidi, admonens & obtestans per fidem, per salutem animæ, si pro peccatis meis flagellandus eram à deo, de me ipse nullam conquireret maculam honori & nomini suo: quia culpæ patris uindicem filium esse nulla diuinæ legis constituit sanctio. At ille tam pulchre, imò miserrime institutus ad malitiam, quasi abominabile & execrabile scelus cœpit detestari. Et procidens ipse ad pedes meos, de præteritis cœpit ueniã deprecari. In reliquũ ut miles domino, ut patri filius, cum fide & ueritate per omnia se mihi obauditurum promisit cũ lacrymis, si modo sedi apostolicæ uellem reconciliari. Quod quum promptissime annuissem, & deliberationi suæ & consilio principum hoc tantum mancipandum promisissem, in præsenti Natiuitate se producturum me Mogunciam, & ibi de honore & reconciliatione mea quàm fidelius posset se acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum promisit in ea ueritate & fide, qua patrem à filio honorari, & filium à patre præcepit deus diligi. Hac promissione, quę & gentili obseruanda est, securus ibam, & filius meus aliquantulum me præcesserat: & ecce quidam fideles me uerissime affirmabant deceptum & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Reuocatus autem filius meus, & iterum à me instantissime admonitus, sub eiusdem fidei & sacramenti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit secunda uice. Quum ego ad locum
Binga qui Binga uocatur peruenissem, iam existente die Veneris ante Natiuitatem, numerus armatorũ suorum iam satis augebatur, iam fraus ipsa de se detegebatur: & filius ad me, Pater, inquit, uobis secedendum est in uicinum ca-
stellum:

ſtellum: quia Moguntinus epiſcopus in ſuam ciuitatem non admittet uos, quamdiu in banno eritis. Nec uos impacatum & inreconciliatum audeo ingerere inimicis ueſtris. Illic Natiuitatem cum honore & pace agatis, quoſcunque placuerit uobis uobiſcum habeatis: ego interim quanto inſtantius, quanto fidelius potero pro nobis utriſque laborabo: quia cauſam ueſtram meam exiſtimo eſſe. At ego, Mi, inquam, fili, iudex & teſtis ſermonum & fidei ſit inter nos hodie deus, quomodo te in uirum & hæredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inſeruierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim, & habeam, ſolus conſcius es. Ille autem tertiò ſub eiuſdem fidei & ſacramenti atteſtatione, ſi ingrueret occaſio periculi, caput ſuum pro meo capite fore, mihi promiſit. Sic poſtquam clauſit me in eodem caſtello, quo omnia animo & corde erat loquutus, manifeſte rei oſtendit euentus. Ex omnibus meis quartus ego ſum incluſus, nec quilibet alius admitti potuit. Cuſtodes deputati, qui uitæ meæ erant atrociores inimici. Benedictus per omnia deus, exaltandi & humiliandi quæ uoluerit rex potentiſſimus. Quum ergo ipſo ſacratiſſimo die Natiuitatis ſuæ omnibus redemptis ſuis ille ſanctus ſanctorum puer fuiſſet natus, mihi ſoli filius ille non eſt datus. Nam ut taceam opprobria, iniurias, minas, gladios in ceruicem meam exertos, niſi omnia imperata facerem, famem & ſitim quam perferebam etiam ab illis, quos iniuria erat uidere & audire: ut etiam taceam quod eſt grauius, me olim ſatis felicem fuiſſe: illud nunquam obliuiſcar, illud nunquam deſinam omnibus Chriſtianis conqueri, quod illis ſanctiſſimis diebus ſine omni Chriſtiana communione in carcere illo fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus, à filio meo miſſus uenit ad me quidam princeps Vuichbertus, dicens nullum uitæ meæ eſſe conſilium, niſi ulla ſine contradictione omnia regni inſignia redderem ex uoluntate & imperio principum. At ego & ſi omnis terra, quantum inhabitatur, mei regni terminus eſſet, nollem regno uitam † committere: quia uellem nollem, ſic agendum, & ſic definitum intelligebam, coronam, ſceptrum, crucem, lanceam, gladium miſi Moguntiam. Tunc communicato conſilio cum inimicis meis, meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quaſi me eò abducturus, ſub multa frequentia armatorum ſuorum me adductum, ad uillam quæ dicitur Engeltzaim fecit me ad ſe adduci, ubi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inueni, nec ipſum filium cæteris mihi meliorem reperi. Et quia firmius & ſtabilius uidebatur eis eſſe, ſi propria manu cogerent me regnum, & omnia regalia exfeſtucare, ſimili modo & ipſi omnes minabantur mihi, niſi omnia imperata facerem, nullum uitæ meæ conſilium fieri poſſe. Tunc ego inquam, Quia de ſola uita mea agitur, qua nihil precioſius habeo, ut ſaltem uiuens pœnitentiam exhibeam deo, quicquid imperatis faciam. Quumque inquirerem, ſi ſaltem ſic

forte. com/mutare

de uita mea certus essem: apostolicæ sedis legatus, qui ibidem aderat (non dico, qui omnia hæc audiuerat) respondit, me nullo modo eripi posse, nisi publice confiterer, iniuste Hildebrandum persequutum esse, Vuichbertũ iniuste ei supposuisse, & iniustam persecutionem in apostolicam sedem, & omnẽ ecclesiam hactenus exercuisse. Tunc cum magna contritione animi prostratus cœpi per deum, per ipsam conscientiam orare, ut locus & tempus mihi daretur, ubi in præsentia omnium principum, quum innocens essem, uellem ex iudicio omnium me expurgare: & in quo culpabilem me recognoscerẽ, ex consilio omnium sanioris sententiæ pœnitentiã & satisfactionem quo ordine iuberent quærere, & in principibus regni de fidelibus nostris quoscunque obsides uellent dare. At idem legatus locum & diem mihi abnegauit, dicens: aut ibi totum debere determinari, aut nulla spes mihi esset euadendi. In tanto tribulationis articulo quum interrogarẽ, si confiterer omnia quæ imperabantur, an confessio mea, ut iustum est, ueniam & absolutionem consequeretur. Idem legatus dixit, non esse iuris sui me absoluere. Et quum ego ad hoc dicerem, Quicunq; confitentem audet recipere, confessum debet absoluere: Si uellem, inquit, absolui, Romam irem, satisfacere apostolicæ sedi. Sic desolatũ & spoliatum (nam & castella, & patrimonia, & quicquid in regno conquisieram eadem ui & arte sua extorserant à me) in eadem uilla reliquerunt me. In qua quum aliquo tempore cõmoratus essem, & filius meus ex eodem fraudis suę consilio demandasset, ut ibidem eum expectarem, superueniẽs quorundam fidelium meorum legatio, præmonuit, ut siquidem ad monitũ ibidem remanerem, aut in perpetuam raperer captiuitatem, aut in eodem decollarer. Quo nuncio satis tunc uitæ meæ diffisus, ilico aufugiẽs, fugiendo Coloniam ueni, & ibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium ueni. In quibus locis fideles uiros, & in fide regni constantes semper inueni. Horũ, cæterorumq; regni fideliũ consilio usus, uobis fiducialius & honestius habeo deplorare has omnes meas miserias. Fiducialius quidem, propter mutuæ consanguinitatis & antiquæ amicitiæ debitum. Honestius autem, propter tanti regni nomen gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac iniurijs, propinquo & amico cõsulatis. Quæ fidei & amicitiæ uincula etsi inter nos non essent, uestra tamen & omniũ regum terræ interesset, iniuriam & contemptum meum uindicare, & tam nefariæ proditionis & malitiæ exemplum de superficie terræ extirpare.

HENRICVS DEI GRATIA ROMANORVM IMP. Augustus, Henrico filio suo.


SI ea nos debita affectione tractasses, qua deberes, lubentissime tecũ loqueremur, & paterna tibi mandaremus: uerũ quia longe alius quàm paternę affectionis & humanitatis circa nos animus tibi fuit, nequiuimus aliter tecum loqui, uel aliud mandare quàm

quod

quod ipſa rei manifeſtiſſimæ ueritas habet. Tu enim ipſe ſcis, ſicut ipſe publico experimento facti tibi conſcius es, qualiter data fide & ſecuritate perſonæ & honoris noſtri, omni affectione deuotionis promiſiſti nos ducere Moguntiam coram principibus, & inde nos ſecuriſſime reducere quocunq; uelemus. Hac fiducia quum tecum amanter & indubitanter aſcenderemus, cōtra datam fidem apud Bingam nos cepiſti. Vbi nec paternæ lacrymæ, nec patris mœror, nec triſtitia, qua ad pedes tuos aliorumq; prouoluebamur, te commouit ad miſericordiam, quin nos caperes, & captum mortalibus inimicis illudendum & cuſtodiendum traderes. Vbi multimodo genere contumelię & terroris afflicti, compulſi ſumus fermè uenire uſque ad ipſum mortis articulum. Ante captiuitatem abſtuliſti nobis epiſcopatus, & quicquid de honore regni potuiſti, & prædia noſtra, & ipſam familiam : in captiuitate uero quicquid reſiduum erat, & lanceam, & crucem, & omnia regalia inſignia ui & timore mortis, ut ipſe bene ſcis, & omni fermè notum eſt Chriſtianitati, à nobis extorſiſti, relicta uix ipſa uita. Quū hoc tibi nō de nobis ſufficeret, poſtea ſemper ubicunque fuimus, modis omnibus quibus potuiſti, nos perſequi nō ceſſaſti, ut uel perderes, uel de regno expelleres. Verum nos ſatis mirari non poſſumus, qua ratione uel occaſione hoc tam obſtinate facias, quum de domino papa & Romana eccleſia nulla tibi reſidua ſit occaſio. Nos enim nuncio domini papæ & Romanæ eccleſiæ te præſente obedire parati fuimus & ſumus, omnem debitam obedientiam & reuerentiam ei coràm & ſemper exhibere, & conſilio principum, & ſpiritualis patris noſtri Henrici Cluniacenſis abbatis, aliorumq; religioſorum uirorum, & de ſtatu eccleſiæ & honore regni libentiſſime agere. Te ergo rogamus pro honore regni & tuo, & paterna deuotione, & per autoritatem Romani pontificis & Romanæ eccleſiæ, ut de iniuria nobis illata, & de his quæ nobis ui & iniuſte abſtuliſti, iuſtitiam facias. Rogamus etiam, ut quum nil rationis tibi ſit quare nos perſequaris, nos & fideles noſtros ceſſes infeſtare: imò permittas nos pacifice & quiete uiuere, ut integre & cum tranquillitate poſſimus omnia ſupradicta agere. Recognoſce etiam & tecum cogita, quia deus iuſtus iudex eſt, cui commiſimus cauſam noſtram & uindictam, cuius etiam iudicia ſunt occulta, uelut abyſſus multa. Quoniam quantumcunq; ſuper afflictionem & infortunia glorieris, & ſuper humilitatem te extollas, forſitan de ſede ſancta ſua inter me & te gratuita miſericordia aliud iam definiuit, intercedente iuſtitia, quàm tu ipſe cogites uel diſponas. Quod ſi nulla alia uel reuerentia, uel interceſſio nobis ualet, opto ut iuſtitiā conſequi poſſimus, uel ut tuæ perſecutionis impetus ceſſet. Ad hoc idem Romanū pontificem, ſanctam & uniuerſalem ſedem Romanam eccleſiam appellamus.

HENRICVS

HENRICVS DEI GRATIA ROM. IMP. AVG. ARCHIEPI-scopis,& cæteris Saxoniæ principibus,ac etiam reliquo populo gratiam & dilectionem,dignantibus eam recipere.



COnquerimur deo omnipotenti,& dominæ meæ sanctæ Mariæ, & beato Petro principi Apostolorum, patrono nostro, & uobis principibus omnibus, quia iniuste, & inhumane, & crudeliter in illa cõfisi fide qua dubitare nõ debuimus,tractati sumus: & tam honore regni,quàm prædijs omnibus,quæ habebamus,contra diuinũ & humanum ius,ad infamiam & uituperiũ regni,ita expoliati sumus,ut nihil penitus præter uitã nobis relictum sit. Vbi quũ fermè omnes essetis,magna pars uestrum uisa est dolore contristari:sed proh dolor nihil nobis uestra contulit tristitia, quin in nobis sibi satisfaceret uoluntas inimicorũ odiosa. Et quia cũ consilio & rogatu filij nostri,fide & securitate uitæ & honoris primum ab eo accepta, fiducialiter & desiderãter Mogonciã in præsentia legati Romani & principum tenderamus,ut eorũ dispositione ageremus tam de statu ecclesiæ & honore regni,quàm de salute animæ nostræ,ipse non est ueritus in hac uoluntate & obedientia nos contra datã fidem capere, & usq; ad articulũ mortis fermè ducere: non ausi sumus ita nos illi credere, ut iniuria & contumelijs nos pro uoluntate sua,sicut prius,ualeat tractare. Quapropter multum uos rogamus,& obnixe precamur,ut pro timore dei,& honore regni, & honestate uestra dignemini studere,quomodo de iniuria in manibus uestris nobis illata,per uos possimus recuperare iustitiã. Nos autem pro consilio uestro, & aliorum,qui nos odio non habent,religiosorum uirorum, parati sumus tam filio nostro,si in aliquo eum offendimus,quàm alicui in regno libenter rationem dare. Præterea sicut domino papæ in præsentia legati sui & uestra,obedire parati fuimus,ita & nunc parati sumus ei omnẽ debitam reuerentiã & obedientiã syncero corde & deuotione præsentialiter exhibere,& tam consilio uestro, quàm spiritualis patris nostri Henrici Cluniacensis abbatis, aliorũq; religiosorum, de statu ecclesiæ, & honore regni, quantũ in nobis est dispone re. Quũ ergo ad hæc omnia parati simus,rogamus uos & obnixe precamur, quatenus pro deo,& honore regni & uestro, instanter moneatis filiũ nostrũ, quum nulla ei secundum præfatã sententiã aduersum nos residua sit occasio, amodo desistat nos & fideles nostros psequi, & pacifice & quiete uiuere permittat,ut supradicta integre & cum tranquillitate perficiant. Quod si noluerit,rogamus uos per autoritatẽ Ro. ecclesiæ,cui nos committimus,& honorẽ regni,ne super nos & fideles nostros ueniatis:quia manifestum est non eum diuinæ legis zelo, uel Ro.ecclesiæ dilectione, sed concupiscentia regni, patre iniuste eo priuato, hoc incepisse. Apud quem si interpellatio uestra, nullaq; alia interuentio ad præsens prodesse poterit,appellamus Ro. pontificem, & sanctam uniuersalem Ro. sedem & ecclesiam.

HENRICVS

HENRICVS DEI GRATIA IMP. RO. AVG. ARCHIEPISCOpis, episcopis, ducibus, comitibus, cæterisq; regni principibus, gratiam & dilectionem, dignantibus ea recipere.



Rogamus filium nostrum, & uos multum precati sumus, ut dimisso exercitu ordinaretur, quomodo possemus conuenire, ut de iniuria nostra & pace componenda ad honorē regni possit digne & decenter definiri. Placuit uobis remandare. Vnde nobis longe grauior priori oritur querimonia, quod dimissa obsidione Coloniæ uultis super nos & fideles nostros sub specie colloquij cum exercitu uenire, datis inducijs octo dierum: quæ nunq; datæ sunt homini alicuius conditionis, ut bene scitis, usq; ad hanc diē pro legitima definitione alicuius minoris negocij, nedum pro tanta re, secundum legem diuinam uel humanā, uel etiam secundum usum hominū. Oportet enim nos habere, si uobis placeret, saltem tales inducias, intra quas possemus conuocare, & precibus inuitare ad hanc eandē causam, ut sint uobiscum, Moguntinū, & Treuirensem, & Bremensem archiepiscopos, Frisingensem, Augustensem, Curiensem, Basiliensem episcopos, ducem magnum cum duce Theoderico, & ducem Bohemicū, & comitē Flandrensem cum comite Burgundiæ, & alios, qui ad præfatum negociū, ut bene scitis, sunt ualde necessarij. Quapropter sicut prius, rogamus & obnixe precamur, quatenus pro deo & anima uestra, & pro appellatione domini Ro. pontificis Paschalis, & Ro. ecclesiæ, & pro honore regni dignemini apud filium nostrū efficere, ut dimisso exercitu cesset nos persequi, & ordinetur quomodo secure & absq; omni ambiguitate possimus nos cum cæteris supradictis ad agendum de nostra iniuria, & pace in regno componenda, quiete & pacifice conuenire. Quod si nullatenus cessare uoluerit, proclamationem inde fecimus, & semper facimus deo, & sanctæ Mariæ, & beato Petro patrono nostro, & omnibus sanctis, & omnibus Christianis, & uobis maxime, omni deuotione precantes, ut dignemini cessare eum persequi ad persecutionē tantæ iniuriæ, & uos eum imitari. Appellauimus, & tertio appellamus dominū Ro. pontificē Paschalem, & sanctam & uniuersalem sedem & Ro. ecclesiam. Quod si hoc tantum nobis, & ad hoc, ut ipse cesset nos persequi, prodesse nō poterit, committimus nos omnipotenti patri, & filio, sanctoq; spiritui paracleto, & beatæ Mariæ perpetuæ uirgini, & beato Petro & Paulo, & sancto Lamperto, omnibusq; sanctis, ut diuina miseratio, omniumq; sanctorum intercessio humilitatem nostram respicere, nosq; contra tantum, tamq; iniuriosum imperium defendere dignetur. Amen.

EPISTOLARVM HENRICI IIII. CAES. AVG. FINIS.

CONRADI

CONRADI VECERII

REGII SECRETARII LIBELLVS DE REBVS GESTIS IMPERATORIS HENRICI VII.



ISTORIAM quisquis aggreditur scribere, eam maxime uirtutem tacite polliceri uidetur, uti fide nitatur assertio: pusillumq; interest, munus ne commemorandi res gestas, integritatis suæ conscius ultro quis suscipiat, an publicandorũ potestatẽ actorum Cæsaris permissu nanciscatur. Atq; eo magis quod hunc quum seligit princeps, non illud agit ut bonum grauemq; uelit efficere (quis enim præter immortalem deum, cuiquam probitatem conferat?) sed quo ueracem uideri iniunctione mandati testetur. At historicus ut primum res memorandas cõmendare posteritati decreuerit, primum omnium de moribus suis ipse uidetur iudicium facere, seq; eum promittere, qui & fideliter & accurate cogitata prompturus sit. Has res ego mecum etiam atq; etiam reputans, quanquam nõ ignorabam propensiorem ilico fore lectorẽ ad carpenda quæq; recentia, quàm comprobanda: sperare tamen cœpi, fieri posse, ut quum singularem regem describendi causa iustis rationibus assumptum cognouisset, institutũ nostrum boni consuleret. Nanq; & res dignæ uidebantur quæ referrentur in literas, & extabat qui ante nos id fecisset nemo, quod equidem nouerim. Tum necessitudo patriæ me uel maxime impulit, non ea quidem, ut principis nostri facta plus æquo prædicarem, sed quæ apud uarias sparsim gentes & barbaris linguis, & per partes legi compereram, in corpus libri cuiuspiam Latini possem redigere: omni interim soli natalis affectione seposita: alioquin nec ueterum cuiusquam acceptanda esset industria: qui quum regum res maximis uoluminibus posteritati traderent, eorum ipsorum tamen quos perscribebant, & clientes & populares habebantur: adeo quæ ex officio gerimus, ab ijs quæ forte priuatimq; fiunt, distinguuntur. Nunc ad inceptũ redeo. Qui maiores imperatori Henrico, aut omnino parentes fuerint, quãuis curiosa uestigatione cognoscere nõ potui: sed & uxor illi quæ cuiasq; fuerit, itidem propè in ambiguo est. Ipse, quod constat, Luceburgiæ comitatũ hæreditate obtinuit, Romã profectus, & Baldeuino fratri Treuirensis ecclesiæ archiepiscopatum confecit, & summis antistitibus ac bono cuiq; sapientiæ & comitatis ingens argumentum edidit. Fuit olim Luceburgia Treuirorum portio, idq; ut credam, propinquitate locorũ adducor. Hanc postmodum Henricus Romano admotam imperio, ducariç dignitatis insignibus exornauit. Situs eius ab Arduennæ syluæ termino, quatenus hodie appellationẽ obtinet, ad Mosellam fluuiũ, cuius amnis Burdegalensis Ausonius carmine satis prolixo meminit.

Luceburgia

minit,finitimarum ditionum his limitibus cingitur,Gallico,Lotharingo,Metensi,Treuirico,Iuliaceno,Leodio. Oppida nō amplius nouem,maior quondam numerus. Sed eum & pia,ut aiunt,Henrici liberalitas,tribus municipijs Sareburgo,Vitelliaco, & Treuirorum maximo templo donatis, & Gallica bella coarctarunt. Gens potiore ex parte Germanica,regione tamen Gallicā spectante,eius quoq; nationis moribus linguaq; utens. Hæc de Henrici origine patriaq; tametsi pauxilla,tenuitatē confesso præmittere placuit. Quanquam non me præterit, circumferri iampridem libellū uernacula lingua conscriptum,de fœminæ Melyssinæ præstigijs, octauo quoq; die pubetenus in anguem commutari solitæ. Quam inter maiores septimi nostri cōnumerare nituntur. Eum ut nec approbare,ita nec refellere animus est. Quur enim non ueneficia fieri posse concesserim, dum si tradantur ut ueneficia. Quis enim non illa fascina legens obstupescat, neq; tamen protinus tanquam conficta repudiet? Scylla uenit, inediaq; tenus descenderat aluo, Quum sua fœdari latrantibus inguina monstris Aspicit,ac primo nō credens corporis illas Esse sui partes,refugit,& Cerboreos rictus ꝑ partibus inuenit illis. Sed à fabulante poëta eos uersus exaratos obijcies. Historiā accipe. Hæc se carminibus promittit soluere montes, Quas uelit ast alijs duras immittere curas. Sistere aquam fluuijs, & uertere sydera retro, Nocturnosq; ciet manes,mugire uidebis Sub pedibus terrā, & descendere montibus ornos. Alius quoque eiusdem professionis scriptor hunc in modum cecinit, Mens hausti nulla sanie polluta ueneni, Incantata perit. Libet & testimonium quanquam non admodum diffinitum,unius è nostris sapientibus afferre in mediū, hæc uel falsa sunt, inquit diuus pater Augustinus, uel tam inusitata, ut merito non credantur. Firmissime tamen credendum est omnipotentem deum omnia posse facere quæ uoluerit, siue iudicando siue præstando: nec dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam (quia & ipsa angelica creatura est,licet propior sit uitio maligna) nisi quod ille ꝑmiserit,cuius iudicia occulta sunt multa,iniusta nulla. Nec sanè dæmones natura creant,si aliquid tale faciunt,sed specietenus quę à deo uera sunt creata,cōmutant &c. Quid an nō consonantia de ortu maximorū quondam principum aliorum traduntur? Alexandrum nempe Macedonem complexu Olympiæ matris, draconisq; genitum,ideoq; appellatum fuisse Hammonem? Scipionē Affricanum & diuum Augustū,eiusdē superstitionis interuentu conceptos? Quin & in oceani Gallici insula quadam nouem Gallicenas illas fuisse, tradunt authores, quum alijs artibus præditas, tum uertendi se in quas formas liberet. Quibus ex locis ortam fuisse Melyssinam non est absurda coniectio. Sed de his aliâs. Certe prænobiles,tum in Gallijs, tum apud inferiores Germanos scio familias,& patriæ nostræ deferentes prænomen,& in Galleato imaginū apice (cuius stemmatis diligētissima ac minime perfunctoria cura fuit ueteribus)id

Melyßinæ fascinamenta

Ouid. 14. Metam.

Vergil. 4 Georg.

Lucanus 6

10. de ciuitate dei

bus)id monſtrum cuppæ balneatoriæ inſidens. Sed & turrim ingentẽ medio ciuitatis noſtræ ſitam, paulo ſupra ætatem noſtram bona ex parte prolapſam uetuſtate comperi, in qua uanitatem illam fuiſſe peractam fama per manus traditur. Poſtremo Carolũ feliciſſimũ ſeculi noſtri principem nondũ pubeſcentem, quum de nuptiarũ fœdere cum Renata Ludouici Gallorum regis filia ineundo tractaretur (quanquam illi larga poteſtas erat è ſubiectis alijs gentibus titulum aſſumẽdi) totis tamen tabulis haud alia quàm Lucenburgiæ appellatione fuiſſe denotatũ, non in minima gloria poſuerim uſque adeo, ut niſi alijs uitijs ſupradictum opuſculum laboraret, quippe in quo parum ueriſimilia referuntur, interdum aduerſa, nonnunquam diſſonantia, non difficile fidẽ mihi faceret. Enimuero quo cõmodius ad ipſius Henrici res noſtra feratur oratio, & rectum uiſum eſt & neceſſarium, pauca prius de ſtatu temporum illorum ſupra repetere.

Carolus Hiſpaniæ rex

ANno à Chriſto ſaluatore genito M. CCCII. Francorũ rex Philippus cognomento pulcher, graue aduerſum pontificem maximum Bonifacium octauum conceperat odium, tum Gibellinæ factionis ſtudioſiorẽ exiſtimans, tum quod fidem temere præuaricatũ contenderet. Promiſiſſe enim ſibi paucis ante annis, quum alia quædam, tum de ſumma Romani imperij poteſtate ab Germanis ad Gallos traducenda, atq; adeo Carolum fratrem diſerte fuiſſe in conuentis nominatum, cui id decus primum aſſignaret. Hæc uidelicet pollicita nũc cecidiſſe ad nihilũ, Alberto Auſtrino Theutonico principe palàm nuper decretis eius comprobato. Eas rex cauſas grauius ſecũ conſiderans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neq; difficilis mox uiæ Bonifacij irritandi inuenta. Columnia gens Romæ opibus & clientelis inſignis octauo inter comitiorum arcana ſuffragij iure, ne legeretur obſtiterat. Itaq; eis quoq; Bonifacius per ſpeciem expilati theſauri eccleſiæ effecerat, ut & ædes & ſuburbana familiæ publice diruerentur, & qui eorum cardinales iam eſſent, uenerãdo collegio excederẽt. Interea Stephanus ex ea gente profugus in Gallia agitans, idoneus Philippo uiſus eſt, per quem initia malorũ fierent. Cœptus comiter humaneq; haberi, liberaliusq; quàm fortuna exulantium eſt. Ad hoc Philippus ne quid impotentiæ prætermitteret, ſacerdotales Galliarum titulos à pontificibus antea pro decretis, proq; more ſanctæ matris eccleſiæ componi ſolitos, ipſe ordinare citra conſenſum præſidis Romani ſtatuit. Quæ ubi ſummus antiſtes intelligit, grauiſſime tulit iniuriam, peſſimi exempli, id quod erat, exiſtimans, ſi uel anteceſſorum recte cõſtituta temere reſcinderentur, uel autoritatem pontificiam laicus princeps prophanaſſet. Augebatur indignitas ipſius Bonifacij, ſupra quàm dici poteſt ambitioſa magnitudine animi, & contumeliarum inſolentis. Itaq; quo partes ſuæ iuſtiores uulgo noſcerentur, lege potius agere quàm armis inſtituit. Prælatos Gallicos maiores cõuenire Romam uniuerſos iubet, ad publicam ſynodum celebrandam.

Columnenſes

celebrandam. Hi ne regno decederent, Philippi prohibitione intercludunt. Quibus rebus ad Octauum delatis, increpatur rex primum per literas, dein de quum castigationem contumaciæ paruipēderet, sacrorum participatione arcetur. Neq; eo minus prelatis regni ipse Lutetiam accersitis, causam quoq; suam approbare nititur. Pontifex ne nullam nō rationem coërcendi Pulchri tentaret, Flandrorum partes tueri aggreditur. Ea tum gens, quod superbius *Flandria*
imperatum sibi diceret, Gallicum iugum detrectabat. Cum superis quoque *Germani supe-*
Germanis amicitiam interiorem coniungit, iusso Alberto quibuscūq; posset *riores*
uiribus, fines Belgarum quatenus Philippici iuris essent, incursare. Sed nihil ea Gallum à consilio dimouerunt. Missi clanculum in Italiam qui Campanos, si qui forsan priuatas ob iras infensi essent Antistiti, corruptos auro traherent in sententiam, cæteraq; comprehendendi eius idonea mature apparent. Neq; euentus infando commento defuit, Anaginæ agens pontifex, à
Sarra Columnio duce Gallicæ multitudinis nō prouiso irrumpente summa *Sarra Colum-*
luce circumuenitur, liberæq; custodiæ traditū oppidani immodice (ut æquū *nius*
erat) funesto scelere conturbati, triduo demum elapso, receptis animis exemerūt. Ipse Romam regressus, dum uindictæ modos altius inuestigat, morbū, ut creditur, ex ægritudine nactus, interijt. Vndecimus Benedictus Octauū, *Benedictus 11.*
Clemens quintus Benedictū, munere summi pontificatus insequitur. Rey- *Clemens 5.*
terandum Gotthonem quoad priuatus erat, appellabant Burdegalensem Archiflaminem. Is enim uariantibus nonnihil patrum sententijs, inter alios duos Pulchro ab suarum partium cardinalibus nominatus extiterat, quē rex quoniam id temporis plurimū poterat, si ita sedisset, solenniter nuncuparet. Philippus insperatæ dignationis lætitia gestiens, Reyterandum accersit, in suaq; manu papalia Comitia prolatis epistolis cardinaliū, reposita edocet, cæterum postulata quædam sex capitibus comprehensa recipi sibi prius q̄ res confici posset, oportere. Gottho nihil minus quàm quæ iactabantur, uel sperans, uel cogitans, illudiq; sibi existimans, cunctari primū: ubi serio agere principem comperit, actis in præsens gratijs, capita se regiæ petitionis presti turum promittit. Data acceptaq; fide placita curantur. Raymundum cardinales Gallici duodecim summum ecclesiæ Romanæ sacerdotem in gratiam regis consalutant. Italicos statim patres, ut idem facere uellent, epistolis, nuncijsq; celerrimis adhortati. Gottho ut primū quæ ab rege acta de se fuerant, Italis quoq; probari cognouit, senatū statim Cardineum uniuersum, regesq; Transalpinos aliquot conuenire Lugdunum iubet, ad peragenda inaugurandi solennia. Id edictum tametsi prælatis Ausoniæ non perinde arrideret, pontificiam aulam trans alpes concessurā gementibus: coiere tamen in ciuitatem designatam non infrequentes, ibi declaratus ex more maximus ecclesiæ Christianorum episcopus, quintiq; Clementis appellationem sortitus, mox Philippum censuris (namq; id primum postulatorum caput extiterat)

quibus innexum à Bonifacio diximus, exoluit, reliqua promissorum tempestiue se effecturum affirmans. Sed nec ea Philippus posthabenda ratus, Pictauos in conuentum accersito Clemente de cæteris desiderij sui partibus referri iussit in medium. Summa petitio erat de abolenda in perpetuũ memoria Bonifacij. Neq; prætextu caruit flagitatio impudens, articulis quadraginta ingenio causidicorum excogitatis, quibus Octaui mores, præter alia facinora de hæretica impietate suggillabantur. Hic uero hærere æstuareq; Clemens, quid nam consilij in re tam inexplicabili caperet. Nanq; inde occurrebat sacramenti interuentu firmata promissio, hinc innocentia Bonifacij, qui ut neque forsan insons prorsus criminum haberetur, ita non ullum extare de obiecto admisso indicium: quin exemplis, decretis, constitutionibusq; declaratum abunde reliquisse, quanto studio, quantáque fide gubernacula culminis apostolici procurasset. Sollicito inter has curas Quinto, opportune Nicolaus cardinalis Pratensis interuenit: cui, quod arbiter omnium arcanorum haberetur, nudantur ordine omnia. Is ut erat ingenio ad subita etiam quæque moderanda dexterrimo, primum confirmato pontificis animo, scire se quid potissimũ illi consilij profuturum speraret affirmat, regias in primis spes ali dissimulanter augeriq; placere, tum doceri cupidum principem, quo magis rata fiant: quæ ad Bonifacij cineres attinent, uideri futurum consultius, si tanta res non nisi publici consilij senatusconsulto firmetur. Quã sententiam ubi Gallus approbauerit, sedem conuentui Viennam inter Allobroges deligat, aliámue ciuitatem quampiam & liberam, & ad excedendũ regijs finibus opportunam. Placuit Quinto cardinalis suggestio. Itaq; de uolũtate Philippi Viennam maximo Christianorum conuentu edicto, Octauoq; de opposita impietate ex sententia patrum absoluto, ipse ibi paucos commoratus dies, Auenionem in Roberti regis prouinciam sese contulit. Nunc tandẽ ad Henricum nostrum deflectat oratio. Anno à Christo M. CCCVIII. rege Romanorum Alberto per insidias nepotis occiso, nunciatũ est principes, quorum legendi Cæsaris ius est, de sufficiendo Imperatore parum conuenturos. Philippus discordiam Germanorum cœptis suis optime conducturam existimans, secretiorum modo consiliorum arbitros coire iussos de noua dispositione interrogat. Venisse aliquãdo tempus suo quoq; seculo exornandi regni Gallici: sextum antea postulatorum caput, quod ad eum diem cõsulto noluisset Clementi prodere, id uero nunc expromere statuisse, de Carolo fratre substituendo in imperium, deq; ea dignitate per senatusconsultũ in perpetuum transponẽda in Galliam. Esse Clementem iampridem in potestate, posseq; rem & iure & exemplo nixam facile transigi. Cui enim fiat iniuria, si uacantis imperij permutetᷣ conditio? Idem fecisse pontifices olim alios. Deniq; fatorum seriem conuenire cum eiusmodi proposito, ut quemadmodum principatus ille de Græcis quondam in Francos, sicut ei uidebatur, deq; ea gente

Card. Pratensis

Henrici rerũ primordia

gente ad Italos,ac postremũ ad Theutones translatus crederetur, ita rursus ad Francorum posteritatẽ remigret.Mouit uniuersos proceres relatio regia, laudatoq; nobilitandi Gallorũ regni desiderio de consilij sentẽtia decretum fit,& ut Philippus & Carolus primo quoq; tempore ante etiam quàm Germani irent in suffragium, Clementem numeroso comitatu adeant, rumore quidem disperso, quasi ad persequendam Bonifacij criminationem ueniant, reuera autẽ ut protinus quàm Auenionem inierint, pontificem de sexta & ad id tempus ignota petitione cõmonefaciant. Eam occultationẽ nihil fuisse aliud, quàm de Imperatorio apice publice transponendo in Celtas. Abdere uero rem placuisse eatenus, quam apud Bonifacium quoq; tentauissent, ut ne uiuum regnantemq; Albertum affecisse uideretur iniuria. Nec repugnaturũ Clementẽ quantumuis audaci flagitationi, uidelicet iam instructo exercitu uerius quàm famulitio territum. Edicto per uniuersam ditionem dimisso, generosi clientes ad regium iter apparati conueniunt, equitum sex milia fuisse traduntur. Enimuero sicuti recte institutis diuinus fauor arridet, ita improbe consulta iuxta Sexti Pythagorici sententiam, funestus insequitur exitus. Permanauit certe ad pontificem quamuis latitantis conciliabuli astutia. Quare denuo accersito Pratense intimorum, ut diximus, omnium socio, ac iam ante exoso Philippum ob insectationem Bonifacianæ memoriæ, quæ si tolleret è medio, & acta quoq; illius, in quibus Cardinalatus censebatur, quẽ Octauius illi contulerat, conuulsum iri uerebatur, nouam huiusmodi ambiguitatẽ aperit. Ille ad innatam sapientiam uersus, quàm maximis itineribus, inquit, & antequam Gallicæ petitionis mentio in senatu fiat, nunciandũ in Germania censeo, de successore quammaxime mature surrogãdo. Quum Clemens quem igitur præcipuum crederet, tantæq; successioni idoneum quæsiuisset, Pratensis ecclesiarum ne libertatis respectu, an studio Gibellinarum partiũ, an consuetudinis in urbe quondã institutæ memor, Henricum ait Luceburgiæ comitem nulli Germaniæ principũ cedere arbitror, siue religionem, siue fidem, seu certe magnitudinẽ animi spectaueris. Neq; dubiũ, si eò celsitudinis benignitate tua prouectus fuerit, nulla non re uel pontificijs obtemperaturum iussis, uel immunitatẽ ecclesiæ propugnaturũ. Sane clanculum & dissimulanter cuncta fieri oportet, ne si publico senatu in patrumq; conspectu cogitata retexeris, qui cardinales Philippo studẽt, proditis illico rebus, uota nostra conturbent. Itaq; quas ipse literas dabis in Alemanniã, pusilla modo formula placet obsignari, quasi non scriptas de rebus grauissimis. Ego seorsum prolixas de tota re alias exarabo. Iuuit assertionem Cardineam Henrici quoque integritatis gloria, quam ex rebus fortiter probeq; gestis fama iam pridem exorta ad Clementem quoq; pertulerat. Delatis ad Germanos epistolis, req; intellecta, Comitiorũ solennia maturantur, ualuereq; adeo pontificiæ cardinalisq; literæ (qui & illud adiecerat, nisi bonis consilijs protinus

Pratensis consilium

obsecundarēt, Cæsarei fastigij apicem, iure ne an iniuria, relicto Rheno transiturū in Galliā) sed & maxime spectata uirtus Henrici profuit, uti cunctorū suffragijs, ac ne uno quidē repugnāte, Romani regni sceptra florenti iuueni deferrentur. Autores habeo Luceburgi transacta fuisse comitia. Quod ascribendū putaui magis ne ignorauisse eam rem crederer, quàm ut morē locūq; uetustū tam tumultuario præsertim tempore prætermissum existimarē. Ille ut cōtra opinionē hominū per Celtas, perq; comitatū pontificis renunciatus rex fuit, Pulchellus qui iam festinabat compellare Clementē, illusum se animaduertens, domū irritus spei repetijt, nunquā postea bene de eo pontifice sentiens. Luceburgius, qui nihil minus quàm Cæsarea gubernacula sibi credenda cogitauerat, omniū primū gratias immortali deo lectoribusq; agendas censuit. Mox ad ea quæ & tempus & res & maleuolorū conatus ferebāt conuersus, mittit in oram Narbonensem, qui à Clemente postulēt, uti ratam sibi facere surrogationē pro more dignaretur. Principes legationis, Sabaudię comes (nomen ut in plerisq; sequentibus nō traditur) & Guido Namurcæus Flandri comitis frater, ambo ex propinquis regijs: hi à Clemēte, totoq; cætu Cardineo comiter humaneq; habiti, mēse Aprili, comprobationē actorum in Germania causa cognita impetrarunt. Decretū uti è cardinalibus Pratēsis & Fliscus prima quaque occasione in Italiam proficisci maturarent, gentibusq; cis alpes habitantibus, apostolica uice præciperent, ne qd impedimēti morarūmue quo minus potestas nouo regi petendæ urbis foret, astruerent, quin obedienter atq; hospitaliter aduentū illius curarent excipere. Sunt qui legem adiectam fuisse probationi affirment, ut intra primū bienniū ad motus Italiæ compescendos Romam solita expeditione properaret, simul ipse summos Imperatorij nominis fasces acciperet, quū tres proxime antecedentes principes eum honorē prætermisisse constaret. Sabaudo reuerso, uoluntateq; Clemētina perspecta, conuentus Aquisgranū indicitur. Coiere anno insequente ad id concilium inter alios proceres dux Brabantiæ, comes Flandriæ, & comes Raynaldus. Ibi peractis solennibus generoso uertici regium diadema archiepiscopus Agrippinæ more maiorū ad octauū idus Ianuarij imposuit. Quem diē & constitutiones ecclesiæ celebrari ob memoriam Magorum iusserunt, & tum publica lætitia celebriorē reddidit. Anno à Christo genito M. CCCIX. ad diem VI. idus Maij, cœlum ardere uisum, discurrente flammæ uortice è plaga Boreali in Meridiem. Quo typo aduentū Henrici portendi Italorum multi crediderunt. Interea Carolus Siciliæ rex secundus, Gallicæ originis cis fretum regnans, rebus humanis excessit. Plures huic filij, nempe maior natu Carolus, Martellus cognomine, & Robertus. Martellus uiuo etiamdū patre mortem, sed filio relicto, obijt. Qua in specie, exq; facto ipso, larga disputandi materia Iureconsultis est nata, Nepós ne antecedere iure possit patruū in successione auita. Sed & responsis prudentū & pontificia pronun

Henrici electio

Prodigium

cia pronunciatione quadã Robertus annixus, compendiũ hæreditatis obtinuit, paternaq; nece cõperta, mox Aueniõnẽ properat. Ibi nullis non modis Clemẽtis amicitia cõparata, adeo promouit, ut & rex utriusq; appellaret Siciliæ, & quicquid præterea alieni æris patri, auoq; per belli quondã tẽpora ecclesia Romana crediderat, illi ferretur acceptũ: summa aureorũ sex milia superauisse putat. Tantis beneficijs Robertus se obnoxiũ sentiens, actis ad tẽpus gratijs, operã curãq; Clementi omnẽ gratitudinis ostendendæ pensandæq; dignationis detulit. Hic Quintus qui Luceburgiũ, ut supra tetigimus, paulo ante regẽ Romanũ declarauerat, siue suspectã habens Henrici potentiã, siue contractæ amicitiæ Vasconico more pertesus, Siculũ Romandiolæ comitẽ facit. Eamq; Robertus prouinciã Giliberto Zantillio Vicecomiti demandauit. Quę res perpulchrã Gibellinis Imperatorij iugi detrectandi potestatem tribuit, uel tantula rebellandi occasione gestientibus. Luceburgius nihil eorũ negligendũ ratus, quæ ad amplitudinẽ Augusti principatus pertinent, summa ope annisus est, ut q; celerrime documentũ aliquod præberet, quãtus & q; propensus sibi esset animus pontificiæ dignitatis excolendæ. Dimisso edicto p prouincias, ut quisquis nobiliũ Augustale beneficiũ obtineret, die constituto uellet adesse, solennemq; profectionẽ Romanæ mitræ capiẽdæ causa pro cõditione, proq; consuetudine sua curaret exornandã. Ipse uniuersa Germania Ioanni filio demandata, cum nõ adeo grandi comitatu iter ingressus, alpibusq; propinquãs, Lausani cõstitit, reliquã exercitus partẽ opperiẽs. Eò mox legationes ex Italia salutandi causa certatim occurrũt. At Guelphorum factio in Hetruria, cis alpinaq; degentiũ, quã semper antehac Theutonicæ felicitati aduersatam constat, in multo maximũ metũ incidit, & fama numerosi exercitus, & reliquæ Italiæ proniore consensu: præcipue uero Florẽtini, inter spem metumq; ancipites, hostiliter ne an deditione fortissimũ ducem exciperent, præualuit tamen sententia, ui potius, q; abiecta formidine agendum censentium. Itaq; quo uel conturbaret inauguratio, uel lentius certe succederet, conscripta per totam ciuitatem iuuentute, accitisq; militibus alijs uoluntarijs, præsidium haud cõtemnendũ efficiunt. Ad hoc pecuniã, frumentũ, cæterasq; res comparant, uel stipendio, uel obsidioni necessarias. Deniq; fœdus cũ Siculo Roberto, ciuitatibusq; Hetruscis ac cisalpinis aliquot faciunt. Pisanorũ longe diuersa sententia, hi quo sese Gibellinarũ partium, atq; adeo Cæsarei nominis q; maxime studiosos Henrico in ipso Italiæ ingressu comprobarẽt, donũ regi aureorũ milia xl. submiserunt: eo ueluti uiatico prędItus (quippe cuius ærariũ, ut ueris agamus, uirtute esset q; nũmis instructius) Septẽbris exitu mouit è Lausano, superatoq; mõte perq; arduo, Senisiũ uocãt accolæ, Taurinũ est inuectus. Illinc decimo die q; accesserat, Insubres ingredit. ibi quoq; magno apparatu acceptus, Astensiũ dissidia haud exilia sũma cura cõposuit. Constabat id temporis regius comitatus equitũ duobus mili-

Clementis in constantia

Comes Romandiolæ

Ioan. filius Henrici

Guelphorum factio

Florentinorũ rebellio

Pisanorũ beneuolentia

 bus, quum

bus,quum residuum perinde expectaretur. Mansit itaque apud Astam toto bimestri atq; amplius, & reliquam, ut diximus, copiarum partem opperiēs, & de ineunda Insubrium ciuitate consultans. Gnidottus Turritus sapientia atque opibus clarus, genti ea tempestate præerat. Is audito in primis aduentu, uereri cœpit, ne diuersæ factionis pars (Gibellini erant, uiolentia illius acti in exiliū) occasione Germani aduentantis in recuperāda dignitate uteretur. Itaque præsidium ad urbis suæ tutelam comparat duorum milium atq; amplius. Ipsi fœdus atque hospitium erat cum toto Guelphorum genere, per Italiam agentium. Sed & operam dabat quibuscunque poterat artibus, ne mœnibus reciperetur Henricus, Gibellinæ scilicet factionis patronū, ut paulo ante scripsimus, futurum metuens. Neque tamen obtinere potuit, quin bona ciuitatis pars regis amantior, simul cardinalis Fliscus, tum legatus Apostolicus, Clementinaq; mandata conficere cupiens, Luceburgium ultro inuitarent. Rex Romanus, dolentibus Gnidotti oculis, pridie Mediolanum dominici natalis inuehitur, dieq; sequente octauo, Antistes eius diœceseos in Ambrosij beatissimi delubro mysterijs uacantis Henrici uerticem secunda corona redimiuit. Augustæ quoque quam unà secum aduexerat, idem honor habitus. Affuere solennibus omnium ferè Italiæ ciuitatum legati Gibellinarum modo partium, ita ut Fluentini duntaxat oratores desiderarentur. Insubrium quoq; interim discordiam quanta fieri potuit cura sedauit, adeo ut & Maphæum uicecomitem cum sodalibus, & ciuitatis Archiflaminem, cæterosq; proscriptos reductaret in urbem. Eò tum quoque legati frequentes ciuitatum Italiæ gratulatum accedunt, ita ut tota passim Ausonia, Bononiam excipio, & Paduam uicarij Augustales dimitterentur, acciperenturq; comites. Inter hæc Gnidottus exosus felicitatem Maphæi, quibuscunque rationibus poterat, uindicare priscam fortunam molitur. Ac ni sapientia uicecomitis infaustis cœptis fuisset occursum (nanq; rem omnem ordine primoribus regiæ aulæ exposuit) maximus in ciuitate tumultus extitisset, non partibus modo noxius, sed & formidolosus principi, qui iam securior, bonā exercitus partē per finitima loca neglectim disperserat. Sunt qui dicant Maphæū quo certius animū Turriti pnosceret, simulasse societatē partiū, accusauisseq; multis modis supercilium Cæsarum, quod id genus Reipub. principatū nomine, seruitutem re ipsa præseferret. Satius esse æquabilem libertatem omnibus uiribus propugnare, q̄ ingenuos ac fortes animos Germanico iugo supponere, reciperet modo animā, seq; in priscam præfecturā ipse reponeret, nec detrectaturū populū ne nunc quoq; gubernacula quondā sibi cognita. His atq; eiuscemodi dictis peruictum Gnidottum cuncta simpliciter credidisse, promisisseq; Maphæo, & uafro aduersario & restituto in gratiā, quem impēse cauendū esse ueteri docemur adagio. Illū, Gnidotto prodito, fabulā omnē denarrauisse Septimo. Neq; defuisse impię criminationi fidē, ita ut die dicta

Gnidottus

Maphæi calliditas

dicta, Turritoq; adesse iusso, cognitio pararetur. Sed is iudicio consiliorũ intellecto, furtim ad Guelphos transijt. Iisdẽ diebus Cremona, Gnidotti exactione comperta, simul Florentinorum adducta instinctu, rebellis Henrico efficitur, sed & qui Brixianorum Gibellini erant successibus Imperatoris auditis, Guelphos urbe exegerunt. Idem Parmæ factum. Quibus rebus Cæsar cognitis, mittit qui eas quoq; rixas cõsopirent, exulibus reductis in patriam. Sed breui post tempore Guelphica pars Felsineorum Florentinorumq; confisa præsidio, Brixia Gibellinos inuicem depulit, ex professoq; hostis Imperatori efficitur, Anno à Christo genito M. CCC XI. mense Aprili. Imperator Henricus obsessa iamdiu Cremona, Geneuensem episcopum, cognatione sibi deuinctum, cum turmis ad Patauinos coërcendos mittit, quos à Bononiensibus stetisse diximus. Ab eo Vicentia, quæ Paduani iuris erat, bello capitur. Præsidium in arce consistens, fuga dilapsum. Ea uictoria ipsos quoq; Patauinos metu usqueadeo perculit, ut suppliciter sese fidei in primis tradiderint, aureorum milia centum ob contumaciam pendere, Cęsareumq; præfectum recipere iussi. Idem Antistes profectus Venetias, tributum pro uetere consuetudine postulauit. Appulso honor ingens habitus, adnumerataq; in tiaram Romanam, talenta Veneta mille. Eadem in ciuitate ipsum insigne confectum, solido ex auro coronam uarijs maximiq; precij gemmis adornantibus: sellam quoq; argenteam, auroq; circumlitam, fabricatam ibi tradunt. Interea sedente ad Cremonam Henrico, obsessi, quia parum muniti erant ad obsidionem ferendam, simul archiepiscopi Rauennatis interuentu, sese sub conditione tributi pendendi ultro dediderunt. Eidem mandatum Antistiti muros ciuitatis, castellaq; demoliri. Cæsar Cremonensi bello perfecto, ad Brixiam quoque circumsidendam festinat, non aliâs pari instructus exercitu: qui parcissime numerant, equestriũ Germanorum ualidæ armaturæ sex milia fuisse tradunt. Namq; ut rumor per transalpinas quasq; prouincias de Mediolano, cæterisq; ciuitatibus subiugatis increbuit, uix dici potest, quanta & quàm fida multitudo militum certatim adflueret, pars emerendi stipendij studio, cæteri amore uncti regis adducti. Pro certo creditur Henricũ, si in primis abstitisset, relictaq; Brixia processisset in Hetruriam, nõ Thuscos modo, qui recentis defectionis sibi conscij, irã iustissimi uindicis formidabant, sed & quantam aperire non interest, partem Italiæ sub iugũ missurum, quippe qui parũ prouisi essent contra obsidionẽ, quorumq; nutarẽt iam animi, iustitia clementiaq; noui regis impulsi. Sed is dum cisalpinæ pertinacius imminet, maiorũ rerum occasionẽ prætermisit. Adeo uincere maximos duces promptius scire compertũ est, q; uti uictoria. Quippe uirtus attenuata periculis, nullam non in partem de prouidendo circumspectat: eadem rebus sublata secundis, securaq; sui, quæ futura sunt negligit. Eodem anno ciuitates Hetruscæ Guelpharum partium Florentia, Bononia, Senæ, Luca, Pistorium

Gnidoti ad Guelphos fuga

Brixia rebellis Imp.

Tiara & solium

Cremonæ deditio

Brixiæ obsidio

Occasionis neglectus

ſtorium fœdus inter ſe aduerſum Henricum ſanciunt. Florentini præſidium equitum Hiſpani generis cccc. quos à Roberto acceperāt, miſere Bononiam, itidemq́ Senam & Lucā, ſi forte ea regione Germanus ſtatuiſſet incedere. Sed & quicquid Gibellinorum in ciuitatibus Guelphis uerſabatur, exactū. Sub hæc perſtante Cæſare in obſidenda Brixia, uariæ utrinque clades acceptæ: inter cæteros autem proceres, & frater regis & equitum magiſter Vualramus, magnæ indolis, ictu ſagittæ percuſſus interijt. Corpus apud diuum Barnabam cōditur, quod templum nondum ciuitate clauſum fuiſſe, Iacobus philoſophus in ſupplemēto autor eſt. Eo infortunio, ſublatos pauloante Cæſarianorum animos reſediſſe ob eximij iuuenis necem Brixiani credentes, frequentius iam incautiusq́ excurſare cœperunt. Etenim die quodam licentius euagantes, intercepti, fuſi, fugatiq́ ſunt. Cæſorū numerus ducenti. Capti ex ciuitatis primoribus quadraginta, inter quos Galeaceus, cognomento Bruſatus, obſeſſorum tribunus. Is quia fidem regi non multo ante datā infregerat, quadrigarum uiolentia diuerſam in partem miſerum diſtrahentium corpus perfidiæ pœnas exoluit. Cæteri captiuorū ſecuri percuſſi. Nihilo magis proficiente ad euincendam contumaciam exemplo ſeueri ſupplicij, quin hoſtes cœleſti quoq́ fauore adiuti uidebantur, ſtrue cadauerum odoreq́ diuturni exercitus incubantis, corrupto aëre, ita ut plurimi Theutonū uarios in morbos inciderent, cogerenturq́ aut miſeri è uita excedere, aut inglorij, neque id citra diſcrimen, repetere patriam. Procerum ea extinctorū tabe præcipuus Gnido Namurceus, cuius ſupra meminimus, Flandrorum quondam tribunus in Curtracenſi prælio, atque ob id rerum geſtarum claritate ſpectatus. Quam ob luem magna purpuratorum pars Henricum de ſoluenda obſidione ſolicitat. Illo magis intolerabilem ac minime perſeueraturam neceſſitatem hoſtium, quàm laborem exercitus obſeruante, quare decedere nō niſi compos uoti ſtatuit. Quibus rebus intellectis, obſeſſi effecti ſupplices, cardinalis quoque Fliſci auxilio ueniam conſequuti, ad diem xvi. Kalendarum Octobrium fidei principis ſeſe dediderūt. Rex ciuitate potitus, muriſq́ protinus ac turribus demoliri iuſſis, tributum aureorum uiginti milium, præterea obſides centum, quos ex omni ciuium multitudine ſelegiſſet, belli iure imperat. Magno ſtetit ea uictoria, nempe uix quarta exercitus parte ſuperſtite. Cremonam hinc ut redijt, incœpit conſultare de componendis rebus in poſterum. Placuit ordinata Longobardia, præſidibus que per ciuitates impoſitis, Ligures petere, Mediolanum, ut diximus, procurante Maphæo, Veronam comite Scalari, Parmam Giliberto Corregio, Paſcarino Bonopoſo Mantuam. Quæ res parum ſalutaris poſtea ciuibus extitit: quos præfectos legum ſeruandarum cauſa in præſens præpoſuerat, ſuperbe, auareq́ poſtmodum imperantibus. At illis & in primis occupatio, & aureolorū copia, ut in perpetuum confirmarentur, quæ temporis cauſa conceſſa fuerant, effecerunt: Guelphorum

Vualrami interitus — *Galeaceus Bruſatus* — *Morbus in caſtra* — *Gnido* — *Brixia deditur*

Guelphorum ciuitates ubi aduentare Henricum accipiunt, obsideri iussis itineribus Ligurum, remorari transitum illius conabantur. Iisdem diebus Clemens de repetenda urbe Romana ab Henrico compellatus per literas, ipse consilio ecclesiæ generali distentus, Pratensi cardinali petendæ Italiæ inaugurandiq; regis singulari mandato negocium impartitur. Cæsar ad diem undecimum Calendarum Octobrium maximo apparatu Genuã est inuectus. Principem dominumq; solenni more appellantibus: mox componendæ discordiæ ratio habita. Itaque Opicino Spinulæ socijsq; iampridem exulantibus cõfecta restitutio. Quæ res ingentem illi dilectionem ciuium pepererũt. Ipsi milia aureorum dono data centum, regiæ uero coniugi uiginti. Ea quũ insequente mense grauiter ægrotare cœpisset, res humanas reliquit. Elata tumulatáque solennem inter pompam apud beatissimi Francisci cœnobium, pudicitiæ singularis, religionisq; spectatæ fœmina. Anno à Christo genito, M. CCCXII. ad diem quartum Calendarũ Martij, Genua profectus Henricus classe triremium triginta, Pisas aduehitur. Quæ ciuitas nullo non genere apparatus eo uel exquisitissimo regem accepit, dominum quoque inter publicas acclamationes consalutans. Censebatur tamen in primis exercitus mille quingentis transalpinis equitibus: præcipui Germanicorum procerum, archiepiscopus Treuirorum Baldeuinus, cuius supra meminimus, Episcopus Eburonum, frater Barri comitis, è propinquis regijs: dux Bauarus, comes Sabaudus, uterque è propinquis regijs: comes Foresti, Guido Viennensis Delphini frater, Henricus Flandrorum comitis frater itidem è propinquis regijs, Robertus ipsius Flandrorum comitis filius. Comes Viennæ, Præfectus prætorio, quem nostri Aulæ magistrum appellant, uir maximi in re militari nominis. Eodem anno, mense Aprili, Robertus Siculus, cuius supra mentio est habita, de Romano Henrici itinere certior factus, quum nulla aliunde lacessendi regis extaret occasio, simul ita facere ab Vrsina factione iussus, Ioannem fratrem mittit ad urbem cum equitum sexcentorum præsidio. Literis subinde scriptis ad ciuitates Hetruriæ Guelpharum partiũ, de summittendis opportune Romam auxilijs. Ricardo Lunensi comiti, quẽ Robertus Thuscis imposuerat, datum negotium Latij mature ineundi, idq; cum phalange peditum duorum milium sexcentorũ. Hi ad diem xvi. Calendarum Iunij Romã peruecti, Vrsinos conueniunt, moxq; de sententia consilij Capitolium, Hadriani molem, ac Vaticanum armatis insederunt, Petro Sabaudo senatore urbis cõiecto in uincula. Columnijs alijsq; Cæsarianarũ partiũ Lateranũ, Mariam maiorẽ, amphitheatrũ, Rotundã, sanctamq; Sabinam occupantibus. Inter hęc Pisis Henricus equitibus bis mille, & hoc amplius constipatus, rectà per Thuscos Romam contendit. Viterbiũ absq; negocio capit, ibiq; dies aliquot cõstitit, occasionẽ inuadẽdi Vaticani expectãs. Postquam tempus idoneum uisum est perrumpendis insidijs, Viterbio promouet,

Augustæ mors

Procerum catalogus

Vrsini

Insidiæ Henrico tenduntur

mouet, occurrentesq; Vrsinos leuibus prælijs uertit in fugam. Simul popula-ribus in ciuitate rem strenue gerentibus, ante diem calendarum Iunij urbem uisenda pompa introijt, protinus de expugnãdis Roberti clientium reliquijs consultat. Itaq; missis, qui singula factionis præsidia deturbarent, pro certo creditur quicquid ibi Appulorũ Ibericorumq; fuerat, depulsurum, nisi prælio quodam sexto & uigesimo Maij die commisso, quum alij ducum quidã, tum Leodiorũ occubuisset episcopus. Hũc enim perfractis (is erat ardor hominis) uiarum custodijs, in castellũ Angelicum properantem, Robertini Florali ex area per obliquum progressi circumueniunt, fugant, funduntq;. Cæsarianorum qui capti occisi'ue fuerant, numerus milium duorum traditur. Eburonum, quem iam dicebamus antistitem, in equum ab uictore raptum, uehentemq; inermem Hispanus quispiam conspicatus, cuius paulo ante fratrẽ Alemani confecerant, quum non aliam fraternæ necis ultionem euenturam speraret, letali percussum uulnere, ut paucis post diebus moreretur, effecit. Eius interitu principis, qui & uirtute & autoritate eminuisset, in regia longe maximus pauor Cæsarianos inuasit, Robertinis econtrario læticiã tristi casu afferẽte. Porrò Luceburgius ne tempus omne urbanis rixis attereret, statuit absoluere res, quarum causa potissimum urbem petiuerat. Itaq; de sententia cardinalium, conuentu in Lateranum ad diem Sextilium Calendarum indicto, Ostiensiq;, Flisco, & Arnoldo Cæsareas infulas sacrato capiti imponentibus, quod felix faustumq; sit, prægrandi apparatu, singulariq; spectantiũ gaudio, Augusti nomen, apicemq; fastigij imperialis accepit. Peracta inauguratione, Bauarus cum parte procerum perfunctum se officio comitãdi existimans, assumpto commeatu in Germaniam abijt. Ipse Tybur paucis post diebus concedens, multa ibi ueneratione incolarum exceptus, Pisas repetit. Guelphicæ ciuitates Hetruriæ, ubi quæ Romæ acta fuerant, deq; principe decedente intelligunt, iter illius rursum includere nitebantur. Ac ueriti, ne parum instructi, copioso agmini minus resistere ualeant, socios in urbe degentes, per literas commonefaciunt, ut & nouum amplecterentur consilium, & properare mox in Thuscos maturarent. Interim Cæsar Gallia repetita, per agrum Perusinum exercitu infesto progreditur, cunctaq; ferro atq; igne deuastat, Castellionem ui capit, Cortonæ, Aretijq; reuerenter occursum uenienti, portæq; apertæ inde crebris cum Guelphica gente prælijs feliciter gestis, uarijsq; Florentinorum castellis euersis, agrisq; uastatis, inopia pabuli proficisci compellitur. Ad eum Bonatiano in prædio (id loco uocabulũ) agentem, legati à rege Siciliæ Friderico mari deportati, donum aureorum milia uiginti adferunt, fœdus, amicitiamq; petentes. Postulatis eorum assensum. Postquam Cæsar Pisas accessit, legibus'que coërcere hostes aggressus, quos bello persequutus fuerat, & asperrima edicta in Thuscos Roberti partium promulgauit, & suos inuicem cliẽtes pulchris beneficijs deuinctiores effecit.

Ingressus Henrici Romam

Leodien. episcopi mors

Quippe

Quippe Spinulæ,cuius ſupra mentio eſt habita, Marchioniq́ montisferrati cum alia dignationum genera,tum ius monetæ cudendæ tribuit:tum de Roberto caſtigando tractatum. Cauſa cognita,deq́ conſilij ſententia ob læſam maieſtatē Romani imperij paterno illum regno,prouincialiq́ comitatu excidiſſe pronunciās. Quæ decreta poſtmodum defuncto Henrico, Pont. Max. Ioannes XXII pro poteſtate reſcidit: eſtq́ ea res in publica monuméta redacta. Sub idem tempus Henricus Flander magiſtēr equitū Cæſaris, Piſanū agrum cum turmis circumuagari cœpit, arcemq́ fortiſſimā Petram ſanctam Florentinis & Lucenſibus ſuſpectantibus expugnauit. Imperator nihil actū ratus uerboſis ſententijs, niſi facta conſequerentur, ad hoc Hetruſco bello finem commodiſſime poſſe imponi, ſi ducem caputq́ damnandæ audaciæ cōtudiſſet, traijcere in Campaniam ad ipſum Robertū armis perdomandum ſtatuit. Icto, ut ante diximus, cum Friderico fœdere, miſſisq́ in Germaniam qui ſupplementum legionum conſcriberent, placuit uti die conſtituta expeditam claſſem in Liguſtico ſinu explicaret. Numerus Cæſareani exercitus ad armatorum quatuor milia traditur. Acceſſit eò & Genuenſium claſſis, triremium ſeptuaginta. A Friderico quoq́ Arragone triremibus quinquaginta ſubmiſſis. Piſis Cæſar Nonis Auguſti deceſſit: quo die Fridericum quoque Meſſana Rhegium traieciſſe poſtea compertum eſt: eamq́ ciuitatem expugnauiſſe cum oppidis aliquot alijs. Henricus iter per Hetruriam faciens, ubi ad montem apertum acceſſit (id nomen loco tribuere accolæ) ægrotare manifeſtò incipit, tametſi iam inde à relictis Piſis initia morbi irrepentis animaduerterat. Sed ipſe qua erat integritate, animiq́ magnitudine, ne die dicta temere abfuiſſe crederetur, fidei quàm ualetudinis rationem habere maluit: inter medicamenta autem balneæ maceratanæ indicata fuere. Itaq́ eò loci profectus, procuratoq́ de medicorum ſententia corpore, ſeſe Bonoconuentum contulit. Ibi mox ingraueſcente malo, exceſſit è uita ad diem nonū Calendarum Septembriū, diuo apoſtolo Bartholomæo celebrem, anno quàm imperiū accepiſſet quinto, menſe octauo. Defuncto Cæſare, id quod fieri in funere magnorū ducum aſſolet, luctus incredibilis omnem comitatum perculit. Itaq́ familiares defecti principe, pars Theutonicos lares repetijt, cæteri regium corpus protinus Piſas, ut uiuus iuſſerat, ſingulari fide ciuitatis adductus deportarunt: ibi quoq́ non à ſocijs modo, ſed ab oppidanis quoque maiorem in modum defletus, ſolenni atq́ exquiſitiſſima pompa effertur. Vitam inſtantiſſimi principis, qua acceperamus ut puto traditione narrauimus, quem non Italia modo, nullis neq́ aduerſis frangi potuiſſe, neq́ ſecundis efferri manifeſtò cognouerat, ſed & barbaros lætitia inuicti ducis extincti obtinuit. Qui eo uiuo nihil prorſus rerum nouarū tentare auſi, defuncto cuncta per Italiam, ut poſtea conſtitit, miſcuerunt. Neque Piſanis cæterisq́ optimatibus dubium erat, niſi maturatus fuiſſet interitus, regnum Roberto

Henrici mors

Sepultura

Henrici fortitudo

bello ablaturũ, quippe cui perexiles essent ad propugnandum copiæ: ita ut ne signa quidem crederetur collaturus, quin cognito mox imperatoris aduentu, nauigio aduolaturum Narbonam. Quod si Campaniæ obtinendæ facultatem dij tribuissent, infinitum esset quantũ ille rex & opportunitate cõmeatuum, & innata uirtute moliri efficereq; potuerit. Fridericus, cui fœdus cum Imperatore percussum paulo supra tradidimus, medio agens alto, ut excessisse Cęsarem è rebus humanis accipit, ingenti uidelicet molestia animi consternatur: eratq; ea constantia Henriciq; amore, ut quoniam coràm uidere uiuũ nequiuerat, extinctum saltem contemplari exoptaret. Itaq; Pisas non ob aliã rem nauigans, prolatum corpus regium inter uberes lacrymas conueneratus recondi difficile passus est, constantissimi ducis amicitiam immature sibi deplorans ademptam. Sed & Pisanus populus Henrici imitatus iudiciũ, quem ille socium sibi delegerat, hic principem sortiri decreuit, ultro ei ciuitatis delato imperio. Cæterum Fridericus satius existimans parta defendere, quàm nouis implicari, simul aliam sibi esse rationem quàm Lucemburgio fuerat, tuendi patrimonij successionẽ auitam aduentitiæ ciuitatis procurationi actis gratijs duxit præferendam. Pari cautela Sabaudus Henricusq;, quorũ ante meminimus, usi, delatas sibi quoq; ciuitatis habenas modeste recusarunt: ita ut tam pertinaci repugnatione principũ, Pisanos suspicio metusq; haud exilis incesseret. Veteranorum Cæsaris pars multo maxima Germaniam repetijt: reliqui uoluntarij nomina Pisano præsidio tribuerunt. Summa eius reipublicæ in subsidium maiorũ principum ad Vgutionem Faiolam delata est: is & imperatoris ante nomine pręfuerat Genuæ, & magnas postmodum res pro partibus Gibellinorũ patrauit. Florentini non imperatoris modo priusquã obiret, exulumq; formidine, sed & seditione interna pullulante, coacti imperium ciuitatis Roberto publice detulerunt. Ac ne libertati uetustæ noua immutatio noxia forte fieret, legem adijciunt, ut ne supra quinquennium potestas concessa teneret. Idem ferè reliquæ ciuitates Hetruriæ Guelphæ fecerũt, ita ut euidenter appareret, eò iam necessitatũ Henrici perseuerãtia redactos aduersarios, uti intra paucissimos dies sub iugũ mitti potuerint. Atqui iam olim uarijs experimentis cognitũ est, cum alijs in rebus humanis, tum in bello primas obtinere partes fortunę ludibriũ: ita Magnus Alexãder tentato uerius orbe terrarũ quàm domito, sed cui iam rerũ uniuersitas propter felicitatẽ cœptorũ destinaret, in ipsis iuuentæ primordijs excessit è medio. Sic Hannibal Cannensi uictoria nobilitatior quàm prudentior, occasionẽ capiendæ urbis prætermisit. Scipiones in Hispania duo medijs rebus, medijsq; annis res humanas reliquere. Patrũ quoq; nostrorũ ætate Amorates capto Byzantio Hydrunteq; direpto, omnẽ sibi iam despondẽs Italiã intercipit. Nuper uero Britannię regẽ Henricũ captis duabus ualidiss. ciuitatibus Galliæ, perterritisq; ac cõsternatis absq; dubitatione hostibus, sapiẽtia nõ uita destituit: qui aut cę-

Fortunæ ludibria

Mahumetes

cus fuisse

cus fuisse dictus est, aut certe si tantã opportunitatẽ ꝓuidebat, neq; tamẽ for tunę suæ obsequebat͂, excors. Hos, ut dixi, casus inter fortuita reponebat anti quitas. Nos ad deum optimum maximũ publico consensu deferimus, è cuius ęquissimo arbitrio quicquid rerum humanarũ uel fit, uel dicit͂, sumit originẽ. Varia de genere mortis opinio. Nonnulli uenenum malum niueo libello inditum asserunt: quod per ineffabilia mysteria commutatum, quotannis mo rituriq; libamus. Monachos prædicatorij ordinis, quibus ille ministris utebatur in sacrificijs, horrendi facinoris extitisse autores, eamq; rem Beneuenutus Imolensis seculi eius in literas retulit. Fuisse tamen postea ex ea familia Cartusiensis in fasciculo tradit, qui re delata ad pontificem maximum, decretum causa cognita impetrarint, quo innoxius eius ueneficij ordo uniuersus pronunciatus fuerit. Dominicani qui Luceburgi agunt, hoc amplius cœnobij sui autorẽ non alium citant quàm Henricum. Neq; ergo fieri potuisse, uti tantum scelus in tam bene meritum perpetratum extiterit. Nobis potius in medio relinquere placet disputationẽ funestam, quàm de infandæ audaciæ fama certam proferre sententiam. FINIS.

Varia de Hẽrici morte opinio

INVICTISS. ET CLEMENTISS. RO. IMP. CAROLO AVSTRICO, EIVS NOMINIS V. Hispaniarũ, Pannoniæ, Dalmatiæ, Siciliæq; regi longe potentissimo, Hermannus à Nuenare, sacri imperij Germanici Comes, perpetuam felicitatem.



Vum nostro æuo rei literariæ studiosi homines, ingenij felicitate & dicẽdi copia pollentes, quicquid ad philosophiæ cumulum siue diuinæ siue humanæ facere potuit, abunde persequuti fuerint, uisum est mihi aliquando prudentissimum illud Pythagoræ consiliũ amplectendum esse, quo suis discipulis silentij septennalis rationẽ proponebat: idq; adeo semper apud me obtinuit, ut per annos aliquot in angulum abditissimũ recipere me statuerim, ubi cum Abderita Democrito, quantũ mihi per fortunam liceret, incognitus delitescerem, sic futurum ratus, ut uel ipsa diuturna meditatio uitæ moderationi coniuncta, fructum aliquem mihi reponeret. Quid enim in tam celebri hominum frequentia, quibus hæc ætas, & hæc natio nunc referta cernitur, nostræ industriæ relictum putabimus? Omnia sunt iam dicta, ut poëta ait, nihilq; prætermissum, unde uel augeri, uel ornari respublica possit. Iandudum siquidem per Germaniã pullulantibus passim ingenijs, mira ubertate res literaria propagari cœpit, ita ut non absurde Horatianum illud Germani de se iactare possint,

Venimus ad summum fortunæ, pingimus atque
Psallimus, & luctamur Achiuis doctius unctis.

Horatius

Hæc mihi subinde animo uersanti, nō potuit nō placere taciturnitatis ratio, præsertim quæ hoc tempore nō modo conducens, sed propè necessaria uidetur: quippe quū multos ob loquendi libertatē sæuiens uindictæ procella perdere conet̄: & quod magis dolendum sit, in libera Germania liberas esse linguas non permittit̄, quod in qualibet libera ciuitate permittendum M. Cicero iudicabat. Verum ex altera parte mecū dissidens, cogitaui nec sic quidem decorem me seruaturū. Nam faustum illud imperij tui exordium, quo totus ad alacritatem mundus excitatur, omnem socordiam metumq́ reprimit, ac ueluti reluctantem cogit in tam publico orbis spectaculo frontem deponere, institutoq́ Aristippi blandum quoddam & ciuile uiuendi genus amplecti. *Diogenis dolium* Repente igitur exēplo Cynici illius Diogenis doliū meū uoluere aggrediar, ne in communi omniū occupatione intempestiuius ociari uidear. Vt tamen aliquā audaciæ meæ apologiā prætexam, duo sunt inuictissime Cæsar quæ mihi fiduciam suggerunt tecum per literas loquendi, amor tui & patriæ gloria, quorū alterum mihi cum optimo quoque cōmune iudico, ita ut id ueniā mereri ab omnibus putem, quod nemo non studet facere, nisi pessimus: alterum ut excusatione non egeat, tua innata clementia facile præstabit, quæ proculdubio tanto uincit cæteras uirtutes, quanto tu omnibus maior es. Habes itaq; summam excusationis meæ, qua fretus hoc rude & incultum historiarū opus, tibi qua possum honoris tui præfatione nuncupo, quod quidē nō quasi nostro ingenio partum sit æstimare debes, quum idipsum è Germanicæ uetustatis penu deprōpserim, quale quiddam ante nos ornatissimus uir Conradus Peutinger approbantibus doctissimis hominibus præstitit. *Peutinger* Quare mihi Francorū regum, Pipini uidelicet, Caroli magni, atq; Ludouici res gestas uelut postliminio reuertētes in Germaniā reducere sub tui nominis auspicio liceat: quorum potissimū ope ultra omnes totius Europæ prouincias nostra Germania & aucta & ornata legit̄, ut non minus Francis debeat ipsa, quàm Romanis olim Italia, & suis docta Græcia Athenis. Hæc est enim illa inter omnes Germaniæ gentes clarissima, meritoq́ nominis immortalitate celebranda, quæ Germaniā Germaniæ restituit, quum illa prius tot intestinis cladibus dilaniata, uix sibijpsi constaret: hinc Gothis, Vuandalis, Hunis, Langobardis: illinc Herulis, Turcilingis, Saxonibus, Anglis, Nortmannis, Quadis, Burgundionibus, Alemannis in suam parentem sæuientibus. Hæc Galliam tripartitā toties à nostris maioribus oppugnatam, tandem omni ex parte perdomuit, ipsiusq́ non modicam partem in hanc nationem transplantauit, ut ab alpibus, unde Rhenus effundit̄, usq; ad occiduum oceanū Germanici iuris sit, quod Gallia prius Belgica dicebat̄. *Belgæ* Reliquū autē Galliæ de suo nomine Franciam appellari etiā hoc tempore uidemus: unde constat Gallorum non tam uictores quàm extinctores fuisse. *Gallia Celtica Francia dicitur* Hæc deniq; Ro. imperiū tanto tempore toti terrarū orbi non formidabile solum, sed etiā onerosum, breui tempo

tempore contriuit, ipsamq́ Italiam uictricē quondam gentiū uictoris ferrē iugū compulit. Sic Germanorū uirtuti cedere coacti sunt Romani, quos neque ferocia Annibalis cum tota Africa, neq́ potētia Antiochi cum sua Asia, nec Pyrrhus, quamuis Græciæ esset imperator, frangere potuerunt. Quæ res fortissimū uirum non latuit Fridericum I. cognomēto Barbarossam, quemadmodū de illo memoriæ tradiderunt Otho Frisingensis episcopus, & Guntherus Ligurinus poëta. Nam hunc ad legatos Ro. sibi in aditu urbis obuiā factos, uere Germanico quodam uultu dixisse ferunt, Ro. imperiū maiorum meorum Francorū sanguine emptū, eisdem quibus accepi manibus tueri conabor: quo suo eulogio uanam Italorū contudit arrogantiā, qui ad Germanos uenisse imperiū Stephani papæ donatione asserunt, ut precario nos accepisse fingant, quod belli iure possidemus. Qui si uerum dicere uellent, faterentur utiq́ Carolum magnū Italię, ā qua per Langobardos eiectus erat, restituisse papam Stephanū, nec agnoscere donum, quo carebat is quem fingunt donatorē: faterentur per hunc in Italia regnare pontificē Ro. non Constantinū, cuius successores usq́ ad Theoderichi regis Gothorum tempora, & ipsam Romā, & Italiam totā tenuerunt: faterentur hexarchatū Rauennæ cū Piceno non fuisse unq́ sub potestate Ro. ecclesiæ, nisi postq́ Stephano papæ fuit per Pipinū collatus. Sed Italorū hæc commenta relinquamus, & ad Francos reuertamur: hi sunt enim qui Saxonū gentem bellicosissimā, & Ro. uiribus insuperabilem, diuturno bello domuerunt, uictamq́ Christi sacratissimam religionē profiteri compulerunt. Hi Hispaniā prius occupatā Saracenis, Pannonias Hunis, Sarmatiā Sclauis, totū Balearicū mare uexatū Mauris, tam breui tempore subegerunt, ut nescire possis, maior'ne felicitas eorum in consequendis ac retinendis, quàm fortitudo in expugnādis prouincijs fuerit. Ex hac nimirū gente tanq́ ex equo Troiano totius Germaniæ nobilitas prosilijt: neq́ enim altius suos auos numerat ulla insignis familia: quum primum ad Ansgisum Maioremdomus uentū est, ibi uelut ad ancoram sacram hæret. Nec nos mouet quorundam stultitia, suam originē ad Ro. referentiū, qui si scirent nullam in Italia nobilitatē esse, quam non Germani eò aduexerint, non haurirent aquā è riuulis, ipso fonte cōtempto. Iam satis constat, maiores tuos Austrię, Burgundiæ, Brabantiæ, Hollandiæq́ principes è Francorum sanguine fuisse propagatos, neq́ hoc augustū nomen tuū fortuito obuenisse tibi putaueris, quandoquidem hæreditaria quadam successione id in te deriuatum scire debes. Sed ne multis te detineā inuictiss. Cæsar, hoc breuiter dixisse sat sit, uix ullum reperiri tam in Germania quàm Gallia cœnobiū, quod illorū munificentia non fuerit uel extructū, uel ornatū. Huius itaq́ gentis in nostram nationē præclara & immortalia beneficia si per obliuionē premi patiamur, quis ab ingratitudinis crimine nos absoluere poterit? Dicere solebat magnus uir Eumenes, satius esse perire, quàm ingratum uiuere: & nos

fortiter

Italorum de translato imperio commentum

Francorū fortia facta

Nobilitas omnis à Francis

Probus Aemylius

nos profecto ingratitudinis nota nõ carebimus, si quod in priuatos hoĩes ad mittere nefas putatur, in patriam commiserimus. Accipe igitur iucunda fronte munus exiguũ tuo dedicatũ nomini, quod etiamsi te dignum minime sciã, non ideo tamen à nobis offerendum non fuit: nam si ad materiã spectes, uix ulla gaza, uix regũ atq; tyrannorũ opes satisfuerint: recte enim magnus Aristoteles diffiniuit amicitiã id exposcere, quod quis præstare possit, non quod pro dignitate sit: & te quidẽ inter omnes uirtutes, quibus præditũ esse cognouimus, nulla æque decet, ac illa admirabilis animi tui lenitas, quæ potest uel grauiter delinquẽti ignoscere: oportet enim te nõ minus boni parentis quàm optimi principis specimen exhibere, quẽadmodũ apud Xenophontẽ Chrisanta quidam testat*r*, ὅτι ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει τοῦ πατρὸς ἀγαθοῦ, hoc est, quod bonus princeps nihil differt à bono parente: hæc enim una est in principe laus, qua non potest ulla dari præstantior: ideoq; ueniæ locũ apud te mihi certò polliceor: quã si ego nõ mercor, ille tamen facile impetrabit Carolus magnus, cuius in gratiã hoc qualecunq; studiũ nostrum desudat: dignus ille qui pro me intercedat, dignus cuius tu uitã & mores imiteris: quod si feceris, nunq; sanè te facti pœnituerit: nam illud præclarũ exemplar tuum si nõ uinces, saltẽ æquaueris: longe felicior futurus C. Cæsare Ro. potẽtissimo, qui sibi uelut scopũ quendam Alexandri Magni gesta ante oculos cõstituisse fertur, flagitiosus homo dignũ suis actibus exẽplar cõsecutus. Tu uero huius uiri sanctimoniam imitatus, iure optimo Carolus Max. appellaberis, ut te omnes per orbem terrarũ & colant & admirent*r*. Interim te mente & corpore ualere opto, deumq; maximum precor, ut imperiũ tuum fausto omine inchoatum, optimo felicissimoq; fine concludat. Vale gloriosissime & clementissime imperator. Ex Colonia Calendis Februarij.

8. Ethicorum

Chrisanta

EIVSDEM HERMANNI COMITIS NVENARII BREVIS narratio de origine & sedibus priscorum Francorum.

DE origine & sedibus Francorũ priusquã in Gallias eruperint, eorum qui hactenus eius gentis historiam scripserunt, nemo satis fideliter accurateq; tractasse uidet*r*. Quidam enim antiquiores, quod seculum illud infelicissimũ esset, ad fabulas plerunq; prolapsi sunt: quoniã delectũ nõ habebant, nec sine bonarũ literarum cognitione de rebus historiæ exactum poterant proferre iudiciũ. Fuerũt enim inter eos qui à Troiano excidio Francorũ deducerent gentem, idq; tam aperte astruentes, ut etiã regũ nomina adscriberẽt, nescio quid græcanicæ proprietatis subolentia. His omnibus prior ansam dedit Hunibaldus, quẽ uixisse putant non multo post Theodosij imp. tempora: licet mihi non multũ fidei faciat autor tam fabulosus & barbarus: quem quũ multis ex causis, tum uel maxime ob id supposititiũ putauerim, quod Theodosij uel Gratiani temporibus nondum adeo degenerauerat in extremã barbariem Latinus sermo, ut tam abiecto stylo scribere potuisset. Præterea quum, sicut ipse

Sunnbaldus

testatur.

testatur, tam uehemens tunc Francorum in Ro. odium uigeret, ut multis in locis ne uestigia quidem Ro. relinquenda putauerint, quo illorum memoriã extirpare è Germania atq; Gallia possent, mihi uerisimile non uidetur, Hunibaldum ea ipsa lingua gentis suæ historiã tradere uoluisse, quam tam acriter insectabantur omnes, sed opinor studiosum aliquem nonnulla ex Hunibaldo collegisse, eaq; suo more sine ordine, sine iudicio sic in uolumen redegisse, quemadmodum nunc apud quosdam habentur. Quod si quis omnino contendat, hunc ipsum esse Hunibaldum non fictitiũ, sed uerum, huic libens concedam, modo ne me cogat illi fidem facere in ijs rebus, quæ solent spectatæ eruditionis & doctrinæ uirũ expostulare: nõ magnopere enim me illi opponerem, nisi Troianos meliores putasset Germanis, & quos Corn. Tacitus atque C. Plinius homines Ro. indigenas semper fuisse pronunciant, eos ipse Asiaticos origine faceret: sed quàm hoc sine omni iudicio facere aggressus sit, alij mecũ iudicent: nam si Troianum bellum fuisse aliquando (quod pulcherrimis rationibus negat Dion Prusensis, sacra Ægyptiorũ fultus historia) putandum est, certe non facile persuadebit mihi Hunibaldus, tantum hominũ numerũ sub tam famoso duce furtim abscedere potuisse, cuius rei nullus Gręcorum scriptor mentionẽ faciendam censuisset: neq; enim tanto hominũ numero in Italiam Æneas & Antenor profugisse leguntur, quanto Priamũ Iuniorem Hunibaldus ad Scythiam uenisse contendit: tamen horum fugã Dares non tacuit, quem nonnulli militasse eo bello putant, & omnes Græcorum historiæ testantur hos solos expugnatę urbis reliquias fuisse, qui in ipso Grecorum insultu fuga salutem quæsiuerint, postmodumq; alter Venetiam, alter Latium inuaserint. At Priami illius iunioris nullus unquam ueterũ meminit, eoq; magis admirari cogor eos, quibus pro miraculo est Hunibaldus iste, quasi confingere regum nomina opus sit laboriosum: præsertim ubi earum rerum quas scribit præter ipsum nemo meminerit historicus. Iam uide quam fidem mereatur, quod ait Francorũ populum profugũ uenisse ad Scythiam, ibiq; ciuitatem construxisse nomine Sicambriã: quis huius unq; ciuitatis autor meminit? An non tam facile nouam urbem confingere sola sua autoritate potuit, quàm ridicule nouam gentem à Troiano deduxit excidio? Nam eos parum admodum curo, qui ipsum sequuti sunt, nempe Gregoriũ Turonensem episcopũ, & Rheginonẽ atq; Sigibertũ Gallum. Mihi nõ probatur aliam esse Sicambriã, quàm illam celebrem Germaniæ prouinciã inter Busacteros paruos & Bructeros Langobardosq;, autoribus Ptolemęo Cornelioq; Tacito, constitutã, ubi etiã abbas Spanheimeñ. putat habitasse Francos, & idipsum mihi à ratione nõ uidetur alienum, primo quod uicini fuerint Gallis: cum illis enim perpetuo bella gessisse traduntur, quemadmodum & ipsorum testantur annales: at qui poterant semper bella gerere nisi cum uicinis, utpote quos tantum Rhenus fluuius separaret: ab altera enim parte uel

 Bataui, uel

Coma francorum

Bataui,uel Eburones,uel Menapij,uel Vbij erant, quos omnes uicisse Francos constat prius quàm in Celticã & Lugdunensem mouerent. Iam de Sicãbris constat quãto in Gallos odio flagrauerit semper ea gens,adeo ut Octauianus claudere Iani portas non posset,nisi prius traductis in citeriorẽ Rheni ripam aliquot Sicambrorũ milibus: autor est Suetonius Tranquillus. Taceo nũc quod de Francis Hunibaldus scripsit, coma usos,capillitijq; magnã habuisse curam,ideoq; deuictis Gallis in signũ seruitutis comã totondisse,ut uictores à uictis eo facilius dinoscerent. Hæc etiam Sicambris optime quadrãt,de qbus initio epigr.Martial. Crinibus in nodũ tortis uenere Sicãbri. Et calamistro ad ornandam comã usos nonnulli Ro.scriptores tradiderunt: nullæ enim aliæ Germanorũ gentes sic à coma prædicant ut Sueui & Sicambri. Porrò q; postea nomen mutauerint,id aliquo euentu factũ esse potest,ut quotidie fieri uidemus: qui enim nunc Leodienses, olim Eburones fuerunt: Colonienses Vbij:sic Austria nunc appellat,quæ olim Pannoniæ pars erat: sic Alsatia dicit quę olim Alemania:sic Occidentale uulgo Lotharijq; regnũ dicitur nobilis illa Belgicæ pars ab Argentorato usq; ad Treuiros protensa, idq; tantũmodo ob partitũ Francorum in tres partes regnũ,quarum postrema atq; minor Lothario Cæsari obuenerat, Vuestualia nunc dicitur quę Saxonia olim fuit: quæ breuiter in mediũ attulisse sufficiat,ut nulli mirũ uideat si mutato nomine,qui ante Sicambri dicebantur,postea Franci appellari potuerint. Siue enim Franci à rege eorũ Frãcone,ut autor est Hunibaldus, siue à libertate,quod Gregorius Turonensis & Sigibertus putant, non multum ad rem nostram facit. Ex historijs hoc nomen sub Antonini & Probi Impp. tempora agnitũ reperio. Trebellius Pollio in uita Probi Cæsaris, Testes, inquit,sunt Franci in inuijs siti paludibus. Et sæpe quum Germanorũ enumerat gentes, interserit & Francos. Paludes autem esse nemini ambiguũ est ea in parte Germaniæ,quam nos Sicambriã olim dictã credimus,uidelicet ubi nunc Zutphania urbs sita est,& non longe ab Asciburgo,quam Embricam quidam uocari putant,ingens & famosa palus uersus Vuestualos protendit. Præterea ubi Frisij occidentales,hodie Monasterienses & Traiectenses Gelrensibus & Hollandis contermini sunt. Solum ipsum natura paludosum cernitur. Sic etiã intelligi poterit quod de Francorũ sedibus I. lib. Gothicorũ bellorũ Procopius scribit,cuius uerba quia planè in Germania Francos ponunt, eo libentius subscribam,q; sciam quosdam hoc pessime habiturũ,qui nostræ gloriæ semper inuiderunt. Describens enimuero situm locorum, ubi Rhenus in oceanum Germanicum præcipitatur, Hisce,inquit,locis paludes sunt non modicę,ubi primitus Germani habitabãt,gens barbara,nec magni tunc momenti uiri,qui nunc appellant Franci,ijs finitimi Arborichi erãt. Hæc Procopius. Sed quantũ ad loci descriptionẽ,quæ χωρογραφία dicit, attinet,condonandũ aliqd est illis,q de rebus incognitis atq; remotiss. scripserũt. Fuit enim

Procopius

Procopius uir equestris ordinis, qui apud Iustinianum Cæsarem in Græcia militabat. Verissimum est illud Plinij II. Naturalis historiæ libro dictum, locorum situs diligentissime explanari ab ijs qui inde prodissent. Porrò non multũ distant Sicambri ab ostijs Rheni, ut homo Græcus facile hallucinari potuerit: uel certe præter Sicambriã, Batauiã atq; Hollandiã quoq; inhabitauerunt. De Arborichis autẽ quid sibi uelit non satis intelligo, nisi quod insulæ Arborichæ adiacere dicuntur illi prouinciæ, quæ nunc Hollandia uocatur. Idem autor libro tertio scribit Germanos Galliã debellasse, permissuq; Iustiniani Cæsaris possidendam accepisse: unde inquit & Arelatę nunc habitant. Sed de alia Germanorũ gente credi hoc non potest, quum Francos eo tempore tota Gallia potitos constet. Primus enim Francorũ Clodoueus uniuersam Galliam, eiectis Romanis obtinuisse traditur. Is uero Martiani imperatoris temporibus regnauit: post quem Iustinianus imperauit centũ amplius annorum interuallo, & à Clodoueo usq; ad Carolum magnũ res Francorum incrementa semper accepit, donec totius ferè Europæ tenerent imperium. Hos igitur inclytos Germanos Procopius notauit, à quibus etiam hoc tempore Imperator Arelatensis regni titulum retinet. Quos in Sicambria olim sedes habuisse, & uera origine Germanos fuisse indigenas, nõ Troianos, ut fabulantur quidam, mea fert opinio, quam nõ parum promouet q abbas Spanheimensis ait haberi apud Remos insculpta hæc uerba, quibus beatus Remigius Clodoueum baptizandum alloquutus fuerit, Mitis depone colla Sicamber. Neq; Hunibaldus inficiatur hanc Francos inhabitasse prouinciã postq̃ è Scythia digressi sunt, annis ante Christum natũ nõ minus CCCC. Quare miror magis eorum regum nomina quæ recenset post aduentum eorum in Germaniã non reperiri apud Ro. scriptores, inter quos Strabo Augusti tempore tres nominat Sicambrorum reges, quorum nullus est in catalogo Hunibaldi. Si quis aliter sentiat, illi non obnitar: liberũ cuiq; suum esto iudicium. Hoc tamen pro mea interim sententia adducam, gloriæ cupiditate multos olim fuisse inductos, ut antiquissimã originem suam facere conarentur. Qui enim alijs meliores uideri uolunt, hoc potissimum student ut cum alijs nihil habeant commune. Hinc etiam Saxones, qui semper inter Germanos præcipuum locum habuerunt, origine se Macedonas gloriabantur, hac in re nõ minus ridiculi quàm Franci: eamq; ob causam res strenue gestas nequaq; communi uocabulo Germaniæ tribuebant, sic suam gloriam uilescere rati: hoc enim & Gothi & Vuandali factitarunt, unde paulatim à uulgo creditum est eos extra Germaniam fuisse. Sed hæc breuiter attigisse sufficiat.

RESTAT aliqua ex ipsorum Francorum monumẽtis afferre testimonia, idq; tanta breuitate aggrediemur, ut tædium legentibus nullum afferamus, diligentioribus reliqua committentes. Duas Francos habuisse leges ipsorum autores testanẽ, Salicam atq; Ripuariã, quibus nullus regum ante Carolum magnum

Procopius

Clodoueus

L. L. Salica et Ripuaria

magnum adijcere quicq̨ tentauit. Eæ quum apud ipsos plurimi semper momenti habitæ sint, ac in Latinā linguā posterioribus seculis translatæ reperiātur, eo maiorem aduersarijs autoritatē pręstabunt. Ipsarum quoq̨ penes me exēplar fuit ipsius Caroli magni temporibus conscriptū, in quo passim gentis uocabula, quæ Latinis uerbis reddi non potuerūt, uernacula Germanorū lingua exprimunť, quam rem ex ipsarum legum capitulis probaturi sumus, ut liquidò appareat, nostræ Germaniæ non paruā infligi contumeliā, quum illi sua eripitur gloria, Francorum olim egregijs uirtutibus parta.

Legis Ripuariæ capitulo XV. ubi loquitur de ijs qui interfectum hominē cælant, uel in puteū deijciunt, exponit se hoc modo: quod dicitur ermordet: ermorden enim interficere hominem sonat eo modo quo solent latrones: & est cōuicij uerbum. Itē passim pro pecunia qua quis mulctā soluit aut redimit, uuergelta poniť: gelt enim pecunia est Germanis, & uueren defendere.

Cap. XXXVIII. ubi enumerat quædam instrumenta armorū, Spatham inquit cū cogilo, pro capulo, & helmum pro galea, & beinbergas pro armis quibus teguntur crura: bein enim crus appellamus. Item fredum appellat compositionem, qua quis pacem à principe impetrat: frid. pax.

Cap. LXXXIX. hominem ferbannitum, id est, exilio damnatum.

Cap. XC. Grauionem comitem, qui etiam hodie Grauen dicuntur. Multa insuper quæ enumerare opus non puto, de reliquis lector coniecturā faciat. Quod si quis dicere uelit Ripuariam legem solis Ripuarijs fuisse promulgatam, qui Francorum quidem socij, non de eadem gente erant, opponā illi Salicam, quæ proculdubio antiquissima fuit, secundum quam iudicare solebant Franci.

Cap. primo docet, quomodo quis sit maniendus: ubi manire pro citare.

Cap. VI. canem seusium, id est porcarium, uel doctum ad inuestigandos apros, quod nos ein seusbundt, uel schuuynhundt.

Cap. VII. Sparuuarium pro aue, quem hodie quoque Speruuer dicimus. Scuriam pro horreo. Cap. XXIIII. Slusa de farinario, pro clausura.

Cap. XXVIII. Skellam de caballo, pro instrumento quo uulgo campanellam uocant siue tintinnabulum, quo utuntur equi onerarij. Reffare segetem, pro uellere.

Cap. LIII. Rachtinburgij dicuntur commissarij, ad componendas lites instituti: rachten enim componere, burgen fideiussores.

Cap. LXI. Durpilum exponit liminare domus. Item ex constitutionibus Caroli magni ad Salicam legem adiectis, teste quoq̨ Eginharto.

Cap. IIII. Faidosum appellat qui hostis est publicus: feed enim bellum significat. Herbannus multa quæ domino, hoc est, principi debetur. Scaram pro turma. Herbergam pro hospitio,

Cap. LXX sic scribiť: Quicunq̨ absq̨ licentia principis de hoste reuersus fuerit,

ſus fuerit, quod factũ Franci hereſclit dicunt, uolumus ut antiqua cõſtitutio, id eſt, capitalis ſententia erga illum puniendum cuſtodiatur, ab exercitu quẽ here uocamus. Cætera, quæ multa ſunt, partim iam uſu abolita, ſed adhuc Germanicam originem teſtantia, quædam etiam adhuc uulgari conſuetudine recepta, conſulto præterire ſtatui, ne lectorem ad alia iam properantem detinuiſſe uidear.

VITA ET GESTA CAROLI COGNOMENTO MAGNI, FRANCORVM REGIS FORtiſſimi, & Germaniæ ſuæ illuſtratoris, autoriſq́ optime meriti, per Eginhartum, illius quandoque alumnum atque ſcribam adiuratum, Germanum conſcripta.



ITAM & conuerſationem, & ex parte non modicas res geſtas, domini & nutritoris mei Caroli excellentiſſimi & merito famoſiſſimi regis, poſtquã animus ſcribere tulit, quanta potui breuitate complexus ſum, operam impendens ut de ĳs quæ ad meam notitiam peruenire potuerũt, nihil omitterem, neq́ prolixitate narrandi noua quæq́, faſtidientium animos offenderẽ, ſi tamen ullo modo uitari poteſt, ut noua ſcriptione nõ offendantur, qui uetera, & à uiris doctiſſimis atq́ diſertiſſimis confecta monumenta faſtidiunt. Et quamuis plures eſſe non ambigam, qui ocio ac literis dediti, ſtatum æui præſentis non arbitrentur ita negligendum, ut omnia quæ nunc fiunt, uelut nulla memoria digna, ſilẽtio atq́ obliuioni tradanť, potiusq́ uelint amore diuturnitatis allecti, aliorũ præclara facta qualibuſcunq́ ſcriptis inſerere, quàm ſui nominis famam poſteritatis memoriæ nihil ſcribendo ſubtrahere: Tamen ab huiuſmodi deſcriptione non exiſtimaui temperandum, quando mihi conſcius eram, nullum ea ueracius quàm me ſcribere poſſe, quibus ipſe interfui, quæque præſens oculata, ut dicitur, fide cognoui, & utrum ab alio ſcriberentur nec ne, liquidò ſcire non potui: ſatiusq́ iudicaui eadem cum alĳs uelut communiter literis mandata memoriæ poſterorum tradere, quàm regis excellentiſſimi, & omnium ſua ætate maximi, clariſſimam uitam, & egregios, atque noſtri temporis hominibus uix imitabiles actus, pati obliuionis tenebris aboleri. Suberat & alia non irrationabilis cauſa, quæ uel ſola ſufficere poſſet, ut me ad hæc ſcribenda compelleret, nutrimentum uidelicet in me impenſum, & perpetua, poſtquam in aula eius cõuerſari cœpi, cum ipſo & liberis eius amicitia, qua me ita ſibi deuinxit, debitorem'que tam uiuo, quàm mortuo conſtituit, ut merito ingratus uideri & iudicari poſſem, ſi tot

si tot beneficiorum in me collatorum immemor, clarissima & illustrissima hominis optime de me meriti gesta silentio præterirē, paterer'q; uitam eius quasi qui nunquam uixerit, sine literis ac debita laude manere. Cui scribendæ atque explicandæ non meum ingeniolum, quod exile & paruum, imò nullum penè est, sed Tullianam par erat desudare facundiam. En tibi librum præclarissimi & maximi uiri memoriam continentem, in quo præter illius facta nō est quod admireris, nisi forte quod homo barbarus, in Romana locutione perparum exercitatus, aliquid decenter aut commode Latine scribere posse putauerim, atq; in tantam impudentiam proruperim, ut illud Ciceronis putarem contemnendum, quod in primo Tusculanarū libro, quum de Latinis scriptoribus loqueretur, ita dixisse legitur: Mandare quenquam, inquit, literis cogitationes suas, quas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & ocio & literis. Poterat quidem hæc oratoris egregij sententia me à scribendo deterrere, nisi animo præmeditatum esset, hominū iudicia potius experiri, & scribendo ingenioli mei periculum facere, quàm tanti uiri memoriam mihi parcendo præterire

In temere scribentes

VITA CAROLI MAGNI IMP.



Ens Merouingorum, de qua Franci reges sibi creare soliti erant, usque in Hildericum regem, qui iussu Stephani Romani pontificis depositus ac detonsus, atq; in monasteriū trusus est, durasse putatur: quæ licet in illo finita possit uideri, tamen iandudum nullius uigoris erat, nec quicquā in se clarum, præter inane regis uocabulum præferebat: nam & opes & potentia regni penes palatij præfectos, qui Maioresdomus dicebantur, & ad quos summa imperij pertinebat, tenebantur: neq; regi aliud relinquebatur, quàm ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecūq; uenientes audiret, eisq; abeuntibus responsa, quæ erat doctus, uel etiam iussus, ex sua uelut potestate redderet, quum præter inutile regis nomen, & precarium uitæ stipendium, quod ei præfectus aulæ prout uidebatur exhibebat, nihil aliud proprij possideret, quàm unam præparui reditus uillam, in qua domū, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atq; obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. Quocunq; eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis, & bubulco rustico more agente trahebatur: sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conuentum, qui annuatim ob regni utilitatē celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At regni administrationē, & omnia quæ uel domi uel foris agenda ac disponenda erant, præfectus aulæ procurabat. Quo officio tum quum Hildericus deponebatur, Pipinus pater Caroli regis iam uelut hæreditario iure fungebat': nam pater eius Carolus, qui

tyrannos

tyrannos per totam Franciam dominatum sibi uendicantes oppressit,& Saracenos Galliam occupare tentantes, duobus magnis prælijs,uno in Aquitania apud Pictauium ciuitatē, altero iuxta Narbonam apud Byrram fluuiū ita deuicit,ut in Hispaniam eos redire compelleret. Eundem magistratū à patre Pipino sibi dimissum egregie administrauit: qui honor non alijs à populo dari consueuerat,quàm ijs qui & claritate generis, & opū amplitudine cæteris eminebant. Hunc quum Pipinus pater Caroli regis ab auo & patre sibi & fratri Carolomanno relictū, summa cum eo concordia diuisum aliquot annis uelut sub rege memorato tenuisset,frater eius Carolomannus, incertū quibus de causis, tamen uidetur quod amore conuersationis contemplatiuæ succensus,operosa temporalis regni administratione relicta,Romam se contulit in ocium,ibiq; habitu permutato monachus factus, in monte Soracte apud ecclesiā beati Syluestri constructo monasterio,cum fratribus secum ad hoc uenientibus, per aliquot annos optata quiete perfruitur. Sed quum ex Francia multi nobilium ob uota soluenda Romam solenniter commearent, & eum uelut dominum quondam suum præterire nollent,ocium quo maxime delectabatur, crebra salutatione interrumpentes,locum mutare compellunt: nam quum huiuscemodi frequentiam suo proposito officere uidisset,relicto monte in Samnium prouinciā ad monasterium sancti Benedicti,situm in arce Cassiana,secessit,& ibi quod reliquū erat temporalis uitæ,religiose cōuersando compleuit. Pipinus autem per autoritatem Ro. pontificis ex præfecto palatij rex constitutus,quū per quindecim annos,aut eo amplius Francis imperaret,finito Aquitanico bello, quod contra Vuaifariū ducem Aquitaniæ ab eo susceptum, per continuos nouē annos gerebatur, apud Parisios morbo aquæ intercutis diē obijt,superstitibus liberis Carolo & Carolomanno, ad quos successio regni diuino nutu peruenerat. Franci siquidem facto solenniter generali cōuentu,ambos sibi reges constituunt,ea conditione præmissa,ut totum regni corpus ex æquo partirentur: & Carolus eam partem, quam pater eorum Pipinus tenuerat,Carolomannus uero eam, cui patruus eorum Carolomannus præerat, regendi gratia susciperet. Susceptæ sunt utrinq; conditiones, & pars regni diuisi iuxta modum sibi propositū ab utroque recepta est: mansitq; ista,quamuis cum summa difficultate, concordia, multis ex parte Carolomanni societatem separare molientibus,adeo ut quidam etiā eos bello cōmittere sint meditati. Sed in eo plus suspicionis quàm periculi fuisse ipse rerum exitus approbauit, quum defuncto Carolomanno uxor eius cum filijs,& quibusdam qui ex optimatum eius numero primores erant,Italiam fuga peteret: & nullis existentibus causis, spreto mariti fratre, sub Desyderij regis Langobardorū patrociniū se cū suis liberis offerret. Carolomannus quidem post administratū communiter biennio regnum morbo decessit. Carolus autem fratre defuncto, consensu omnium Francorū rex

constituitur. De cuius natiuitate atque infantia, uel etiã pueritia, quia neque scriptis usquam aliquando declaratum est, nec quisquam modò superesse inuenitur, qui horũ se dicat habere notitiam, scribere ineptũ iudicans ad actus & mores, cæterasque uitæ illius partes explicandas ac demonstrandas, omissis incognitis transire disposui: ita tamen ut primo res gestas & domi & foris, deinde mores & studia eius, tum de regni administratione & fine narrando, nihil de ijs quæ cognitu uel digna uel necessaria sunt prætermittã. Omniũ bellorum quæ gessit primo Aquitanicum à patre inchoatũ, sed nondum finitũ, quia cito peragi posse putabatur, fratre adhuc uiuo, & auxilium ferre rogato, suscepit: & licet eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam expeditionem strenuissime executus, nó prius incepto desistere, aut suscepto labori cedere uoluit, quàm hoc quod efficere moliebatur, perseuerantia quadam, perfecto fine concluderet. Nam & Hunoldum, qui post Vuaifarij mortẽ Aquitaniam occupare, bellumque iam penè peractum reparare tentauerat, Aquitaniam relinquere, & Vasconiam petere coëgit: quem tamen ibi consistere nõ sustinens, transmisso amne Garonna Lupo Vasconum duci per legatos mandat ut perfugam reddat: quod ni festine faciat, bello eum se expostulaturum. Sed Lupus saniori usus consilio, non solum Hunoldum reddidit, sed etiã seipsum cũ prouincia cui præerat, eius potestati submisit. Compositis in Aquitania rebus, eoque bello finito, regni quoque socio iam rebus humanis exẽpto, rogatu & precibus Adriani Ro. urbis episcopi exoratus, bellum contra Langobardos suscepit: quod prius quidẽ & à patre eius, Stephano papa supplicante, cum magna difficultate susceptũ est: quia quidam ex primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeo uoluntati eius renisi sunt, ut se regem deserturos, domumque redituros libera uoce proclamarent. Susceptũ tamen bellum est contra Haistolfum regem, & celerrime completum. Sed licet sibi & patri belli suscipiendi similis, ac potius eadem causa subesse uideretur, haud simili tamen & labore certatum & fine constat esse completũ. Pipinus siquidem Haistolfum paucorum dierum obsidione apud Ticinum compulit & obsides dare, & erepta Romanis oppida atque castella restituere: atque ut reddita non repeterentur, sacramento fidem dare. Carolus uero post inchoatum à se bellum nõ prius destitit, quàm & Desyderiũ regẽ, quem longa obsidione fatigauerat, in deditionem susciperet, & filium eius Adalgisum, in quẽ spes omnium inclinatæ uidebantur, non solum regno, sed etiam Italia decedere compelleret, omnia Romanis erepta restitueret, Ruodgausum Foroiuliani ducatus præfectum, res nouas molientem opprimeret, totamque Italiam suæ ditioni subiugaret, subactæque filium Pipinum regem imponeret. Italiam intranti quàm difficilis alpium transitus fuerit, quantoque Francorum labore inuia montiũ iuga, & eminentes in cœlum scopuli, atque asperæ cautes superatæ sint, hoc loco describerẽ, nisi uitæ illius modum potius quàm bellorũ quæ gessit

gessit, euentus memoriæ mandare præsenti opere animo esset propositũ. Finis tamen huius belli fuit subacta Italia, & rex Desyderius ppetuo exilio deportatus, & filius eius Adalgisus Italia pulsus, & res à Langobardorum regibus ereptæ Hadriano Ro. ecclesię rectori restitutæ. Post eius finem Saxonicũ, quod quasi intermissum uidebatur, repetitũ est, quo nullum neq; prolixius, neq; atrocius, Francorumq́; populo laboriosius susceptũ est: quia Saxones, sicut omnes ferè Germaniam incolentes nationes, & natura feroces, & cultui dæmonum dediti, nostræq́; religioni contrarij, neq; diuina, neq; humana iura uel polluere, uel transgredi inhonestum arbitrantur. Suberant & causæ quæ quotidie pacem conturbare poterant, termini uidelicet nostri & illorum penè ubiq; in plano contigui, præter pauca loca, in quibus uel syluæ maiores, uel montium iuga interiecta, utrorumq; agros certo limite disterminant, in quibus cædes, & rapinæ, & incendia uicissim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci sunt iritati, ut iam non uices reddere, sed apertum contra eos bellum suscipere dignum iudicarent. Susceptũ est igitur contra eos bellum, quod magna utrinq; animositate, tamen maiore Saxonum quàm Francorũ damno per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu est quoties superati ac supplices regi se dediderint, imperata facturos polliciti sint, obsides qui imperabantur absq; dilatione dederint, legatos qui mittebantur susceperint: aliquoties ita domiti & emolliti, ut & cultum dæmonũ dimittere, & Christianæ religioni se subdere uelle promitterẽt. Sed sicut ad hęc facienda aliquoties proni, sic ad eadem peruertenda semper fuere præcipites: ut non facile æstimare possis ad utrum horum faciliores uerius dici possint: quippe quum post inchoatum ab eis bellum uix annus unus exactus sit, quo nõ ab eis huiuscemodi facta sit permutatio. Sed magnanimitas regis, ac perpetua tam in aduersis quàm prosperis mentis constantia, nulla eorum mutabilitate uel uinci poterat, uel ab ijs quæ agere cœperat defatigari: nam nunquam eos huiuscemodi aliquid perpetrãtes, impune ferre passus est, quin aut ipse per se ducto, aut per comites suos misso exercitu, perfidiam ulcisceretur, & dignam ab eis pœnam exigeret, donec omnibus qui resistere solebãt profligatis, & in suam potestatem redactis, decem hominũ milia ex ijs qui utrasq; ripas Albis fluminis incolebãt, cum uxoribus & liberis sublatos transtulit, & huc atq; illuc per Galliam & Germaniam multimoda diuisione distribuit: eaq́; conditione à rege proposita, & ab illis suscepta, tractum per tot annos bellum constat esse finitum, ut abiecto dæmonũ cultu, & relictis patrijs ceremonijs, Christianæ fidei atq; religionis sacramenta perciperent, & Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur. Hoc bello, licet per multum temporis spatium traheretur, ipse non amplius cum hoste quàm bis acie conflixit: semel iuxta montẽ qui Osneggi dicitur, in loco + Thietmelle nominato: & iterũ apud Hasam fluuium

Caroli cũ Saxonibus bellũ

Saxonum perfidia

+ Hodie Detmold ?

uium,& hoc uno mense, paucis quoq; interpositis diebus. His duobus prælijs hostes adeo profligati ac deuicti sunt,ut ulterius regem neq; prouocare, neq; uenienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi auderent. Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorũ, quàm Saxonũ, & functi summis honoribus uiri,consumpti sunt: tandemq; anno tricesimo tertio finitum est: quum interim tot ac tanta in diuersis terrarum partibus bella cõtra Francos & exorta sint, & solertia regis administrata, ut merito intuentibus in dubiũ uenire possit,utrum in eo aut laborum patientiam, aut felicitatem potius mirari conueniat: nam biennio ante Italicum hoc bellum sumpsit exordium:& quum sine intermissione gereretur,nihil tamen ex ijs quæ alicubi erant gerenda dimissum,aut ulla in parte ab æque operoso certamine cessatum est:nam rex omnium qui sua ætate gentibus dominabantur, & prudentia maximus, & animi magnitudine præstantissimus, nihil in ijs quæ uel suscipienda erãt uel exequenda, aut propter laborem detrectauit, aut propter periculum exhorruit. Verum unumquodq; secundum suam qualitatem & subire & ferre doctus,nec in aduersis cedere,nec in prosperis falsò blandienti fortunæ assentire solebat.Quum enim assiduo ac penè continuo cum Saxonibus bello certaretur,dispositis per congrua confiniorum loca pręsidijs,Hispaniam quam maximo poterat belli apparatu aggreditur: saltuq; Pyrenei superato,omnibus quæ adierat,oppidis atq; castellis in deditionem acceptis,saluo atq; incolumi exercitu reuertitur: præter quod in ipso Pyrenei iugo Vasconicam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri.Nam quũ agmine longo,ut loci & angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Vascones in summi montis uertice positis insidijs (est enim locus ex opacitate syluarum, quarum maxima est ibi copia,insidijs ponendis opportunus)extremam impedimentorũ partem,& eos qui nouissimo agmine incedentes,subsidio præcedentes tuebantur,desuper incursantes in subiectam uallem dejciunt: cõfertoq; cum eis prælio, usque ad unum omnes interficiunt, ac direptis impedimentis noctis beneficio,quæ iam instabat,protecti,summa cum celeritate in diuersa disperguntur. Adiuuabat in hoc facto Vasconas & leuitas armorum & loci in quo res gerebatur situs:econtra Francos & armorum grauitas,& loci iniquitas per omnia Vasconibus reddidit impares. In quo prælio Eghartus regię mensæ prępositus,Anshelmus comes palatij,& Rutlandus Britannici littoris præfectus,cum alijs compluribus interficiuntur. Neq; hoc factũ ad præsens uindicari poterat:quia hostis re perpetrata ita dispersus est,ut ne fama quidem remaneret,ubinam gentium quæri potuisset.Domuit & Britones,qui ad occidentem, in extrema quadam parte Galliæ super littus oceani residentes,dicto audientes non erant:missa in eos expeditione,qua & obsides dare, & quæ imperarentur se facturos polliceri coacti sunt. Ipse postea cum exercitu Italiam ingressus,ac per Romam iter agens,Capuam Campaniæ urbem

Vasconica perfidia

niæ urbem accessit: atq; ibi positis castris, bellum Beneuentanis ni se dederēt comminatus est. Præuenit hoc dux gentis Aragisus, filios suos Rumoldum & Grimoaldum cum magna pecunia obuiam ei mittens, rogat ut filios obsides suscipiat, seq; cum gente imperata facturum pollicetur: præter hoc solum si ipse ad conspectum uenire nō cogeretur. Rex utilitate gentis magis quàm animi eius obstinatione considerata, & obsides sibi oblatos suscepit, eiq; ut ad conspectum uenire non cogeretur, pro magno munere concessit, unóque ex filijs, qui minor natu erat, pro obside retento, maiorem patri remisit: legatisq; ob sacramenta fidelitatis à Beneuentanis exigenda atq; suscipienda cū Aragiso dimissis, Romam redit: consumptisq; ibi sanctorum in ueneratione locorum aliquot diebus, in Galliam reuertitur. Baioaricū deinde bellum & repēte ortum, & celeri fine completū est: quod superbia simul ac socordia Tassilonis ducis excitauit, qui hortatu uxoris, quæ filia Desyderij regis erat, ac patris exilium per maritum ulcisci posse putabat, iuncto fœdere cum Hunis, qui Baioarijs sunt ab oriente contermini, non solum imperata non facere, sed bello regem prouocare tentabat: quorum contumaciam, quia nimia uidebatur, animositas regis ferre nequiuerat, ac proinde copijs undiq; contractis Baioariam petiturus ipse ad Lechum amnem cum maximo uenit exercitu. Is fluuius Baioarios ab Alemannis diuidit. Cuius in ripa castris collocatis, priusquam prouinciam intraret, animum ducis per legatos statuit experiri. Sed ille pertinaciter agere nec sibi nec genti utile ratus, supplex se regi subiecit, obsides qui imperabantur dedit, inter quos & filium suum Theodonem, data insuper fide cum iuramento, quod ab illius potestate nemini defectionem suadenti assentiri deberet. Sicq; bello, quod quasi maximum futurū uidebatur, celerrimus est finis impositus. Tassilo tamen postmodum ad regem euocatus, neq; redire permissus, neq; prouinciæ quam tenebat ulterius præesse, sed comitibus ad regendum commissa est. His motibus ita compositis, Sclauis, qui nostra consuetudine Vuilsi, proprie uero, hoc est, sua lingua, Vuelatabi dicuntur, illatum est bellum, in quo & Saxones uelut auxiliares inter cæteras nationes quæ regis signa iussæ sequebātur, quanq; uicta & minus deuota obedientia militabāt. Causa belli erat, quod Abotritos, qui cum Francis olim fœderati erant, assidua incursione lacessebant, nec iussionibus coërceri poterant. Sinus quidam ab oceano orientem uersus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis uero quæ nusquam centum milia passuum excedat, quum in multis locis contractior inueniatur. Hunc multæ circumsedent nationes. Dani siquidem & Sueones, quos Nortmannos uocamus, & septentrionale littus, & omnes in eo insulas tenent. At littus australe Sclaui & Aisti, & aliæ diuersæ incolunt nationes, inter quos uel præcipui sunt, quibus tunc à rege bellum inferebatur Vuelatabi, quos ille una tantum, & quam per se gesserat, expeditione ita contudit ac domuit, ut ulterius

imperata facere minime renuendum iudicarent. Maximum omniũ quæ ab illo gesta sunt bellorum, preter Saxonicum, huic bello successit, illud uidelicet quod contra Auares siue Hunos susceptum est, quod ille & animosius quàm cætera, & longe maiori apparatu administrauit. Vnam tamen per se in Panoniã, nam hanc prouinciam ea gens tum incolebat, expeditionem fecit: cæteras filio suo Pipino, ac præfectis prouinciarum, comitibus etiam atq; legatis perficiendas commisit. Quod quum ab ijs strenuissime fuisset administratum, octauo tandem anno completum est. Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur uacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo regia Cagani erat, ita desertus, ut ne uestigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas perijt, tota gloria decidit: omnis pecunia, & congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt: neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti sint: quippe quum usq; in id temporis penè pauperes uiderentur: tantum auri & argenti in regia cõpertum, tot spolia preciosa in prælijs sublata, ut merito credi posset, hoc Francos Hunis iuste eripuisse, quod Huni prius alijs gentibus iniuste eripuerunt. Duo tantum ex proceribus Francorum eo bello perierunt, Ericus dux Foroiulianus, in Liburnia iuxta Tarsaticam maritimam ciuitatem insidijs oppidanorum interceptus, & Gerholtus Baioariæ præfectus in Pannonia, quum contra Hunos præliaturus aciem instrueret, incertum à quo, cum duobus tantum qui eum obequitantem ac singulos hortantẽ comitabantur, interfectus est. Cæterum incruentum penè Francis hoc bellum fuit, & prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sua magnitudine traheretur. Post quod & Saxonicum suæ prolixitati conuenientem finem accepit. Bohemanicum quoq; & Hilinonicum, quæ postea exorta sunt, diu durare non potuerunt, quorum utrunque ductu Caroli iunioris celeri fine completum est. Vltimũ quod contra Nortmannos, qui Dani uocantur, primo piraticam exercentes, deinde maiori classe littora Galliæ atque Germaniæ uastantes, bellum susceptũ est. Quorum rex Godefridus adeo uana spe inflatus erat, ut totius sibi Germaniæ promitteret potestatem. Frisiam quoque & Saxoniam haud aliter atq; suas prouincias æstimabat. Iam Abotritos uicinos suos in suam ditionem redegerat, iam eos sibi uectigales fecerat. Iactabat etiam se breui Aquasgrani ubi regis comitatus erat, cum maximis copijs aduenturum. Nec dictis eius quãuis uanissimis omnino fides abnuebatur, quin putaretur tale aliquid inchoaturus, nisi festinata fuisset morte præuentus: nam à proprio satellite interfectus, & suæ uitæ, & belli à se inchoati finem accelerauit. Hæc sunt bella quæ rex potentissimus per annos quadraginta septem, tot enim annis regnauerat, in diuersis terrarũ partibus summa prudentia atq; felicitate gessit. Quibus regnum Francorum, quod post patrem Pipinum magnum quidem &

forte

forte susceperat, ita nobiliter ampliauit, ut penè duplum illi adiecerit. Nam quum prius non amplius quàm ea pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim, oceanumq; & mare Balearicum iacet, & pars Germaniæ quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumq; ac Salam fluuium, qui Turingos & Sorabos diuidit, postea à Francis qui orientales dicuntur, incolitur, & præter hæc Alemanni atque Baioarij ad regni Francorum potestatem pertinerent, ipse per bella memorata primo Aquitaniã & Vasconiam, totumq; Pyrenei montis iugum, & usq; ad Hiberum amnem, qui apud Nauarros ortus, & fertilissimos Hispaniæ agros secans, sub Dertusę ciuitatis mœnia Balearico mari miscetur, deinde Italiam totam, quæ ab Augusta Prætoria usq; in Calabriam inferiorem, in qua Græcorũ ac Beneuentanorũ constat esse confinia, decies centum, & eo amplius passuum milibus longitudine porrigitur. Tum Saxoniã, quę quidem Germaniæ pars nõ modica est, & ad eam quæ à Francis incolit, latitudine dupla putatur, quũ longitudine possit esse consimilis. Postq; utranq; Pannoniam, & oppositã in altera Danubij ripa Daciam, Histriam quoq; & Liburniã atq; Dalmatiam, exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob amicitiam, & iunctum cum eo fœdus Constantinopolitanũ imperatorẽ habere permisit. Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ intra Rhenũ ac Vistulam fluuios, oceanumq; & Danubium positæ, lingua quidem penè similes, moribus uero atq; habitu ualde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit. Inter quas ferè præcipui sunt Vuelatabi, Sorabi, Abotriti, Boëmanni: cum ijs nanq; conflixit: cæteras, quarũ multo maior est numerus, in deditionem suscepit. Auxit etiam gloriam regni sui quibusdam regibus ac gentibus per amicitiã sibi cõciliatis: adeo nanq; Adelfonsum Galatiæ atq; Asturicæ regem sibi societate deuinxit, ut is quum ad eum uel literas, uel legatos mitteret, non aliter se apud illum quàm proprium suum appellari iuberet. Scotorum quoque reges sic habuit ad suam uoluntatem per suam munificentiã inclinatos, ut eum nunquam aliter quàm dominũ, seq; subditos ac seruos eius pronunciarent. Extant epistolę ab eis ad eum missæ quibus huiusmodi affectus eorũ erga illum indicatur. Cum Aaron rege Persarũ, qui, excepta India, totum penè tenebat orientẽ, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam eius omniũ qui in toto orbe terrarũ erant regũ ac principũ præponeret, solumq; illum honore ac munificẽtia sibi colendũ iudicaret: ac proinde quũ legati eius, quos cũ donarijs ad sacratissimũ domini ac saluatoris nostri sepulchrũ, locũq; resurrectionis miserat, ad eũ uenissent, & ei domini sui uoluntatẽ indicassent, nõ solum quæ petebant fieri permisit, sed etiam sacrũ illum & salutarẽ locũ, ut illius potestati adscriberet concessit: & reuertentibus legatis suos adiungẽs, inter uestes & aromata, & cæteras orientaliũ terrarũ opes, ingẽtia illi dona transmisit, quũ ei paucos ante annos eum quem tunc solum habebat rogãti mitteret elephantẽ. Imperatores

etiam Constantinopolitani Nicephorus, Michaël & Leo, ultro amicitiam & societatem eius expetentes, complures ad eum misere legatos: cum quibus tamen propter susceptum à se imperatoris nomen, & ob hoc ei quasi qui imperium eius eripere uellet, ualde suspectum, fœdus firmissimũ statuit, ut nulla inter partes cuiuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis & Græcis Francorũ suspecta potentia. Vnde & illud Græcum extat prouerbium, τὸν Φραγκὸν φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς. Qui quum tantus in ampliando regno & subigẽdis exteris nationibus existeret, & in huiusmodi occupationibus quotidie uersaretur, opera tamen plurima ad regni decorẽ & utilitatem pertinentia, diuersis in locis inchoauit, quædam etiam consummauit. Inter quæ præcipua ferè non immerito uideri possunt, basilica sanctę dei genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa, & pons apud Moguntiacum in Rheno quingentorũ passuum longitudinis (nam tanta est ibi fluminis latitudo) qui tamen uno antequã decederet anno, incendio conflagrauit: nec refici potuit propter festinatum eius decessum: quanquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoauit & palatia operis egregij: unum haud longe à Moguntiaco, iuxta uillam cui nomen est Ingelheim: alterum Nouiomagi super Vuahalem fluuium, qui Batauorum insulam à parte meridiana præterfluit. Præcipue tamen ædes sacras ubicunq; in toto regno suo uetustate collapsas comperit, pontificibus & patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur imperauit, adhibens curam ut imperata perficerent. Molitus est & classem contra Nortmannos, ædificatis ad hoc nauibus iuxta flumina, quæ & de Gallia & Germania septentrionalem influunt oceanum: & quia Nortmanni Gallicũ littus atque Germanicũ assidua infestatione uastabant, per omnes portus & ostia fluminum, quà naues recipi posse uidebantur, stationibus & excubijs dispositis, ne quà hostis exire posset, tali munitione prohibuit. Fecit idem à parte meridiana in littore prouinciæ Narbonensis ac Septimaniæ, toto etiam Italiæ littore usq; Romam, contra Mauros, nuper piraticam exercere aggressos, ac per hoc nullo graui damno uel à Mauris Italia, uel Gallia atq; Germania à Nortmannis diebus suis affecta est: præterquã quod Centumcellæ ciuitas Hetruriæ, per proditionem à Mauris capta atque uastata est. Et in Frisia quædam insulæ Germanico littori contiguæ, à Nortmannis deprædatæ sunt. Talem eum in tuendo & ampliando, simul'que ornando regno fuisse constat. Cuius animi dotes & summam in qualicunque, & prospero & aduerso euentu constantiam, cæteraq; ad interiorem atque domesticam uitam pertinentia, hinc dicere exordiar. Post mortem patris cum fratre regnum partitus, tanta patientia simultates & inuidiam eius tulit, ut omnibus mirum uideretur, quod ne ad iracundiã quidem ab eo prouocari potuisset. Deinde quũ matris hortatu filiam Desyderij regis Langobardorũ duxisset uxorem, incertum qua

de causa

de cauſa poſt annum repudiauit, & Hildegardim de gente Sueuorum præcipuæ nobilitatis fœminam in matrimonium accepit: de qua tres filios, Carolum uidelicet, Pipinum, & Ludouicum: totidemq; filias, Rotdrudim, Bertam, & Giſlam genuit. Habuit & filias tres, Thedradam, Hildrudim, & Rothaidem: duas de Faſtrada uxore, quæ de orientalium Francorum, Germanorum uidelicet gente erat: tertiam de concubina quadam, cuius nomen modò memoriæ non occurrit. Defuncta Faſtrada, Luidgardim Alemannam duxit, de qua nihil liberorum tulit. Poſt cuius mortem quatuor habuit concubinas, Mathalgardim ſcilicet, quæ peperit ei filiam nomine Rothildim, Gerſuindam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adeldrudis nata eſt: & Reginam, quæ ei Drogonem & Hugum genuit: & Adelluidam, ex qua Theoderichum procreauit. Mater quoq; eius Bertrada in magno apud eum honore conſenuit. Colebat enim eam cum ſumma reuerentia, ita ut nulla unquam inter eos ſit exorta diſcordia, præter in diuortio filiæ Deſyderij regis, quam illa ſuadente acceperat. Deceſſit tandem poſt mortem Hildegardis, quum iam tres nepotes ſuos, totidemq; neptes in filij domo uidiſſet, quam ille in eadem baſilica, qua pater ſitus eſt, apud ſanctum Dionyſium, magno fecit honore humari. Erat ei unica ſoror, nomine Giſla, à puellaribus annis religioſæ conuerſationi mancipata, quam ſimiliter ut matrem magna coluit pietate: quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo quo conuerſata eſt monaſterio deceſſit. Liberos ſuos ita cenſuit inſtituendos, ut tam filij quàm nepotes primo liberalibus ſtudijs, quibus & ipſe operam dabat, erudirentur. Tum filios quamprimum ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac uenationibus exerceri fecit. Filias uero lanificio aſſueſcere, colóque ac fuſo, ne per ocium torperent, operam impendere, atq; ad omnem honeſtatē erudiri iuſſit. Ex ijs omnibus duos tantum filios, & unam filiam, priuſquam moreretur amiſit, Carolum, qui maior natu erat, & Pipinum, quem regem Italiæ præfecerat, Rotdrudim, quæ filiarum eius primogenita, & Conſtantino Græcorum imperatori deſponſata erat. Quorum Pipinus unum filium ſuū Bernhartum, filias autem quinque, Adelhaidem, Atalam, Gundradam, Bertaidem, ac Thedradam ſuperſtites reliquit: in quibus rex pietatis ſuæ præcipuum documentum oſtendit, quum filio ſuo defuncto nepotem patri ſuccedere, & neptes inter filias ſuas educari feciſſet. Mortes filiorum ac filiæ pro magnanimitate qua excellebat, minus patienter tulit, pietate uidelicet qua non minus inſignis erat, cōpulſus ad lacrymas. Nunciato etiā ſibi Adriani pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, ſic fleuit ac ſi fratrē, aut chariſſimum filium amiſiſſet: erat enim in amicitijs optime temperatus, ut eas & facile admitteret, & conſtantiſſime retineret: colebatq; ſanctiſſime quoſcunq; hac affinitate ſibi coniunxerat. Filiorum & filiarū tantam in educando curā habuit, ut nunq; domi poſitus ſine ipſis cœnaret, nunquam iter

ſine

sine illis faceret. Adequitabant ei filij, filiæ uero ponè sequebantur: quarum agmen extremū ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quæ quū pulcherrimæ essent,& ab eo plurimum diligerentur, mirum quod nullam earum cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare uoluit, sed omnes secum usq; ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens se earū contubernio carere non posse: ac propter hoc, licet aliâs felix, aduersæ fortunæ malignitatē expertus est: quod tamen ita dissimulauit, ac si de eis nunquam alicuius probri suspicio orta uel dispersa fuisset. Erat ei filius nomine Pipinus, ex concubina æditus, cuius inter cæteros mentionem nullam fecimus, facie quidem pulcher, sed gibbo deformis: is quum pater bello contra Hunos suscepto in Baioaria hyemaret, ægritudine simulata cum quibusdam è primoribus Francorum, qui sibi uana promissione regni illuserant, aduersus patrem coniurauit: quem post fraudem detectam, & damnationem coniuratorū, detonsum in cœnobio Prumia religiosæ uitæ iamq; uolentem uacare permisit. Facta est & alia prius contra eum in Germania ualida cōiuratio, cuius autores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen in exilium acti sunt: neq; ullus ex eis interfectus est, nisi tres tantum, qui quum se ne comprehenderentur, strictis gladijs defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter coërceri non poterant, interempti sunt. Harum tamen coniurationum Fastradæ reginæ crudelitas causa & origo extitisse creditur: & idcirco in ambabus contra regem conspiratum est, quia uxoris crudelitati consentiens, à suæ naturæ benignitate ac solita mansuetudine immaniter exorbitasse uidebat᷑. *Fastradæ crudelitas* Cæterum per omne uitæ suæ tempus ita cum summo omnium amore atq; fauore & domi & foris conuersatus est, ut nunquā ei uel minima iniustæ crudelitatis nota à quoquam fuisset obiecta. Amabat peregrinos,& eorum suscipiendorum magnam habebat curam, adeo ut eorum multitudo non solum palatio, uerum etiam regno non immerito uideretur onerosa: ipse tamen pro magnitudine animi huiuscemodi pondere minime grauabatur, quum etiam ingentia incōmoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compensaret. Corpore fuit amplo atq; robusto, statura eminenti, quæ tamen iustam non excederet: nam septem suorum pedum proceritatē eius cōstat habuisse figuram: apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac uegetis, naso paululū mediocritatem excedente, canitie pulchra, facie læta & hilari: unde formæ autoritas ac dignitas tam stanti quàm sedenti plurima inerat: quanq; ceruix obesa & breuior, uenterq; ꝓiectior uideret᷑, tamen hæc cæterorū membrorū cælabat æqualitas: incessu firmo, totaq; corporis habitudine uirili: uoce clara qdē, sed quæ minus corporis formæ conueniret: ualetudine ꝓspera, præter ꝙ antequam decederet, per quatuor annos crebro febribus corripiebat᷑: ad extremū uno etiā pede claudicaret: & tunc quidē plura arbitratu suo quàm medicorum consilio faciebat, quos penè exosos habebat, ꝙ ei in cibis assa, quibus assue-

assuetus erat, dimittere,& elixis assuescere suadebant. Exercebat̃ assidue equitando ac uenando, quod illi gentilitium erat: quia uix ulla in terris natio inuenitur, quæ in hac re Francis possit æquari. Delectabatur etiam uaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens: cuius adeo peritus fuit, ut nullus ei iuste potuerit præferri: ob hoc etiam Aquisgrani regiam extruxit, ibiq́ꝫ extremis uitæ annis usqꝫ ad obitum continue habitauit: & non solum filios ad balneum, uerum optimates & amicos, aliquando etiã satellitum & custodum turbam inuitauit, ita ut nonnunq́ꝫ centum uel eo amplius homines unà lauarentur. Vestitu patrio, hoc est Francico utebatur: ad corpus camisiam lineam, & fœminalibus lineis induebatur: deinde tunicam quæ limbo serico ambiebatur, & tibialia: tum fasciolis crura, & pedes calceamentis cõstringebat: & ex pellibus lutrinis thorace confecto humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio semper accinctus, cuius capulus ac baltheus aut aureus aut argenteus erat: aliquoties & gemmato ense utebat̃: quod tamen nõ nisi in pręcipuis solennitatibus, uel si quando exterarum gentium legati uenissent, faciebat. Peregrina uero indumenta quamuis pulcherrima respuebat, nec unquã eis indui patiebatur, excepto qꝫ Romæ semel Adriano pontifice petente, & iterum Leone successore eius supplicãte, longa tunica & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis induebatur. In solennitatibus ueste auro texta, & calceamentis gemmatis & fibula aurea sagum astringẽte, diademate quoqꝫ ex auro & gemmis ornatus incedebat: alijs autem diebus habitus eius parum à communi ac plebeio abhorrebat. In potu & cibo tẽperans, sed in potu temperantior: quippe qui ebrietatẽ in qualicunqꝫ homine, nedum in se ac suis plurimũ abominabat̃: cibo enim nõ adeo abstinere poterat, ut sæpe quereretur noxia esse suo corpori ieiunia. Conuiuabat̃ rarissime, & hoc præcipuis tantũ solennitatibus: tunc tamen cum magno hominũ numero. Cœna quotidiana quaternis tantũ ferculis præbebatur, præter assam, quã uenatores uerubus inferre solebant, qua ille libentius quàm ullo alio cibo uescebatur. Inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ, & antiquorum regum gesta. Delectabatur & libris sancti Augustini, pręcipue ijs quos de ciuitate dei inscripsit. Vini & omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut sub cœnam raro plus ter biberet. Æstate post cibum meridianum pomorum aliquid sumens ac semel bibens, depositis uestibus ac calceamentis, uelut noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat ut somnum quater aut quinquies nõ solum expergiscendo, sed etiam desurgendo interrumperet. Quum calcearetur aut amiciretur, non tantum amicos admittebat, uerum etiam si comes palatij litem aliquam diceret, quæ sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introduci iussit, & uelut pro tribunali sederet, lite cognita sententiam dixit. Nec hoc tantum eo tempore, sed

pore, sed

pore, sed etiam quicquid ea die cuiuslibet officij agendum, aut cuiquam ministrorum iniungendum erat, expediebat. Erat eloquentia copiosus & exuberans, poteratq; quicquid uellet apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, sed & peregrinis linguis ediscendis operã impendit: in quibus Latinam ita didicit, ut æque illa ac patria lingua orare sit solitus: Græcam uero melius intelligere quàm pronunciare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam didascali munus subijsse appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumq; doctores plurimum ueneratus, magnis afficiebat honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconum senem audiuit, in cæteris disciplinis Albinum, cognomento Alcuinum, item diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, uirum undecunq; doctissimũ, præceptorem habuit, apud quem & rhetoricæ & dialecticæ, præcipue tamen astronomiæ ediscendæ plurimum & temporis & laboris impertit. Discebat & artem computandi, & intentione sagaci syderum cursum curiosissime rimabatur. Tentabat & scribere, tabulasq; & codicillos ad hoc in lectulo sub ceruicalibus circumferre solebat, ut quum uacuum tempus esset, manum effigiendis literis assuefaceret. Sed parum prospere successit labor præposterus, ac sero inchoatus. Religionem Christianã, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime & cum summa pietate ac ueneratione coluit, ac propter hoc miræ pulchritudinis basilicam Aquisgrani extruxit, auroq; & argento, & luminaribus, atque ex ære solido cancellis & ianuis ornauit. Ad cuius structuram quum columnas & marmora aliunde habere non posset, Roma atq; Rauenna deuehenda curauit. Ecclesiã mane & uesperi, nocturnis item horis & sacrificij tempore, quando eum ualetudo permiserat, impigre frequentabat, curabatq; ut omnia quæ in ea gerebantur, cum quammaxima fierent honestate: æditúos cõmonens, ne quid indecens aut sordidum aut inferri, aut in ea remanere permitterent. Sacrorum uasorum ex argento & auro, uestimentorumq; sacerdotalium tantam in eo copiam procurauit, ut in sacrificijs celebrandis ne ianitoribus quidem, qui ultimi ecclesiastici ordinis sunt, priuato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atq; psallendi disciplinam diligẽtissime emendauit: erat enim utriusq; admodum eruditus: quanquã ipse nec publice legeret, nec nisi submissim & in commune cantaret. Circa pauperes sustentandos & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemosynã uocant, deuotissimus, ut qui nõ in patria sua solum & in suo regno eam facere curauerit, uerum trans maria in Syriam & Ægyptum atq; Africam, Hierosolymas, Alexandriam atq; Carthaginem, ubi Christianos in paupertate uiuere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat: ob hoc maxime transmarinorũ regum amicitiam expetens, ut Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac releuatio proueniret. Colebat præ cæteris sacris & uenerabilibus locis apud Romam ecclesiam beati Petri apostoli: in cuius do-

naria magna uis pecuniæ tam auri quàm argenti, nec non & gemmarum ab illo congesta est, multa & innumera pontificibus munera missa. Nec ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quàm ut urbs Roma sua opera suoq́ labore ueteri polleret autoritate: & ecclesia sancti Petri non solum per illum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus ecclesijs esset ornata ac ditata. Quam quum tanti penderet, tamen intra XLVII annorum quibus regnauerat spatium, quater tantum illò uotorum soluendorũ ac supplicandi causa profectus est. Vltimi aduentus sui non solum hæ fuere causæ, uerumetiam quod Romani Leonem multis affectum iniurijs, erutis uidelicet oculis, linguaq́ amputata fidem regis implorare compulerunt. Idcirco Romam ueniens propter reparandum qui nimis conturbatus erat ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus protraxit. Quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit: quod primo tantũ auersatus est, ut affirmaret se eo die quamuis præcipua solennitas esset, ecclesiam non intraturum fuisse, si pontificis consilium præscire potuisset. Inuidiam tamen suscepti nominis Constantinopolitanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patiẽtia, uicitq́ eorum contumaciam magnanimitate, qua eis proculdubio longe præstantior erat, mittẽdo ad eos crebras legationes, & in epistolis fratres eos appellando. Post susceptum imperiale nomen quum aduerteret multa legibus populi sui deesse (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis ualde diuersas) cogitauit quæ deerant addere & discrepantia unire: praua quoq́ ac perperam prolata corrigere. Sed in ijs nihil aliud ab eo factum est, quàm quod pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum quæ sub eius ditione erant, iura quę scripta nõ erant, describere ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquissima carmina, quibus ueterũ regum actus & bella canebantur, scripsit, memoriæq́ mandauit. Inchoauit & grammaticam patrij sermonis. Mensibus etiam iuxta patriã linguam nomina imposuit, quum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Item uentos duodecim nominibus proprijs insigniuit, quum prius non amplius quàm uix quatuor uentorum uocabula inueniri possent. Mensium quidem, Ianuariũ appellauit Vuinthermonat, Februarium Hornung, Martium Lentzmonet, Aprilem Ostermonet, Maiũ Vuunnemonet, Iuniũ Brachmonet, Iulium Heumonet, Augustum Aernmonet, Septembrem Herbstmonet, Octobrem Vuynmonet, Nouembrẽ Vuyndtmonet, Decembrem Heiligmonet appellauit. Ventis uero hoc modo nomina imposuit, ut Subsolanum uocaret Ostrenuuindt, Eurum Ostsundren, Euroaustrum Sundostren, Austrum Sundren, Austroafricum Sunduuestren, Africum Vuestsundren, Zephyrum Vuestren, Corum Vuestnordren, Circium Norduuestren, Septentrionẽ Nordren, Aquilonem Nordostren, Vulturnum Ostnordren. Extremo uitæ tempore quum iam & morbo & sene-

ctute premeretur, euocatum ad se Ludouicum Aquitaniæ regem, qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni, & imperialis nominis hæredem constituit, impositoq; capiti eius diademate, imperatorem & Augustum iussit appellari. Susceptum est hoc eius consilium ab omnibus qui aderant magno cum fauore: nam diuinitus ei propter regni utilitatem uidebatur inspiratum: auxitq; maiestatem eius hoc factum, & exteris nationibus non minimum terroris incussit. Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito, quanq; senectute confectus, non longe à regia Aquensi uenatum proficiscitur: exactoq; in huiuscemodi negocio quod reliquũ erat autumni, circa Calendas Nouemb. Aquasgrani reuertitur. Quumq; ibi hyemaret, mense Ianuario febre ualida correptus decubuit: qui statim ut in febribus solebat, cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli, uel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore quem Græci pleuresim uocant, illoq; adhuc inediam retinente, neq; corpus aliter quàm rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die sacra communione percepta decessit. Anno ætatis suæ LXXII. & ex quo regnare cœperat XLVII. quinto Cal. Febr. hora diei tertia. Corpus more solenni lotum & curatum, & maximo totius populi planctu ecclesiæ illatum atq; humatum est. Dubitatum est primo ubi reponi deberet, eo quod ipse uiuus de hoc nihil præcepisset. Tandem omnium animis sedit, nusquã eum honestius tumulari posse, quàm in ea basilica quam ipse propter amorẽ dei & domini nostri Iesu Christi, & ob honorem sanctæ & æternæ uirginis genitricis eius proprio sumptu in eodem uico construxit. In hac sepultus est eadem qua defunctus die, arcusq; super tumulum deauratus cum imagine & titulo extructus, cuius hæc ferè sunt uerba.

SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII FELICITER TENVIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS, ANNO DOMINI DCCCXIIII. INDICTIONE VII. V. CALEND. FEBRVARII.

Prodigia morti Caroli m [handwritten margin note] Appropinquantis finis complura fuere præsagia, ut non solum alij, sed & ipse hoc minitari sentiret. Per tres cõtinuos, uitæq; termino proximos annos & solis & lunæ creberrima defectio; ac in sole macula quædam atri coloris septem dierum spatio uisa. Porticus quam inter basilicam & regiam operosa mole construxerat, die ascensionis domini subita ruina usque ad fundamenta collapsa. Item pons Rheni apud Moguntiacum, quem ipse per decẽ annos ingenti labore, & opere mirabili è ligno ita construxit, ut perenniter durare posse uideretur, ita tribus horis fortuitu incendio conflagrauit, ut præter quod aqua tegebatur, ne una quidem hastula ex eo remaneret. Ipse quoque

quum

quum ultimam in Saxoniam expeditionem contra Godefridum regem Danorum ageret, quadam die quum ante exortum solis castra egressus iter agere cœpisset, uidit repente delapsam cœlitus cum ingenti lumine facem, à dextra in sinistram per serenum aëra incurrere: cunctisq; hoc signum quid portẽderet mirantibus, subito equus cui insidebat deorsum capite merso decidit, eumq; tam grauiter ad terram elisit, ut fibula sagi rupta, baltheoq; gladij dissipato, à festinantibus qui aderant ministris exarmatus sine adminiculo leuaretur. Iaculum quoq; quod tunc forte manu tenebat, ita elapsum est, ut uiginti, uel eo amplius pedum spatio procul iaceret. Accessit ad hoc creber Aquensis palatij tremor, & in domibus ubi conuersabatur, assiduus laqueariorũ crepitus. Tacta etiam de cœlo in qua postea sepultus est basilica, malumq; aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum, & supra domum pontificis, quæ basilicæ contigua erat, proiectum est. Erat in eadem basilica in margine coronæ, quę inter superiores & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat, synopide scriptum, continens quis autor esset eiusdem templi, cuius in extremo uersu legebatur princeps Carolus, nõtatum à quibusdam eodem quo decessit anno paucis ante mortẽ mensibus, eas quæ princeps exprimebant literas ita esse deletas, ut penitus non apparerent. Sed superiora omnia sic aut dissimulauit, aut spreuit, ac si nihil horum ad res suas quolibet modo pertineret. Testamenta instituit, quibus filias, & ex concubinis liberos ex aliqua parte sibi hæredes faceret: sed tarde inchoata perfici non poterant. Diuisionem thesaurorũ, pecuniæ ac uestium, aliæq; supellectilis coram amicis & ministris suis annis tribus antequam decederet fecit: contestatus eos, ut post obitum suum à se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret: quidq; ex ijs quæ diuiserat fieri uellet, breuiatio comprehendit, cuius ratio ac textus talis est.

IN NOMINE DOMINI DEI OMNIPOTENTIS, PATRIS, FIlij, & spiritus sancti, incipit descriptio atq; diuisio, quæ facta est à gloriosissimo atq; pijssimo domino Carolo Imperatore Augusto, anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi, DCCCXI. anni uero regni eius in Francia XLIII. & in Italia XXXVI. imperij autem XI. indictione IIII. quam pia consideratione facere decreuit, & domino annuente perfecit, de thesauris suis atq; pecunia, quæ in illa die in camera eius inuenta est: in qua illud præcipue præcauere uoluit, ut non solum eleemosynarum largitio, quæ solenniter apud Christianos de possessionibus eorum agitur, pro se quoque de sua pecunia ordine atque ratione perficeretur: sed etiam ut hęredes sui omni ambiguitate remota quid ad se pertinere deberet liquidò cognoscerent, & sine litè atq; contentione sua inter se competenti partitione diuidere possent. Hac igitur intentione atq; proposito omnem supellectilem atq; substantiã suam tam in auro quàm in argento gemmisq; & ornatu regio, quæ, ut dictum est,

illa die in camera eius inueniri poterat, primo quidem trina diuisione partitus est: deinde easdem partes subdiuidendo, de duabus partibus XXI partes fecit, & tertiam integram reseruauit. Et duarum quidem partium in XXI partes facta diuisio tali ratione consistit, ut quia in regno illius metropolitanæ ciuitates XXI esse noscuntur, unaquæque illarum partium ad unamquamque metropolim per manus hæredum & amicorum suorum eleemosynæ nomine perueniat, & archiepiscopus, qui tunc illius ecclesiæ rector extiterit, partem quæ ad suam ecclesiam data est suscipiens, cum suis suffraganeis partiatur, eo scilicet modo, ut pars tertia suæ ecclesiæ sit, duæ uero partes inter suffraganeos diuidantur. Harum diuisionũ, quæ ex duabus primis partibus factæ sunt & iuxta metropoliticarũ ciuitatum numerum XXI esse noscuntur, unaquæque ab altera sequestrata, semotim in suo repositorio cum superscriptione ciuitatis condita iacet. Nomina uero metropoliticarũ ciuitatum, ad quas eadem eleemosyna uel largitio data est, hæc sunt, Roma, Rauenna, Mediolanum, Forumiulij, Gradus, Colonia, Moguntiacũ, Viuanum, quæ & Saltzburgum, Rotomagus, Treueri, Senones, Vesontium, Lugdunum, Remi, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Vnius autem partis, quam integram reseruari uoluit, talis est ratio, ut illis duabus in supradictas diuisiones distributis, & sub sigillo reconditis, hęc tertia in usu quotidiano uersaretur, uelut res quã nulla uoti obligatione à dominio possidentis alienatam esse constaret: & hoc tam diu, quoadusque uel ipse superstes esset, uel usum eius sibi necessarium iudicaret: post obitum uero suum aut uoluntariam secularium rerum abdicationem, eadem pars quatuor subdiuisionibus secaretur: & una quidem earum supradictis XXI partibus adderetur: altera à filijs ac filiabus, nepotibusque ac neptibus suis assumpta, & iusta ac rationabili inter eos partitione diuideretur. Tertia uero consueto Christianitatis more in usum pauperum erogaretur. Quarta simili modo nomine eleemosynæ in seruorum & ancillarum usibus palatij famulantiũ sustentationem distributa ueniret. Ad hanc tertiam totius summæ portionem, quæ similiter ut cæteræ ex auro & argento constat, adiungi uoluit omnia ex ære & ferro, alijsque metallis, uasa atque utensilia, cum armis & uestibus, aliaque preciosa aut uili ad uarios usus facta supellectile, ut sunt cortinæ & stragula, tapetes, fulcra, coria, sagmata, & quicquid in camera atque uestiario eius eo die fuisset inuentum, ut ex hoc maiores illius partis diuisiones fierent, & erogatio eleemosynę ad plures peruenire posset. Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, tam id quod ipse fecit atque congregauit, quàm quod ei ex paterna hæreditate prouenit, ut integrũ esset, neque ulla diuisione scinderetur, ordinauit. Si qua autẽ inuenirentur aut uasa aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquidò cõstaret eidẽ Capellæ ab eo collata nõ fuisse, hæc qui habere uellet, dato iustæ æstimationis precio, emeret & haberet. Similiter & de libris, quorũ magnã in biblio-

in bibliotheca sua copiam cōgregauit, ſtatuit ut ab ijs qui eos habere uellent iuſto precio redimerentur, preciū in pauperes erogaretur. Inter cæteros theſauros atque pecuniam, tres menſas argenteas, & auream unam præcipuæ magnitudinis & ponderis eſſe conſtat: de quibus ſtatuit atq; decreuit, ut una ex ijs, quæ forma quadrangula deſcriptionem urbis Conſtantinopolitanæ continet, inter cætera donaria quæ ad hoc deputata ſunt, Romam ad baſilicam beati Petri apoſtoli deferatur: & altera, quæ forma rotunda Romanæ urbis effigie inſignita eſt, epiſcopo Rauennatis eccleſiæ conferatur. Tertiam, quæ cæteris & operis pulchritudine, & ponderis grauitate multum excellit, quæ ex tribus orbibus connexa, totius mundi deſcriptionem ſubtili ac minuta figuratione complectitur, & auream illam quæ quarta eſſe dicta eſt, in tertiæ illius, & inter hæredes ſuos atque in eleemoſynam diuidendæ partis augmentum eſſe conſtituit. Hanc conſtitutionem atque ordinationem coram epiſcopis, abbatibus, comitibusq;, qui tunc præſentes eſſe potuerunt, quorumque hic nomina ſcripta ſunt, fecit atque conſtituit. Epiſcopi, Hildeboldus, Richolphus, Arn, Vuolfarius, Bernoinus, Laidradus, Ioannes, Theodulphus, Ieſſe, Hetto, Vualtgaudus. Abbates, Fridogiſus, Adalungus, Engilbertus, Irmino. Comites, Valach, Meginher, Otthulphus, Stephanus, Vnruchus, Burchartus, Meginhartus, Hatto, Richuuinus, Eddo, Erchangarius, Gerholtus, Bero, Gildegern, Rhoculphus. Hæc omnia filius eius Ludouicus, qui diuina ei iuſſione ſucceſſit, inſpecto eodem breuiario, quamceleritime poterat, poſt eius obitum ſumma deuotione adimplere curauit.

VITAE CAROLI MAGNI PER EGINARTVM DESCRIPTAE FINIS.

AENEAE SYLVII TITVLI S. SABINAE, S. ROM. ECCLESIAE CARDINALIS, Senensis, de Bohemorum, & ex his impp. Rom. aliquot origine ac gestis, ad illustrissimum principem & dominum Alfonsum regem Aragonum historia.



NTERITVRA esse quæcunq; nascuntur, atque homines in primis, quos ea de causa mortales appellant, omnes norunt, plurimi damnant. Nam cur hominem natura finxit, cui negata immortalitate, spatiũ quambreuissimũ uitæ indulsit, cornicibus & ceruis, quorum nihil intererat, longissimum largita est æuum? Sed cui de naturæ operibus iudicare permissum, quã nihil esse aliud, quàm deum uel dei decretũ dixerim? Ego illud mihi persuadeo, nisi mors introisset in orbẽ terrarũ, ex duobus alterũ fuisse necessarium, aut terræ scilicet quã incoleremus amplitudinem sine fine patuisse, aut humanã generationẽ interdictã. Nam quis mundi ambitus homines capiat, in horas absq; mortis piculo nascẽtes? Tot prçterea calamitates hominẽ circũsiliunt, ut mori satius sit, quàm uitã pducere miserã. Optabant fortasse utcunq; uiuere, queis uitæ alterius adẽpta spes, quãuis & huiusmodi homines mortem sibi aliquando consciuerint. At homini Christiano, qui deum fabricasse mundum constanter credit, nec dubitat illum gubernare quę condidit, iniquitatẽ quoq; omnem ab eo alienam putat. Sacri ueteres nouiq; sermones fidem faciũt, qui animas ex corporibus excedentes, in alia loca meare tradunt, in queis præmia pro benefactis, supplicia pro malefactis expendãt: quãuis in hac mortali uita & uiros bonos aduersis rebus oppressos, & iniquos homines sæpenumero blãdis fortunæ afflatibus in sublime raptos cernimus: licet in omni gẽte, quæ sub cœlo est, hoc uidere: Bohemia tamẽ testimonio satis fuerit. In qua nostra çtate pessimi hoĩes reiecta Ro. ecclesiæ obediẽtia, cõculcata parentũ religione, sacerdotibus Christi occisis, phanis sanctorũ dirutis, sine fide, sine bonis moribus, in latrociniis, in adulteriis, in omni spurcitia uiuentes, aduersus potentissimos reges, innumerabiles populos, pitissimos duces, structissimos exercitus inuicti perstiterũt: ex quibus pleriq; ad hoc æui peruenere delitiis affluentes, pleriq; quũ diu ex arbitrio uixissent, non morbo, non gladio ex hac luce, sed naturæ necessitate senio confecti obierunt: ut si nihil aliud quàm præsentis uitæ cursum animo uoluas, beatos iudices, qui tot uictoriis potiti, apud suos ciues charissimi, inter opes quamplurimas inoffensi morbis, quantum homini licet, æuum produxere. Contrà uero infelices dicas ac superis odiosos fuisse, qui pro lege patrum custodienda, pro ueritate, pro iustitia, pro honestate, aut in exilio pau-

peres

peres obiere,aut in medio uitæ cursu rapti,ante ora suorū miserabili cruciatu necati sunt.Sed uerissima est Christianæ religionis assertio,quę post uitā huius seculi patere alterā asserit, his qui religiose uixerūt iucundam ac beatam, reliquis molestam & infelicem. Cui sententiæ & Iudæi & Saraceni & gentiles,& ipsi quoq; philosophi consentiunt,quos ueri conscios,& humanæ uitæ magistros putant.Nemo homo est cui nō insit aliquid boni:id deus in terra, & in hac transitoria uita remunerat.Neq; enim mole malorum obstante cœlestem conferre lucē potest.Vitia apud inferos plectuntur: uiris bonis,queis terra clausa est,cœlum patet.Peregrina in terris uirtus, in cœlo ciuis. Zitcha igit̄,Ciaccho,& Ptasco,quos felices Bohemi credidere,tot præliorū uictores, tanto impio præditos,Coranda quoq; & Iacobellus,quibus uelut apostolis Christi,aut angelis è cœlo missis,populorū aures patuere,cum Procopijs pugna cæsis,cum Ioanne ac Hieronymo Constantię in magna synodo igni damnatis,apud inferos pœnas dant temeratæ religionis,in æternumq; dabūt: eosq; proculdubio Rochezane sequet̄,& ei qui auscultant,diuinæ legis temeratores,nisi ante finē uitæ suæ resipuerint. Viri constantes, qui uel exiliū, uel carcerem,uel cædem pro testamento Christi fortiter pertulere, cum rege suo in cœlo regnant,ex aliena uictoria triumphantes,quorum multa milia Bohemia tulit.Nam sicut Hussitarum insania Bohemicū nomen labefactauit, ita & fortium uirorū constantia illustrauit. Nec prouincia est, quæ tempore nostro plures Christi martyres quàm Bohemia produxerit. Inter quos equitē fuisse non est ambiguum,nobilibus parentibus ortum, captum ab Hussitis, admotū ignibus,pedes primū,deinde tibias,mox genua coxasq;, postremo reliquas corporis partes exuri passum potius, quàm illorum insaniæ consentiret. Admiranda sunt quæ tempestate nostra inter Bohemos emersere, siue pacē,siue bellum recenseas.Mihi uero dum ualetudinis causa in balneis Viterbiensibus ago,procul ab negocijs curiæ,haud indigna cura uisa est,res Bohemicas scribere, atq; hominibus nostris ex barbaris, quæ partim uidimus, partim uero auditu accepimus, digna memoratu nota efficere. Sunt enim multa, quæ in communi nosse perutile est.Et dum cogito cuius potissimū nomini dedicē,tu primus occurris, qui seculum nostrū nō doctrina solum ac bonis moribus,sed splendore quoq; rerum gestarū exornas, & quasi clarissimū quoddam sydus illustras. Tibi ergo Bohemicā historiam dedico: nam tuo nomini inscripta,facile cum rerum tuarū notitia, quas doctissimi celebrarūt, ad posteros transferetur:nam ego ab origine gentis in hanc usque ætatem,si deus dabit,producā:in qua etsi uetera digna sunt memoria,illustriora tamen noua existimo,quæ tum certa,tū admirabilia sunt.Nec mea sententia regnū ullū est,in quo æuo nostro tot mutationes,tot bella,tot strages, tot miracula emerserint,quot Bohemia nobis ostēdit.Hæc ego tuę maiestati libēs pandā. Vale: & qd' ab hoie deditiss. tibi mittit̄,quodcūq; est legito boniq; cōsule.

Temere

Martyrum Bohemiae

DE SITV REGIONIS BOHEMIAE, DE FLVMINIBVS EIVS- dem & ciuitatibus, ac de Bohemorũ moribus. Cap. I.



Ohemia in solo barbarico trans Danubiũ sita, Germanię portio est, Aquilonis flatibus tota fermè exposita. Cuius ad orientẽ uergens latus Morauí obtinẽt & Slesitarũ natio: septentrionẽ ijdem Slesitæ ac Saxones, qui & Misnenses & Thuringi appellant. Ad occidentẽ †Aduocatorũ terra est Baioariorũq; regio. Meridionalẽ plagã tũ Baioarij, tum Australes habent, qui ripas Danubij utrasq; accolunt, nec alia Bohemiæ quàm Theutonũ terra coniungit. Regionis longitudo latitudoq; penè par: nam formã rotundã ferũt, cuius diametrũ trium dierũ itinere expedito pateat. Sylua uniuersam claudit, quã ueteres Hercyniã uocauere, cuius & Græci scriptores & Latini meminerũt. Flumina quæ terrã irrigãt uniuersa in Albim exonerant. Hic in mõtibus oriens qui Bohemiã Morauiamq; disterminat, mediã fermè prouinciã perlabit, primo in occidentẽ, deinde septentrionẽ uersus, ubi ꝓuinciã relinquit, per angustias montiũ, & abrupta conuallıũ præceps Saxoniã petit, quã duas in partes dirimens in oceanũ fert, ubiq; à Rheno flumine ęquo terrarũ spatio distãs. Quod pleriq; Germanię terminũ Sarmatiæq; quondã dixere: sed nostra ætate Oderã fluuiũ, qui Slesiã intersecat, & ipsum Viscellã Prutenorũ amnẽ Germania prætergressa Albim in alueo continet. Amnes alij quos Bohemi memorant, Orlioze, quod Aquilam signat: Egra, qui ex nomine oppidi quod alluit uocitat, in terra Aduocatorũ exoriẽs apud Littomeritiã Albi miscet. Sed cunctos Multauia excedit, qui metropolim regni Pragã influit: hic Saczanain & Lusmiciũ & Misam & Albim secũ trahit. Oppida toto regno memorabilia. Praga regi Pontificiq; honesta sedes, neq; minor, neq; ignobilior Ethrusca Florentia, treis in partes diuisa, queis nomina indidere, paruã Pragam, ueterẽ, ac nouã. Parua sinistrũ latus Multauiæ fluminis occupat, colliq; cõiungit in quo sita est regia, ac sancti Viti pontificale augustumq; tẽplum. Vetus Praga in plano iacet, uniuersa magnificis operibus adornata. Inter quæ prætoriũ & forũ & lætam curiã, & collegiũ Imp. Caroli mirificis efferũt laudibus. Iungitur aũt minori Pragæ lapideo ponte XXIIII arcuũ. Nouam ciuitatẽ à ueteri fossa disiungit ꝓfunda, utrinq; munita muro, & in quã facile fluminis aqua deriuari potest. Hæc quoq; ciuitas ampla est, & ad colles usq; ꝓtendit, quorũ alterũ S. Caroli, alterũ S. Catharinæ appellant, tertiũ † Vissegradum, in arcis modũ exædificatum, ubi & collegiũ est, cuius præpositum & cancellariũ regni & principẽ uotant. Post Pragã Litemesce, altera in Bohemia pontificalis ciuitas, uicina Morauis. Cuthma quoq; haud parui nominis habet, ubi argẽti inexhaustæ uenæ suffodiunt: quãuis nostra ætate sępius capta exhaustaq; fuerit, & in ipsas argenti fodinas pluuiales aquæ deriuatæ. Nec Buduiciũ contemnere oportet æque splendidũ & munitũ, habet etiã nomen Slagenuerdiũ. †Eaduũ, Luna, & utraq; Broda, altera Bohemica, altera Theutonica: Budinge colonia Litomericium,

[Marginal notes: als, iudicum · Bauari nunc · Hercynia sylua (manuscript) · Albis flu. · Odera · Multauia · Praga · als, Vicegradum · als, Cadanum]

mericiũ,& qđ reginis dotale dicũt,Greziũ,pons insuper Nouadomus Neuburgia,Poggiebraciũ,&diutina obsidione memorabilis Pelzma,Zaziorũq; ciuitas,& si Bohemię dederis Iglaria, quà iter est in Morauiã. Postremo arx hereticorũ asylũq; Thabor,memoria nostra ex ruinis alterius Hauschæ,difficili loco conditũ oppidũ,& ab Sigismundo Cæsare ciuitatis honore donatũ. Gelida prorsus regio,pisce atq; armentis abundãs,cũ uolucre ferisq;,frumẽti ferax. Sicera pro uino utit̃:illi ceruisiã uocãt,quasi ex cerere factũ. Ager toto regno optimus.Circa Zazium colles,apud Litomericiũ consiti uineis.Vinũ quod nascit̃ acerbũ:ditiores ex Austria atq; Hungaria importato utunt̃.Sermo genti & Dalmatis unus.Mos uetus in hanc usq; diem seruat̃:In templis sermone Teutonico plebes docẽt,in cœmeterijs Bohemico,ubi secularium presbyterorũ collegia sunt,aut monachorũ prædia possidentiũ.Solis mendicantibus libertas fuit,qua uellent lingua populum instruere.Quæ res palàm indicat, regionẽ ipsam olim Teutonicã fuisse, sensimq; subintrasse Bohemos. Quod Strabonis testimonio confirmare licet,cuius hæc uerba septimo commentario inuenies: Senones,Sueuorum natio,ut superius dixi,partim intra, partim extra syluam habitant, Getarũ contermina genti. Sueuorũ quidem gens amplissima:è Rheno siquidem usq; ad Albim puenit fluuiũ: eorũ etiã portio trans Albim loca depascit̃, quemadmodũ Emondori & Lancosargi. Hæc Strabo. Plebs toto regno bibula,& uentri dedita,superstitionumq; sequax,& auida nouitatũ. Quoties Cretense uinũ caupones uenale proponũt, inuenies quãplures qui iuramento adacti nunq; cellam uinariã egredientur, nisi exhausto dolio.Idem efficiũt in electis Italiæ uinis. Qui paulo excellunt, atq; inter plebem nobilitatẽq; medij sunt,audaces, uersuti, ingenio uario,lingua præcipiti,rapinarũ auidi sunt,&qbus nihil satis esse possit.Nobilitas gloriæ appetens,belli perita, periculorũ contemptrix,ac promissi tenax: quãuis eius ingluuiẽ explere difficillimũ.At uniuersum simul si expendas populum, non est qui religioni aduerset̃.Sed profecto in omni gente,qualis rector,talem inuenies & populũ.Quomodo autẽ & unde hoc genus hominũ in Germaniã uenerit, scripsi iam pridem integerrimo & præstantissimo patri Dominico cardinali Firmano,tuæ serenitati amicissimo: id hoc loco repetere nõ grauabor,quando historiæ quam teximus omnino quadrat.

Thabor *Sicera* *Strabonis locus* *Bohemorum mores*

De origine gentis Bohemorum. Cap. II.

BOhemi sicut cæteri mortaliũ,originẽ quamuetustissimã ostendere cupientes,Sclauorũ se prolem asserunt.Sclauos autẽ inter eos fuisse,qui post uniuersale diluuiũ condendæ famosissimæ turris Babel autores habent̃,atq; ibi dum linguæ confusæ sunt,Sclauonos,id est,uerbosos appellatos,propriũ idioma sumpsisse.Relicto deinde campo Sennaar,ex Asia in Europã profectos,eos agros occupasse,quos nunc Bulgari,Serui, Dalmatæ,Croaci,& Bosnenses incolunt.Nondum ego quempiã legi autorẽ, cui fides adhibenda sit, qui tam altæ gentis suæ initium reddiderit,Hebræos excipio,omnium mor-

talium

talium primos. Multi ex Germanis satis se nobiles arbitrantur ex Romanis ortos, Romani ex Teucris originem ducere gloriosissimũ putant. Franci, qui & Germani fuerunt, Troianum se sanguinẽ esse dixerunt. Eadem Britannis gloria satis est, qui Brutum quendam exilio profectum, generi suo principiũ dedisse affirmant. At Bohemi longe altius orsi, ab ipsa confusionis turre se missos iactitant. Cæterum nec qui tunc principes fuerint, nec quem regẽ habuerint, nec cuius terræ cultores extiterint, nec sub quo duce, nec quibus periculis in Europam uenerint, nec quo tempore, tradunt. Fuisse illic Sclauonos aiunt, dum labiũ uniuersæ terræ confusum est. Vana laus, ac ridenda. Quod si qui Bohemos imitari uelint, nobilitatem generis ex ipsa uetustate quærentes, non iam ex turri Babylonica, sed ex arca Noë, atq; ex ipsa delitiarum paradiso, primisq; parentibus, & ab utero Euæ, unde omnes egressi, facile sibi principia uendicabunt. Nos ista tanq; anilia deliramenta prætermittimus. Omnes reges ex seruis ortos, omnes seruos ex regibus, scripsit Plato. Veram nobilitatem sola atq; unica uirtus gignit. Multa sunt quæ de Bohemis uera ac memorabilia traduntur: ad ea nugis omissis festinat calamus.

Scite

De Zechio, primo duce Bohemiæ. Cap. III.

ZEchius Croatinus haud obscuris parentibus ortus, gentem Bohemicã condidit, qui homicidio domi perpetrato iudiciũ ultionemq; fugiẽs, in regionẽ eam uenit, cui nunc Bohemia nomen est, ac montẽ incoluit Chezip uocatũ, quod uocabulum latine, respiciens, interpretat̃: surgit enim ex medio camporum æquore, fluuios intuens, qui præcipui Bohemiã irrigant, Albim, Multauiã, atq; Egram. Terram incultã fuisse tradunt, nemoribus atq; sentibus asperã, ferisq; quàm hominibus aptiorẽ. Credimus id quidem: nam prisci Germani, qui ea loca tenuerunt, pastoralem uitam agentes, agrorũ culturam neglexerunt, ac more Nomadum alimoniã ex pecoribus trahentes, domesticum in carris tollentes instrumentũ, quocunq; sors tulit & opinio, cum suis armentis conuertebant̃. Non assentimur Bohemorũ historiæ, quæ Zechium illum, omnemq; familiam suam, nam frater cognatiq; fugæ comites erant, glandibus ac syluestribus pomis tantũ uitam duxisse affirmat, obliterato iam tum glandium usu: nec post diluuiũ ex his fuisse hominibus uictũ crediderim. Illud mihi persuasibilius fuerit, Zechium paucos inuenisse cultores, quos lacte ac uenatu uiuentes arare terram, triticum serere, fruges metere uesciq; pane docuerit: atque ita sibi rudes homines, ac penè feros, ad usum mitioris uitæ redactos subiecerit. Nec rursus apud me pondus habet, omnia tum fuisse cõmunia, atque tam uiros quàm fœminas incessisse nudos. Neq; enim illa regionis temperies est, ut hominẽ asseruare nudum queat ex Dalmatia uenientem, ubi non defuit uestis usus: nisi fortassis in argumentũ quis aduexerit Adamitas, qui nostra tempestate apud Bohemos emersere, communione rerum omnium, nuditateq; gaudentes, quos breui deletos constat. Zechio frater fuit nomine Leches, paupertatis & exilij comes. Hic ubi Germanum

Chezip

Adamitæ

manum agris ditatum,bobusq; potentem animaduertit,ad orientem profe-ctus in magna camporũ planicie sedem collocauit,Poloniamq; nomen ex loco dedit: nam planicies Sclauonica lingua pole nominatur:cuius hæredes in numerosam multitudinem breui coaluerunt,ac Rusiam,Pomeraniam, Casubiamq; sui generis hominibus impleuerunt. Zechij quoq; familiam;Bohemos,id est,†diriuos appellant,mirũ in modum germinantes,non solum prouinciam à se dictam, sed Morauiam Lusatiamq; pulsis ueteribus incolis occuparunt. Dum uixit Zechius nihil temere,nihil tumultuose actũ,eius imperio sine controuersia obtemperatum. At eo uita functo, quum sibi quisq; principatũ uendicaret,diu seditionibus agitata prouincia est, sine principe,sine certa lege,iudicio tantum multitudinis gubernata. Postremo quũ potentiores imbecilles opprimerent, & serum atq; incertum esset populare remedium,ex re uisum est rectorem assumere, qui omnibus præsidens imbecilles ac potentiores pari iure gubernaret.

polonia

† als diuinos

De Croco, secundo Bohemorum duce. Cap. IIII.

ERat per idem tempus apud Bohemos uir nomine Crocus, iusticiæ opinione insignis, ac propterea magnæ apud uulgus autoritatis: hunc sibi principem deligunt,summamq; ei rerum committunt. Cuius tanta moderatio fuit,ut non aliter quàm pater à prouincialibus coleret̃:neq; enim ad suam uoluptatẽ, sed pro subditorum utilitate ac quiete prouinciã rexit, ferocemq; populum non tam imperio,quàm beneuolentia quietum continuit. Hic arcẽ apud Stemnã condidit, quã de suo nomine Cracouiã nominauit. Moriens aũt tres filias reliquit,Brelam,quæ castellũ Brelum ædificauit,herbarũ ac medicinæ peritã: Therbã,siue Therbizam augurẽ & sortilegã.Tertiã Libussam quę ut natu minor fuit,ita diuinarũ humanarumq; rerum scientia maior.

De Libussa filia Croci,quæ pluribus annis rexit Bohemiã. Cap. V.

LIbussa autem uelut una ex Sibyllis habita,post obitũ patris fauente populo pluribus annis prouinciã gubernauit:& priusquã Praga ædificaret̃ arcem Vissegradensem cõmuniuit: fuitq; suum imperiũ patribus plebiq; iuxtà gratũ. Postremo non crudelitate aliqua, non tyrannide aut socordia usa, sed rectum iudiciũ faciens popularem fauorem amisit. Contendebant corã ea duo ex optimatibus de possessione agrorũ. Sententia ex bono & æquo dicta,potentior humiliori damnat̃.Ille tanq̃ iniuria esset potentiorẽ in iudicio succumbere,populares appellans, indecorũ esse indignumq; ait,tantum populum,tot proceres,tantum imperium unius fœminæ subesse arbitrio. Ad cuius uocẽ excitata multitudo, muliebre regimen accusare, uicinarũ gentiũ mores in medium adducere,uirũ qui sibi dominetur expetere. Libussa indicto silentio, desiderium se populi animaduertisse dicit, neq; se illos eo frustraturam: imperium subditis, non sibi post patris obitum tenuisse. Iubet ad diẽ posterum redeant. Obtemperatum est, itum,atq; reuentum.

De Primislao

De Primiſlao tertio Bohemorum duce. Cap. VI.

Libuſſa in concione ubi adeſſe multitudinem uidit, Ego uobis,inquit,Bohemi in hanc uſque diem placide molliterq;, ut mulieribus mos eſt, imperaui,nulli quod ſuum eſſet eripui,nullum læſi: matrem experti eſtis, nō dominam. At uobis meum regimen ingratum, more humani ingenij mecum agitis: nihil diu placet homini: pium iuſtumq; principem deſiderant populi magis quàm ferunt. Eſtote ergo iudicatu meo liberi: uirum qui uobis præſit, quiq; ſuo arbitratu capita ueſtra iudicet, ſicut optaſtis,dabo. Ite, equum meum albicantem ſternite,atq; in campos late patentes adducite, liberū effrenemq; ibi dimittite,ſequentes eum quocunq; ierit. Curret equus aliquandiu:deniq; ante uirum ſubſiſtet in menſa ferrea comedentem. Ille mihi coniunx erit, uobis princeps. Gratus ſermo concioni fuit. Emiſſus equus decem milia paſſuum percurrit. Poſtremo ad flumen Bieli ante aratorem conſtitit, nomine Primiſlaum. Sequuti proceres popularesq;,poſtquā ſtantem equū & aratori blandientē adulantemq; uiderunt, accedentes propius, Salue, inquiunt,bone uir,quem nobis ſuperi dederunt principem.Solue boues,atque aſcenſo equo nobiſcum uenito:Libuſſa te uirū,Bohemia ducem poſcit.Agrū colere,gregem paſcere,nauim regere,texere,ſuere,ædificare,multi ſe ignorare fatentur: magiſtratū in urbibus agere,regem gerere, gentibus ac nationibus imperare,quod eſt difficilimū, nemo ſibi à natura negatum dicit: etſi pleriq; ſiue laboris odio,ſiue ocij amore,oblatis regnis abſtinuere. Primiſlaus quāuis agreſtis,nuncios benigne excipit,facturumq; poſtulata reſpondit: tanta eſt mortalibus regnandi cupido: nemo ſe regno indignū putat. Solutos boues,ut fabuloſa eſt omnis antiquitas,eleuatos in aëra ferunt,& in altiſſimam præſciſſæ rupis ſpeluncam delituiſſe,nunquam poſtea uiſos.Stimulum uero quo boues urgebantur, terræ defixum mox fronduiſſe, ac treis corili ramos emiſiſſe:ex quibus duo ſtatim exaruerunt,tertiam in arborem eiuſdem generis proceram excreuiſſe. Non recipio ad me ueri iſtius periculum:apud autores iſta quærant. Vidi tamen inter priuilegia regni literas Caroli quarti Romanorum imperatoris,diui Sigiſmundi patris: in quibus hæc tanquam uera continent. Villæq; illius incolæ,in qua hæc geſta creduntur, libertate donantur:nec plus tributi pendere iubentur, quàm nucum illius arboris exiguā menſuram. Sed nec mihi Carolus fidem facit: nam reges plerunq; creduli ſunt,nec quicquā non uerum putant,quod generis ſui claritatem aſtruit. Primiſlaus igitur audita legatione, inuerſo uomere, pane caſeoq; appoſito, uiā quaſi grandem facturus,cibum ſumpſit.Ea res Bohemorum animos confortauit, menſam ferreā,de qua Libuſſa uaticinata fuerat, in uomere cognoſcentes.Stupentes edentem circumſtant,ſaturum equo imponunt,iubentq; feſtinare. Inter eundū, quid ſibi uult ſtimulus frondens? interrogant:& cur duo rami mox aruerunt? Ille qui diuinandi peritiā calleret, treis ſibi liberos naſcituros

Tres tantum liberi uſq; hodie 1513

Menſa ferrea

turos

turos ait, ex quibus duo funere immaturo deficiant, tertium nobiles fructus editurum. Quod si ager totus exaruisset ante uocationem, genus eius masculinum perpetuò regnaturũ fuisse: quum ante tempus accersitus sit, eam spem ademptam. Interrogatus, quur nam calceos, querno robore factos secum asferret? seruandos in arce Vissegradensi respondit, ostendendosq́ posteris, ut scirẽt omẽs primũ qui principatũ inter Bohemos accepisset, ex agro fuisse uocatum: neq́ insolescendum esse, qui ex humili fortuna solium ascenderit. Seruati calcei diu apud Bohemos, religiose habiti, ac per sacerdotes templi Vissegradensis ante reges delati, dum pompa coronationis educitur. Quum Vissegradum appulisset Primislaus, ingenti fauore plebis atq́ honore exceptus est, Libussamq́ sibi matrimonio iunxit. Nec diu moratus, Pragense oppidũ aggere atq́ muro cinxit: de cuius nomine dum disceptaretur, iussit Libussa ex artificibus, qui primo occurreret, rogari quid ageret: ac ex primo uerbo eius uocari oppidũ. Interrogatus faber lignarius quispiam: limen se agere dixit, quod Bohemice praha dicit: indeq́ nomen urbi datum: sed corrupto uocabulo posteri Pragam dixere. Exinde leges conditæ, quibus Bohemi longo tempore usi, prouincia pace & ocio fruens, opibus aucta est. Et Libussa castellũ Libus ædificauit, non longe ab Albi flumine: quod morienti sepulchrũ fuit. Qua mortua, imperium ad Primislaum solum rediit, quod uiuente coniuge eius maximo consilio administrauit: fœminarũ, quæ illa uiuẽte plurimũ poterant, autoritas extincta.

Calcei è querno robore

Praga unde dicta

Libus

De puella Valasca, quæ principatum Bohemiæ more Amazonum, septennio potenter obtinuit. Cap. VII.

SEd fuit inter uirgines, quæ Libussæ ministrare solebant, Valasca puella ingẽtis spiritus, & Amazonicæ mentis, quæ clanculũ accersitis comitibus: heram, inquit, ô sorores perdidimus, quæ nos à uirorum contumelia uindicauit, nec passa est seruire uiris: contrà, uiri eiusdem imperium subiere, nos reginarum honore fungebamur. Nunc iugum asperum & miserrimũ ferre oportet: nisi libertatẽ nobisipsis uendicemus, uilissima mancipia sumus. Quod si uobis id animi est quod mihi, facile pristinam autoritatẽ obtinebimus. Ego secretorum Libussæ conscia, Therbicę quoq́ sortes noui, herbarum uires nõ minus quàm Brela calleo: quod tres habuere sorores, hoc mihi soli datũ est. Assistite audenti, uobis imperiũ in uiros polliceor. Probant singulæ Valascæ consilium: coniurant, poculũ recipiunt, quo uirile genus odissent. Interea loci Primislaus uirginem sibi per quietem sanguineum ministrare potum uidet. Territus somnio, ac malum quod erat futurũ suspicatus, primores terræ admonet, ne tantum licentiæ fœmineo sexui præbeatur. Mos enim uirginibus erat equos ascendere, fatigare cursu, flectere in gyrum, hasta contendere, gestare pharetram & arcum, sagittare, iaculari, uenari, nihil officij uirilis omittere. Quod Primislao tum periculosum, tum bonis aduersum moribus uidebatur.

batur. At proceres ridere principem, fœmineum sexum nil ausurũ magni credere. Mirari tanto maius atq; amare puellas, quanto agiliores ac doctiores dicerentur. Valasca monere interdiu noctuq; conspirationis socias, spem bonam facere, audaciam augere, poculis atq; carminibus mẽtes earum à uirorũ amore auertere, dietim plures allicere, prouinciã uniuersam ueneno inficere. Vbi iam uirginum ac nuptarũ satis conuenisse arbitratur, mandat omnibus suos uiros, parentes, germanos, filios, mares, omnes somno uinoq; sepultos noctu occidãt, armis equisq; arreptis, in campũ prodeant, nõ longe à Praga monstratum. Maturatur scelus, uirorum quantum imperatum erat interficitur: ueniũt in campum armatæ fœminæ, prostratoq; uirorum exercitu, qui parricidas insequebatur, ducem in arce Vissegradensi obsident. Quã quum expugnare nequirent, castellum sibi haud procul inde in prærupto undique colle, naturaq; munitissimo ædificant, quod Dieuizum appellant, quasi uirginũ castrum. Dieuizæ nanq; eorũ lingua uirgines nuncupantᵗ. Res uisa patribus plebiq; perniciosissima, tum propter admissum scelus, tũ quod illarũ exemplo reliquas adduci fœminas uerebantᵗ, & hostem cuiq; domi esse formidabile fuit. Hortantur itaq; principẽ, puellas bello coërceat, se cum copijs affuturos promittunt. Primislaus se à dijs admonitum ait, perituros omnes qui puellas armis lacessant, tempus aliud expectandum. Illi spreto consilio, coacto sine principe exercitu, castra ad Dieuizum ponunt, puellasq; cingere obsidione pergũt. Valasca nil territa in maiori discrimine maiorem adhibet animum, comites ne mente labantur, plena fiducia hortatur, aduenisse tempus affirmat, quo toti Bohemiæ leges imponant, uidere se omnes prouinciæ optimates in suam potestatem uenisse: uires tantum acuant, uictoriã in manibus esse. Neq; nouum uiros mulieribus obedisse, Amazones sibi Asiam uectigalem fecisse, pugnasse ad Troiam, Thesei atq; Herculis arma contempsisse. Si consilium atq; animus mulieribus adsit, uires haudquaquã deesse: nullius Bohemi consiliũ suo præferre. Vbi persuasam multitudinẽ animaduertit, palantes hostes, & nil tale uerentes aggreditur. Fit trepidatio in totis castris. Mox fœda oritᵗ fuga, instant uirgines, uirosq; passim trucidant. Neq; aliter pugnatũ est, quàm si muliebres uiri animos, uiriles fœminæ induissẽt. Pauci ex ea pugna euaserunt, quos uelocitas equorũ, non sua uirtus à morte redemit. Singularis audaciæ in hoc prælio septem puellas fuisse memorant, Maladam, Nodeam, Suataciam, Vorastam, Radgã, Zastanam, Tristanã. Reginam sua manu septem uiros interemisse. Spolia ingẽtia capta, præmia pro meritis reddita: septem quæ uirtute præstiterant, torquibus aureis atq; armillis donatas, Valascam ueluti deam habitam: neq; post id prælium Bohemis aduersus puellas audaciam fuisse. Illæ populari agros, abducere prædas, rapere, occidere, uillas incendere, potentiã indies augere, fingere interdũ se uirorum amore teneri, amatorias epistolas nobilibus adolescentibus mittere,

Muliebris audacia *Dieuizum* *Fortiter*

tere,

tere,deteſtari faſtum atq; inſolẽtiam Valaſcæ,ſimulare fugã, rogare in ſyluã potenti manu uenirent, ac ſe raperent. Iuuenes qui puellarũ facinora magis admirarentur quàm odiſſent,uicti blandicijs,captiq; nonnullarũ ſpecie(erãt enim pleræq; pulcherrimæ)imperata faceſſunt. Sed ingreſſi ſyluas, inſidijs circumuenti, trucidantur. Alij noua fraude in arcem uocantur, Valaſcã ueluti per traditionem comprehenſuri. Qui mox intromiſſi,ad unum necantˀ. Vbi iam nulla fides uirginibus eſt,commentum inauditum excogitant.

De puella Sarca,quomodo doloſe nobilem Stiradum deceperit, mortiq; tradiderit Caput VIII.

SArca erat inter puellas admodũ honeſta facie, ſed animo impuro, & ad omne ſcelus parato. Hanc in altiſſimo nemore ſtrictis pedibus ac manibus arbori alligãt,tubamq; uenatoriam, ac uaſculum medone plenum iuxtà ponunt:ipſæ in inſidijs haud procul deliteſcunt. Solebat hàc iter ſæpe facere Stiradus nobilis eques inter Bohemos opibus & autoritate potens, & qui puellarum tyrannidem præ cæteris abhorreret atque perſequeretur. Is ergo quum ſyluam pro ſuo more uenaturus intraſſet,puellamq; uinctam conſpicatus eſſet,miſerabundus quid ſibi ea res uellet percontatur. Cui Sarca, Noſti,inquit,quot ſcelera his in regionibus Valaſca perpetrarit,dum ſibi potentiam regnumq; uendicat. Ego quoq; pariter in furorem acta,inſaniã eiuſdẽ aliquãdiu ſequuta ſum. Peccaui fateor, pœnituit me tamen tot ineptiarum, cogitauiq; quo nam modo ſceleſtã relinquere uitã poſſem: ſtatui ab iniqua diſcedere domina: ſed dum comitẽ fugæ quæro, prodita captaq; huc deducor:hic de me ſumere ſtatuerat ſuppliciũ ſanguinaria carnifex. Interea dũ ligor,dumq; mihi ultima uerba dicuntur,ut auditus eſt tuorũ canum latratus, atq; hinnitus equorum, illæ meæ lamiæ ſalutem pedibus quæſiere. At ego te uir clariſſime, quem unum perfida turba metuit, per nobilitatẽ tuam oro miſerere infelicis fœminæ. Solue me obſecro atq; abducito:aut ſi hoc nõ placet,iugula me potius quàm hic uiuam deſeras:namq; ubi abieris,mox aderit iniqua uirginũ cohors,meq; diris lacerabunt modis: iuuat tua manu perire. Stiradus lacrymis motus muliebribus, puellæq; forma captus,equo deſiliẽs uincula ſoluit,rogatq; medonis uaſculum,ſimulq; tuba appoſita quid ſibi uelint. Tum Sarca, Medonem,inquit,optimum carnifices attulerunt,quo inter cruciandũ uterer:hunc iam læta ſecuraq; bibam:& hauſto ſumpto, quod reliquum fuit, Stirado propinauit, qui pariter bibit. Erat autem potus ſuauiſſimus,quem Bohemi ex albo melle conficiũt: ſed quàm mulieri ſaluber, herbis & carminibus adhibitis, tam uiro peſtilens:qui mentem Stiradi prorſus alienauit. Exinde tuba hæc,inquit, mea fuit dum uenarer, quam mihi mortuæ ad collum ſuſpendere ſtatuerant peſſimæ,quaſi uenatricis ſignum:inflabo ut intelligant me uiuentem,ſuiſq; manibus ereptam eſſe. Moxq; tuba cecinit. Valaſca ubi ſonitum audiuit, ex compoſito cum armatis puellis adeſt, Medo

m 2 Stiradum

Stiradum incautum capit,comites eius obtrũcãt. Ferunt dum hæc agerent, auditum tota sylua ingentem ueluti ridentium strepitum: ubi dum esset hominum solitudo, creditum dæmones de puellarũ facinore ac fallacia cachinnatos: illas uero instructo exercitu Stiradum cathenis uinctum, in conspectũ arcis Vissegradẽsis deduxisse, ibiq; prospectante Bohemorum principe nobilem uirum rotæ supplicio, quod est inter Germanos atrocissimũ ac miserrimum, peremisse. Post hæc iam plane regionis dominas uiros sibi asciuisse, ex quorum complexu nouis fœtibus Rempub. sustentarẽt, sancitumq; lege, ut natæ fœminæ diligenter asseruarentur, masculis dextri oculi eruerentur, amputarenturq; pollices, ne uiri facti aut arcus tẽdere, aut armis uti ualerẽt. Idq; aliquandiu factitatũ. Septem annis ea pestis Bohemiã afflixit, tributariaq; magna ex parte prouincia uirginibus fuit. Qui detrectauere imperiũ, intra mœnia clausi, nusq; exire audentes, magnis incommodis affecti sunt. Deniq; quum necessaria deessent, eoq; perducta res uideretur, ut coactos fame deditionem facere oporteret, tumultuarie principem adeunt, dirum puellarum bellum deplorant, ignauiam ducis accusant, malle se fœminis obedire, quàm perire inedia dicunt, aut populum tueatur, aut meliori cedat: probris & contumelijs minas adijciũt. Primislaus tot angustijs circumuentus, quum non tam armis, quàm sortibus ualeret, plebẽ paucos adhuc dies expectare

Stratagema hortatur. id si faciant, puellarum excidium imminere. Paret multitudo. Ipse medio tempore scribit Valascæ, iniussu suo optimates prouinciæ arma in eam sumpsisse: placere sibi eos subijsse pœnas: se illam filiæ loco amare: neq; inuidere principatum, quæ coniugis suæ Libussę discipula extitisset: imperiũ uirtuti suæ deberi, quæ Bohemiã uirili audacia bello attriuisset: senium suum regno ineptum, neq; filio impuberi gubernationem credendam, monere ut arcem Vissegradẽsem ex manibus suis accipiat, sic Bohemiam totam in potestatem eius uenturã: filio quam uelit partem faciat: sibi priuato quod restat ætatis, uiuere libeat, atque in agrum reuerti, quem reliquisset inuitus. Potestatem quam sibi fœmina tradidisset, iure optimo se fœminæ restituere. Capitur Valasca suis artibus, missaq; puellarum cohorte, tradi sibi arcem postulat. Intromissæ uirgines, apud principẽ opipare epulantur. Interea prosilientes ex insidijs iuuenes armati, puellas omnes trucidant: nec morati, castellum Dieuizum cum exercitu petũt. Valasca re cognita, furore amens, cum paucis obuiam egreditur, consertoq; prelio priusquam comites adsint, dum strenue pugnat, inter confertissimas hostiũ turmas occiditur. Subsequutæ uirgines, ubi dominam cecidisse cognoscunt, non tam spe uictoriæ, quàm ultionis ardore certamen instaurant. Pugnatum est aliquandiu, nunc huc, nunc illuc uictoria inclinante: ad extremũ infeliciter præliantes fœminæ, cæsis quampluribus, fugæ se commiserunt. Subsequuti hostes, uno agmine, uictores cum uictis castellum irrupere: potitiq; arce, quicquid fœminei sexus inuentũ est,

ferro

ferro extinxere, atq; hoc pacto magnanimi iuuenes dominatũ fœmineo Bohemiam liberarunt. Valasca inter fœminas clarissimas numeranda, plus ausa quàm sexui suo congrueret, insepulto cadauere iacens, feris ac uolucribus esca fuit.

De Nimislao quarto, ac Mnata quinto, Vorcioq; sexto, necnon Vinslao septimo Bohemorum ducibus. Cap. IX.

PRimislao ex Libussa tres filij nati, duo immaturo rapti funere, tertius morienti seni hæres dictus, Nimislaus nomine, quod nihil excogitans interpretatur. Fuit enim stupidi ingenij, & prorsus iners: inter scorta & cõcubinas ocio marcens. Molliciem eius fortuna confouit, quæ pacem illi perpetuam dedit, nullo uicinorum arma mouente, nec seditionibus studente populo, quem diutina uirginum bella prorsus extenuauerant. Hunc Mnata filius subsequutus est. Mnatam Vorcius, cui duo fuerunt filij, Vinslaus & Vratislaus. Inter quos moriens partitus est terram. Vinslao Praga & ducatus Bohemiæ cessit, Vratislao Lucensis principatus, qui postea Zazensis dictus est.

De Grezomislao, qui & Nedam dictus est, octauo Bohemorum duce. Et graui bello quod gessit cum patruo suo Vratislao. Caput. X.

EX Vinslao natus est Grezomislaus, qui & Nedã dictus est, unicum timoris & pauoris exemplũ. Cuius ignauiã animo uoluens patruus, optimum instrumentum ad subigendam sibi Bohemiam ratus, arma mouens plura aduersus eum bella feliciter gessit. Quibus magnificatus & auctus, urbem condidit inter duos montes Mednã & Pubechã, quam de suo nomine Vratislauiam nuncupauit. Neq; contentus prioribus uictorijs, nouũ nepoti bellũ indicit, capitalẽ pœnam subditis suis interminans, qui gladij longitudinem æquãtes in prælio deessent. Iubet quoq; purpuratos suos falcones atq; accipitres secum afferant, quos humana carne pascere uelit: nõ ad pugnam, sed ad cædem iturus. Postremo se nulli ætati parsurum dicit, ipsosq; lactentes pueros ab ubere matrum rapi atq; confodi mandat, mammasq; mulierũ pullis equorum sugendas tradi. Insolens sanè ac superbissimus, & fortasse crudelior quàm si uicisset. Parte alia, Nedam uir muliere corruptior, trepidare atq; pauere, nihil consilij, nihil spei habere, ultimam uitæ suæ diem aduenisse putare, nõ gladium intueri, nõ milites affari posse, alieno tamen ductus consilio, se pugnæ interfuturum dicit. Et accersito clàm Sclerico nobili equite, figura corporis sibi perquam simili, animi uero fortitudine & corporis robore dissimillimo. Fuit enim manu promptissimus, & audaci animo, atque in primis rei bellicæ peritissimus. Hunc suis armis indutum ac insignibus principalibus honestatum, quàm paucissimis rem sciẽtibus, obire ducis munia iubet. Multa interim uatum præsagia, fœminarũ quoq; spiritu, ut aiunt, pythonico imbutarum uaticinia exquiruntur. Ex quibus una placandos deos humana

 hostia

hostia respondit, sic enim uictoriam repromitti. Cui Nedam, plus religioni quàm armis fidens, cæso quem sortes designauere iuuene, morem gessit. In alia parte mulierem fuisse tradunt, quæ priuigno bellum petituro, Vratislaum in pugna casurum, maioremq; populi partem cum eo interituram prædixerit: posse tamen euadere iuuenem, si sibi crederet. Adolescenti se credere, atq; imperata facturum respondenti, iussisse ut pergeret, quando remanere domi capitale esset, primumq; qui obuius fieret occidere, atq; utrasq; aures cadenti amputare, & in pera recondere. Exin gladio inter priores equi pedes signum crucis in terram facere, qua deosculata, equum ascendentẽ fugam maturare. Pugna in campo cui Thusco nomen est cõmittitur, concurrunt acies, magnis utrinq; uiribus ac clamoribus certatur. Stat belli fortuna diu anceps, multi hinc atq; inde uulnerantur, prosternuntur, occiduntur. Ad ultimũ Bohemi qui non pro gloria, aut ampliando imperio, sed pro uita, pro focis, pro aris, pro uxoribus ac liberis in aciem uenissent, desperatione in uirtutẽ uersa, audacibus animis, inuicto robore prælianes, uictoria potiuntur, non sine Sclercij magna laude & summa gloria: cuius in hoc bello, tũ ars, tum uirtus plurimum ualuit. Occiditur tamen inter præliãdum, & ut iusserat, in eo campo sepultus est, ubi prælium gestum, suaq; morte uitam ducis, & patriæ liberationem redemit. Ex hostibus cæso principe, quàm paucissimi euaserunt. Aiunt adolescentem, qui nouercæ iussioni paruerat, domum redeuntẽ, uxorem suam quam unice amauit, interemptam reperisse, ambabus carentem auribus, pectusq; confossam, & quas hosti amputauerat aures, coniugis suæ fuisse, stupentem tristemq; cognouisse. Tantum præstigia possunt, aut ueneficarum carmina mulierum.

Victoria ex desperatione

Præstigium

De infidelitate Duringi, qui Vratislai filium sibi commissum interfecit, pœnamq; condignam dedit. Cap. XI.

BOhemi parta uictoria, occiso Vratislao, terram eius ferro atque igne deuastant: inuentumq; Vratislai filium impuberem, principi tradunt. Qui misertus ætatis, patruelem educandum Duringo, ad Egram fluuium imperium possidenti, Vratislao gratissimo quondam comiti tradidit. Qui cęca cupidine captus, tanquam initurus principis gratiam, puero supra Egram, qui tum glacie constrictus erat, perfracto gelu pisces quærenti, gladio caput abstulit, secumq; Pragam deferens, ubi ad Nedam introductus est, proferens cruentum caput, Solium, inquit, tuum hodie firmaui: aut perire hoc, aut te oportuit. Securus in utramuis aurẽ post hac dormies, æmulo regni sublato. Motus haud aliter q̃ par erat princeps tam diro spectaculo: perfidiam, ait, nulla beneficia uincunt. Vt aleres puerum, non ut occideres, credidi. Te neq; meum imperium, neq; amici memoria, neq; innocentis pupilli miseratio retraxit ab scelere? At mihi quietẽ parare uoluisti. Tui ergo meriti hæc sumito præmia. Ex tribus mortibus, quam malueris optionem habeto: aut gladio

teipsum

teipſum cõfodito, aut laqueo perſtringito guttur, aut ex Viſſegradenſi rupe pręceps ruito. Duringus accepta ſententia, in alni arbore, quę propinqua fuit ſeſe ſuſpendit: alnus poſtea quamdiu remanſit, arbor Duringa dicta eſt.

De Noſtirico nono, & Borſiuoio decimo Bohemorum ducibus. Qui & ultimus Paganorum ducum fuit, & tandem cum uxore ſua fidẽ Chriſti ſuſcipiens, baptizatus eſt. Cap. XII.

NEdam uero moriens, †Noſtiricũ maiorem natu filium hęredẽ inſtituit, Dipoldo prouinciã Surimenſem teſtamento dimiſit. Noſtirico Borſiuoius filius ſucceſſit, ultimus Paganorũ ducum: qui tamen & ipſe imperante Arnulfo Cæſare, à beato Methodio Morauorum archiepiſcopo, cum Ludmilla cõiuge ad baptiſmi gratiã perductus eſt D. CCCCXCV. anno poſt Chriſti ſaluatoris noſtri ortum. Ludmilla ſancta mulier habita, etiã miraculis claruiſſe fertur. al. Hoſtiuicũ

De ſitu Morauiæ, & Suatocopio, penultimo rege eiuſdem. Qui & primus Chriſtianus inter reges Morauiæ fuit. Cap. XIII.

SVatocopius eo tẽpore Morauis imperabat, Chriſtianę religionis cultor, & dignus cuius memoriã ad poſteros referamus. Morauia trans Danubium iacet, cui ad Orientẽ Hungari Poloniq; regnũ poſſident, Moraua diſiuncti amne, qui nomen regioni dedit: occidentẽ ſolem Bohemi excipiũt, Auſtriales Meridianũ: Septentrionale latus Sleſitæ occupant. Ager uini frumentiq; ferax, gens rapinis aſſueta: nulli tutum iter niſi armato, potentioriq; præbet. Hic multos annos regnatũ. Hũgarij, Bohemi, Ruſſani, Poloniq;, Morauorũ principi paruerũt: princeps ipſe Rom. imperio. Caput regni ciuitas Volegradenſis. † Suatocopius regũ penultimus, quũ aliquandiu feliciter regnaſſet: tandem Arnulpho Imperatori tributũ pendere recuſans, cõmiſſo prælio, quũ ſuos cadere animaduertiſſet, clàm ſeſe pugnæ ſubtraxit: atq; ut erat mutata ueſte incognitus, ſalutẽ ſolus fuga quęſiuit. Quumq; ad montẽ ueniſſet, cui Sambri nomẽ eſt, abiectis armis, equo dimiſſo pedibus iter fecit, & tanq; uiator inops, uaſtiſſimã ingreſſus eremum, tam diu pomis arborũ atq; herbarũ radicibus uitã ſuſtentauit, donec tris eremi cultores obuios habuit: quibus ſeſe adiungens, uſq; ad extremũ uitæ perſeuerauit incognitus, patienter ac ſedato animo incõmoda quæq; ferẽs. Vbi uero obitus affuit, accerſitis eremitis: nondũ, inquit, quis fuerim, nouiſtis. Rex ego Morauorũ, prælio uictus ad uos cõfugi, & regiã uitã & priuatã expertus morior. Nulla regni fortuna eſt tranquillitati eremi præferenda. Hic ſecurus ſomnus, dulces herbarũ radices atq; undas efficit: ibi curæ atq; pericula nullũ cibũ, nullũ potũ non amarũ reddunt. Quod uitæ mihi fata dederũt, apud uos felix peregi: in regno quicquid eius tranſactũ eſt, mors uerius quàm uita fuit. Sepelite me hic poſtquã anima corpus reliquerit, Morauiamq; deinde petentes, filio meo, ſi adhuc uiuit, hæc nunciate. Atque his dictis uita exceſſit. Arnulfus interea uictoria al. Suatocupus Scite

 potitus,

potitus, regnum Morauiæ Suatocopij filio, quem de sacro fonte leuauerat, possidendum reliquit. Is ab eremitis edoctus de fortuna patris, quem cecidisse in prælio existimauerat, corpus eius ex eremo defossum, Volegradum retulit, atq; in sepulchris maiorum condidit. Fuit autem Suatocopij filius, quanquam Christianorum sacris imbutus, minus tamen q̃ decuit, sacerdotes dei ueneratus. Qui uenationem aliquando facturus, archiepiscopo Methodio imperauit, ne ante suum reditum diuina perageret. Expectauit Methodius ad meridiem usq;, tandem negligi rem diuinam ueritus, deo sacrificium cœpit offerre. Interea reuersus princeps, ubi se neglectũ animaduertit, sacrã ingressus ædem, multitudinem canum intromisit, tubasq; clangere iubẽs, ad altare usq; progressus, cõuicia multa ingerẽs, uix manus à uiolatione sacerdotis abstinuit. Ob quam rem, paucis post diebus Methodius in Bohemiam fugiens, regem extra ecclesiam fecit, regnoq; sacris interdixit. Quo facto, non solum archiepiscopalis sedes in Morauia defecit, sed in seipso quoq; regnum extinctum est. Mortuo nanq; paulo post excommunicato rege, imperij Morauorum partem Theutones ac Bohemi, partem Poloni, atq; Hungari diripuerunt. Methodius in Bohemia aliquandiu moram traxit, deinde Romam se contulit, ubi fratrem suum Cyrillũ comperit, qui baptizato quondam Suatocopio, Morauis Christiana sacra crediderat, multasq; alias Sclauorum gentes ad fidem Christi conuerterat. Ferũt Cyrillum quum Romæ ageret, Romano pontifici supplicasse, ut Sclauorum lingua, eius gentis hominibus quam baptizauerat, rem diuinam faciens uti posset. De qua re dum in sacro senatu disceptaretur, essentq; nõ pauci contradictores, auditam uocem tanquam de cœlo in hæc uerba missam, Omnis spiritus laudet dominum, & omnis lingua confiteatur ei: Indeq; datum Cyrillo indultum.

De Spitigneo undecimo, ac Vradislao duodecimo Bohemorum ducibus. Caput XIIII.

Borsiuoius aũtem, coniunxq; Ludmilla, Christianam ueritatẽ amplexi, fidem catholicam inter Bohemos magnopere ampliarunt. Ludmilla filia fuit comitis Slamborij castelli Bizeniæ, quod postea Melinca dictũ est. Ex qua tulit Borsiuoius duos filios, Spitigneum & Vradislaum. Primus patri succedit: sed moriens sine filijs, fratri principatum reliquit. Coniunx Vradislai † Drabonucia, mulier audax, & ad scelus prona, duos pariter filios uiro peperit, Venceslaum & Boleslaum: priorem Ludmillę tradidit educandum, alterũ ipsa enutriuit. Alumni ex nutricibus mutuati mores, Venceslaus pietatem colere, mansuetudinem præseferre, Christiana sacra uenerari, elargiri multa pauperibus, nulli noxius esse: Boleslaus idolorum sectari culturã, honores ambitiose quærere, adulterari, rapere, occidere, in scelera cuncta prolabi.

† al's Drahomicia

De sancto

De sancto Venceslao martyre, tertiodecimo, & fratre suo Boleslao quartodecimo Bohemorum ducibus. Cap. XV.

PAter suprema ordinans, Ludmillæ, cuius integritatē prudentiamq́ optime nosset, quousq́ liberi adoleuissent, gubernationem prouinciæ dimiserat. Id ægre Drahomiciæ fuit, quæ Tymā & Simonē nepharios homines submittens, socrum in castello Thetim strangulari iussit: ipsa deinde imperium accepit. In omnes crudelis, in Christianos sæuissima & intolerabilis, ac propterea Venceslao etiam filio infesta, cui præferre fratrem non dubitauit. De Venceslao hæc referuntur. Potus cibiq́ parcissimum fuisse tradunt, corporis maiestate decorum, uirginitatem ad ultimum uitæ seruasse: diuina in templis officia, diurna nocturnaq́ nunquam neglexisse: & noctis quidē tempore nudis pedibus super glaciem ac niuem iter agentē, uim frigoris minime sensisse: Podium uero eius comitē, quū caligatus obriguisset, iussum uestigia Venceslai pedibus premere, concaluisse. Postera die cruenta sancti uiri uestigia inuenta: inisse eum populo perurgente, adhuc uiuente matre, principatū. Duci uero Curinensi, nulla iniuria lacessito, cum exercitu in Bohemiam ingresso, atq́ agros uastare conanti, armatum cum copijs occurrisse, uocatoq́ in colloquiū, singulare certamen obtulisse. Accepta ab aduersario cōditione, ubi manus conseri debuit, angelos uisos, qui Venceslaum protegentes arma ministrarent: territum ea nouitate Curinensem, ex equo prolapsum ueniam petiuisse. Bohemum libenter humiliato pepercisse, monuisseq́ ne deinceps aliena peteret. Similem angelorū comitatum uidisse aiunt Imperatorē, quū Venceslaus adolescens in eius curia obuersaret, eamq́ ob causam brachium sancti Viti dono ei dedisse, in cuius honore cathedralis ædes in Praga constructa est. Ferunt tunc Bohemiā sub episcopo Ratisponensi fuisse, ac propterea quum Venceslaus Volgangū præsidem, qui postea inter sanctos relatus est, ad cōsecrationē eius basilicę summis precibus inuitasset, respondisse pontificem, coram deo iam templum suum dedicatum esse, quod futurā metropoliticā cerneret, missurū se tamē, qui sua uice Venceslao satisfaceret. Creuerat iam Venceslai nomen, miraq́ populi charitate atq́ admiratione celebrabat. Sed quanto cæteris acceptior erat, tanto acrius in se odiū fratris matrisq́ concitabat, ac propterea licet dimittere seculum, & in monachum tonderi destinasset, non potuerunt infelices animæ sancti uiri propositum expectare, sed impatientes moræ, piam principis intentionem scelere præueniunt. Fit conuiuium apud Boleslaum, matre iubente, uocatur Venceslaus. Qui & si mortem instare prædixerat, facta tamen cum sacerdote de peccatis suis ex more Christiano confessione, fraternam domum ingreditur, ibiq́ statim Boleslai manu percussus interijt. Dicat aliquis homicidam suspitius Venceslaum fuisse, negetq́ cœlo dignum, qui certæ se morti obtulerit. Nos Gotthorum instante procella, plurimas Romæ fuisse puellas legimus,

Venceslaus

Venceslai mors

quæ

quæ pudicitiæ suæ uim inferri timentes, & ne in manus hostiles inciderēt, in Tyberim sese præcipitauerunt: quæ postea miraculis coruscantes, sanctorū honores meruere. Venceslai sanctitati qua die cæsus est Christum deum testimonium præstitisse, memoriæ prodiderunt, qui regi Daciæ per uisum apparens, suo martyri ædem construi mandauit. Ipsum autem Venceslaum multis miraculis claruisse, atq; inter sanctos martyres ab ecclesia receptū tradunt, Drahoniciā paucis post diebus fatis suis trahentibus, ultionemq; parricidij exigentibus, hiatu terrę apud arcem Pragensem absorptam, Boleslaū multis sceleribus nobilitatum, morbo absumptum duos filios reliquisse, Boleslaum paternum nomen referentem, & Stratiquatem.

De Boleslao quintodecimo Bohemorum duce. Cap. XVI.

Boleslaus imperio potitus, patrui magis quàm patris æmulator extitit. religionē enim Christi extollens, uiginti ecclesias erexit. Huic soror fuit

Milada Milada eximia specie uirgo, sacris imbuta literis, & multa pollēs eruditione. Quæ quum Romam orationis causa petiuisset, à Ioanne pontifice maximo benigne excepta, ipsius autoritate monasterium sancti Georgij in arce Pragensi construxit, ibiq; sacerdos consecrata est. Eadem quoq; sancti Viti ędē,

Ditimarus à Venceslao fundatam, in pontificalem eleuari obtinuit. Ditimarus natione Saxo, & opinione sanctitatis insignis, primus ibi episcopus consecratus, cui Adelbertus successit, nobili genere apud Bohemos natus. Stratiquas, Boleslai frater, relicto seculo apud Ratisponam Baioariæ ciuitatē, in cœnobio sancti Emerammi, monasticā uitam elegerat. Quem Pragam forte aduenientē,

Stratiquas aggressus Adelbertus, pontificalē ei cathedrā offert: q quū esset regis frater, ex rege natus, facile populū sub religione continere posset: nam sibi non esse facultatem eius regendæ plebis, quæ rapinis & adulterijs assueta, ius fasq; omne contemneret. Stratiquas mundanas dignitates quasi malas pestes effugiendas esse respondit, monasteriū sibi & præsentē uitam suauē præstare, & futurā promittere meliorē, in eo se uiuere moriq; uelle. Scribunt autores, Adelbertū his auditis, prophetico spiritu plenū Stratiquati dixisse, Poteras modo pontificali honore cum salute defungi: at quod nūc recusas, in perniciē tuam uehementer expetes. Abijsse deinde Romam, ac cum fratre suo beatæ uitæ Gaudentio in monasterio sancti Alexij tamdiu delituisse, donec iussu pontificis maximi suas oues repetere iussus est. Quibus quū esset prorsus ingratus, in Hungariam profectū, regem Stephanum baptizasse, quem inter sanctos relatum aiunt. Exinde Poloniā ingressum, Gaudentiū fratrem, in ecclesia Gnesnensi prædicaturum Euangeliū, pontificem ordinasse. Postremo Prutenos adijsse, apud quos dum Christi legē prædicat, gladio cæsum, martyrio uitam finisse. Interea Stratiquatem mutato proposito, Pragensem ecclesiam poposcisse, neq; repulsum, fraterno regioq; fauore adiutū. Sed dum apud Maguntinum archiepiscopum agit, sacris de more imbuendus, inter

duos

duos epiſcopos iacentē pronum, diabolico ſpiritu arreptūm, tamdiu uexatū, donec animā exhalauit, Adeodato natione Teuthonico, eccleſiā cōmiſſam.

De Boleſlao ſextodecimo Bohemorum duce. Cap. XVII.

BOleſlaus duobus & triginta annis imperio potitus, ex uita deceſſit, relicto ſucceſſore filio ſui nominis Boleſlao tertio: Huic Meſcho Polonorum princeps Cracouiam per fraudem eripuit. Bello deinde orto, uaſtatis agris, induciæ demum dictæ, ſtatutumq; uti ambo duces apud Cracouiam conuenirent. Boleſlaus accepta fide eò pergit, atq; in conuiuio captus, luminibus priuatur, comites eiuſdem crudeliter necati, exceptis Vriſbuicenſibus inſidiarum cōſcijs, ſceleriſq; participibus. Qui domū reuerſi, tanquam magno ex periculo euaſiſſent, publicam fidem atq; iuſiurandū & iura hoſpitij à Polono uiolata queruntur. Vbi fides habita, Ianurem Boleſlai fratrē dolo necare conantur. Cocherem inter Vriſbuicenſes conſilio, opibus & autoritate maior, adoleſcentē ſub ſpecie uenationis in ſyluā tractum, ad ſtipitē arboris alligatū, ſagittis confodi iuſſiſſe fama eſt: diuum Ioannē baptiſtā ab eo precibus exoratum, hirſuto tegmine ſagittas excepiſſe, uxoremq; eiuſdem per uiſum cōmonuiſſe, periclitanti uiro opē ferret. Interea famulū principis Ouerā nomine, ex periculo prolapſum, proditionē populo expoſuiſſe, illum tanta nouitate cōmotum, correptis mox armis in ſyluam procurriſſe, captiſq; proditoribus atq; occiſis, ducem ſaluum reduxiſſe. In eo loco ubi hæc acta ſunt, monaſterium ordinis ſancti Benedicti, quod Veliſcam appellatur conſtructum, & aram maiorem ibi ſitam, ubi arbor religatum Ianurem tenuit. Meſcho autem coacto exercitu, longe lateq; Bohemorum populatus agros, Pragam deniq; obſidione cinxit, eamq; biennio fame laborantem obtinuit, excepta arce Viſſegradenſi, quæ in fide Ianuris permanſit.

De Vdalrico, ſeptimodecimo Bohemorū duce. Cap. XVIII.

FVerat & alter Boleſlao frater, Vdalricus nomine, quē pater Henrico Imperatori nutriendum dederat. Is audita Meſchonis proditione, clàm ab Imperatore dimiſſus, caſtellum Dieuizum natura & arte munitū ingreditur. Exin collecto raptim milite, colles occupat, qui Pragæ ſupereminēt, tubaſq; clangere iubet. Mox alta uoce præconem Pragenſibus nunciare, uictos prælio Polonos fugam cepiſſe, uictorem principem cum exercitu adeſſe. Qua uoce accepta Polonorum præſidium quod urbem tenebat, metu perculſum exceſſit. Pragēſes aucti animo inſequuti, complures in fuga captos necauere. Meſcho cum paucis in Poloniā ſe recepit. Vdalricus Pragam ingreſſus, germano ſuo, ſiue proditoribus ſuggerentibus, ſiue quod ætatis beneficio illum ſibi præferri uidebatur, effodi oculos iuſſit. Multa huius facinora referuntur, partim reprehenſione, partim laude digna. Inter cætera & illud narratur, redeuntem ex uenatione, puellam uidiſſe in uilla quadam, iuxta puteum ueſtimenta lauantem, nomine Bozenam, quod Beatricem interpretatur;

eleganti

eleganti forma, & moribus supra ꝗ̄ par esset agresti uenustis, captum specie & alloquio modesto, quamuis amici aduersarentur, coniugē accepisse: Bizetislaum ex ea natū. Is quum adoleuisset, Iutham Imperatoris Ottonis Rufi filiam, quæ apud Ratisponam in monasterio nutriebat, quamuis nunquam uidisset, sola fama commotus, ui rapuit, solusq́ꝫ cum illa ad patrem perrexit, comitibus uelocitatem eius insequi nequeuntibus, ab Imperatore ex fuga retractis atqꝫ occisis. Non improbauit pater factum, sed admiratus audaciam, tantum se filium genuisse gauisus, matrimonium cum rapta in Morauia celebrari mandauit: tanto præstantiorem filium æstimans, quanto nobilius est, Imperatoris quàm uillici filiam amauisse. Imperator ea contumelia motus, iureiurando affirmat exercitum in Bohemiam ducturum, terram malis affecturum, sibiq́ꝫ sedem in medio regni collocaturum. Statimq́ꝫ cum exercitu Bohemiam instar torrentis cuncta secum rapientis, ingreditur. Cōtrà Vdalricus filiusq́ꝫ castra mouent. Iam duo exercitus ad iactum teli conuenerant, tum Iutha, cuius ex iniuria bellum ortum, crinibus sparsis, scissa unguibus facie, uicto periculorum magnitudine muliebri pauore, ausa telis sese inferre uolantibus, inter primas acies prosiliens, patris alloquium priusquam furor ardeat amplior, exposcit. Quo impetrato, Fateor, inquit, pater, iustum te bellum mouisse, cuius filia rapta est, illumq́ꝫ pœna dignum, qui te contempsit, nisi compulisset amor, cuius cæca consilia sæpe ueniam meruere. Sed age obsecro, pone ante oculos quem armis insequaris: gener tuus, mihi maritus, cui tantopere irasceris, & fortasse nepos tuus, eius filius, in uētre meo conceptus est. Parce oro filiæ, parce nepoti: patrem illi, mihi uirum, dimitte. Non est degener maritus, nec solui consummatum matrimoniū Romana ecclesia sinit: nec tibi uictoriæ potestas est: utriqꝫ uires, utriqꝫ belli artes suppetunt: Mars dubius casum respicit. Ne obsecro pater, mei causa tantam militiam morti obijcito: parce, cui ego prior læsa, peperci. Illacrymatus pater, audita filia: facturumq́ꝫ se quod illa uellet, nisi obstaret iuramentum. Tum Iutha, Et maritus, inquit, meus iureiurando astrictus est Theutoniam armis lacessere: sed uana religio, quæ sceleri locum facit. Vim criminibus sacramenta non addūt. Et promissorem maleficij diuina maiestas odit, factorem exterminat. Inueni tamen si libet, uiam, qua te simul promisso, uirumq́ꝫ soluam. Veniet cum patre gener ad pedes tuos, ueniam commissi petet: te regem, te dominum profitebitur: neqꝫ impedimento erit, quo minus sedem in medio Bohemiæ collo ces, ibiq́ꝫ ius dicas. Postremo curiā tuam in Teuthonia petens, uillas aliquas quas iusseris inter equitandum maritus diripiet. Placuit Imperatori cōsilium filiæ, atqꝫ in eius uerba fœdus ictum, exercitus consalutati, & in Boleslauia, quæ umbilicum tenere Bohemiæ creditur, sedes Imperatoris lapidea erecta, perpetuum rei monumentum principibus terræ insigne datum Imperialis aquilæ. Exin Bisetislaus Morauiā ex paterno indulto rexit, Polonosq́ꝫ, qui magnam

Iuthæ elegās oratio

Grauiter

magnam eius partem occupauerant, bello deleuit, eorumq; multa milia, ligatis poſt tergum manibus, in Hungariam uenundandos miſit.

De Biſetiſlao decimo octauo Bohemorum duce. Cap. XIX.

DVm hæc aguntur, anno poſt Chriſti ortum triceſimo ac milleſimo, Boleſlaus apud Cracouiam excæcatus interijt. Vdalricus quoq; frater eius uita functus eſt. Qua re cognita Ianur & ipſe cæcus, Pragam ueniens, ducatũ gẽtis ſuopte ingenio nepoti dimiſit. Biſetiſlaus ea re cognita, animo auctus, quãuis nulla iniuria laceſſitus, exercitũ in Hungariã duxit, magnamq; inde prædam retulit. Quinq; ei ex Iutha fuerũt filij, Spitigneus, Vratiſlaus, Conradus, Iaronurus, & Otto: quorũ fiducia plenus, etiam Polonos ulturus, auũ pulſare bello non timuit, Cracouiamq; armis captam funditus euertit. Gneſenium quoq; metropoliticam urbem diripuit, multorumq; martyrum ſacratiſſima inde corpora aſportauit, & crucem aureã ccc. penſantẽ libras. Quod quum Imperator Henricus, eius nominis ſecundus accepiſſet, indignatus iniuſſu ſuo Poloniam uaſtatam eſſe, Biſetiſlaum aut reſarcire Polonis damna, aut bellum expectare iuſſit. Ille nihil ſe Imperatori niſi tributum debere reſpondit à maioribus inſtitutum. Pendebat autẽ dux Bohemiæ Romano imperio quotannis centum & uiginti boues, & argenti puri centum quinquaginta marcas: id ſe neq; neglexiſſe hactenus, neq; neglecturum. Si quid amplius iuſſerit Imperator, à bono & æquo recedere, ſe libertati gentis nihil detracturũ. Imperator his auditis, ex Ratiſpona in Bohemiã copias traducit: Othardo Saxonum duce ex altera parte cum exercitu properare iuſſo. Ingreſſus ſyluam, qua Bohemiam cingi diximus, pręciſis arboribus iter interceptum reperiens, milites uiam ſecuribus aperire iubet. Magnus hic labor equiti, erãt enim uaſtæ magnitudinis arbores, multaq; robora incidenda, priuſquam iter pateret. Ob quam rem, quum iam opere peracto ad interiora perueniſſent, nec hoſtis in conſpectu uſquam daretur, feſſi ac ſitibundi proiectis armis flumina petunt. Biſetiſlaus ex inſidijs prodiẽs, palantes atq; inermes aggreſſus, ſtragem haud paruam effecit. Imperator repentino commotus malo, multis ſuorum deſideratis, fuga ſalutem petit. Othardus uero iam fines Bohemiæ ingreſſus, Septentrionalem prouinciæ partem longe lateq; populatus, his cognitis cum præda domum reuertitur. Procopius comes Bilicnſium, cum parte copiarũ aduerſus eum miſſus, fortuna parum proſpera uſus, tanq; pecunia corruptus, effoſſis oculis, manibus pedibuſq; obtrũcatis in flumine Bicline demerſus eſt: nec tamen eo pacto quies Bohemiæ data. Nam ſequenti anno Henricus Imperator, & Othardus, maioribus collectis copijs redeuntes, tranſmiſſa ſylua ferro ac flamma cuncta uaſtarunt: Biſetiſlaum armis diffidentẽ intra Pragæ mœnia clauſum obſederũt. Seuerus tũc epiſcopatũ urbis gerebat, iureiurãdo Imperatori obnoxius, ex cuius indulto pontificali ſede præerat. Is noctu cũ pluribus ad Henricũ confugit, obtinen-

dæq; urbis uiam ostendit. Quare fractus animo Bisetislaus, errati ueniã petijt: dictæ sunt pacis leges quas uoluit Imperator, & trium annorũ tributum pensum: Slesia sub annuo tributo, auri triginta, argenti cl. marcarum Bohemiæ principi tradita: secũdo & quinquagesimo anno post millesimũ à Christi saluatoris aduentu, pace cum Imperatore composita, Hungariã sibi subigere Bisetislaus aggreditur: cuius populus suis utens legibus, Romanorũ imperium contemnebat. Sed ingressus hostilẽ prouinciam, mox ardenti febre correptus, ultimũ instare diẽ intelligens, uocatis Bohemiæ primoribus, Spitigneũ primogenitũ successorẽ suum designat, reliquos filios Morauia inter eos diuisa, parẽre fratri iubet. Atq; his demandatis, uita decedit, quarto Kal. Maij. Corpus eius Pragam translatum apud parentes sepultum.

De Spitigneo decimonono Bohemorum duce. Cap. XX.

SPitigneus ut regnum primum potitus, omnes Theutonici generis Bohemia excedere iubet, nec matri potestatem manendi facit. Exinde Morauiam infestis petens armis, fratres bello aggreditur. Vratislaus audito germani aduentu, relicta in Olomucio cõiuge, ad regem Andreã in Hungariã confugit. Conradus & Ottho fratri se dedunt. Vxor Vratislai capta, aliquãdiu in uinculis habita. Postremo suadẽte Seuero episcopo dimissa, dum uirũ in Hungaria petit, uicina partui in itinere decedit. Mœstus ea re coniunx, ab Andrea rege consolationem accepit, qui filiã suam Adilheidam nuptam ei tradit. Quod quũ Spitigneus accepisset, ueritus ne uires Hungaricas in se fraters armaret, missa legatione, sine causa illũ ex Morauia abijsse dicit, nihil hostile timendum fuisse. Nam quur frater fratrẽ oderit, secundo post se loco genitum? Seruasse se abeunti bona, non abstulisse: redire eum ad suos debere, cuncta ei salua esse. Nec frustratus est fratrẽ, redeunti quæ armis abstulerat, cũcta restituit. Iutha uero à filio deiecta, quũ secũdo nupsisset, breui mortua est: cuius corpus in Bohemiã translatũ, in sepulchris principũ condidere.

De Vratislao uicesimo Bohemorum duce Cap. XXI.

SPitigneo uita defuncto, Vratislaus successit. Qui Morauia rursus inter fratres diuisa, Iaronurũ, quem pater ecclesiæ dedicatum exortem regni fecerat, in diaconũ uel inuitum ordinari iussit. Is relicto Christi habitu, ad Poloniæ duces confugiens, militarẽ disciplinam sectatus est. Fuerunt Vratislao ex Adilheide tres liberi, Bisetislaus, & duæ fœminæ, Ludimilla, & Iuditha. Verum Adilhiede mortua, uxorem alterã ex Polonia duxit, nomine Suatanam, ex qua Boleslaum, Borziuislaum, Vladislaum, Sobeslaumq; suscepit. Inter hæc Seuerus episcopus, qui Bohemiam Morauiamq; sacerdotio tenuerat, Ioanne in Morauorũ ecclesia sibi substituto, iam grauis senio ex uita decedit. Ob quam rem Conradus & Otto, Vratislaum precibus onerant: Iaronuro fratri ut ecclesiam Bohemiæ ab Imperatore impetret. Annuit Vratislaus, neq; Imperator aduersatus est. Iaronurus ex Polonia reuocatus, relicta militia,

militia, episcopus ordinatur, ac mutato nomine† Gebardus appellatur. Qui mox spiritu superbiæ inflatus Morauiã non minus sibi quam suo antecessori debitam dicit, illum exterũ, se ciuem: illum infimo loco natũ, se regia stirpe ortũ. Ingressus Morauiã, Ioannẽ episcopum qui cedere nollet, contumeliis & uerberibus afficit. Vratislaus, qui Ioannẽ amaret, ea re cõmotus, Romanũ pontificem contumaciã Gebardi uti corripiat, scriptis hortatur. Missus est in Bohemiam Rodulphus cardinalis, qui causa cognita delictũ puniat. Is uocatũ Gebardũ, quũ minime pareret, sacerdotio abdicauit. Sed rogatus à clero, dignitatẽ ei restituit, iubens & ipsum & Ioannẽ intra annũ coram summo sacerdote se exhibere. Paruerũt ambo. Sacerdos maximus ambobus auditis, Gebardum amouere sacerdotio statuit: fecissetque, nisi preces interuenissent Mathildis uirginis, filiæ Bonifacii ducis Lucani, quæ tum Romæ fuit, ex Bohemorũ sanguine nata. Hæc est illa Mathildis, fama inclyta, & apud historicos late memorabilis, quæ à Radicofano Senensis agri oppido, usque Ceperanũ interiacentẽ terram donauit ecclesiæ: posteri patrimoniũ sancti Petri appellarunt. Huius ergo interuentu, Romanus præsul utrunque sacerdotẽ sua diœcesi contentum esse, ac remissis iniuriis, in patriam reuerti iussit.

al. Gerardus

Mathildis

Vratislaus dux Maguntiæ, in regem creatur per Henricũ Imperatorẽ quartum, regnoque Bohemiæ, Poloniã, Slesiam, Lusaciã, Morauiamque adiecit. Cap. XXII.

INter hæc Leopoldus Austriæ marchio, Morauiã latrociniis magis quàm iusto bello infestam reddit, nec Conradi aut Otthonis, qui tunc prouinciæ præsidebant, preces audit. Illi fraterna solatia expetunt. Vratislaus collecto raptim exercitu, Austriã ingressus, instar horridæ tempestatis obuia quæque prosternit: occurrentẽ Leopoldũ prælio uictũ, in fugã conuertit, ipse onustus spoliis domum reuertitur. Post hæc anno sexto & lxxx. supra mille, ab ortu saluatoris Christi, apud Maguntiã in concilio principũ ab Imperatore Henrico, eius nominis quarto, Vratislaus rex declaratur, Morauorũ regno, quod supra extinctũ diximus, in Bohemiã translato: Polonia, Slesia, Lusacia, Morauia, Bohemorũ imperio adiectæ. Gilbertus Treuirorũ archiepiscopus cum eo Pragã missus, qui coram prouincialibus regem inungat, regalibusque adornet insignibus. Id eodem anno factũ, ac clamante populo, Vratislao regi salus, honor atque uictoria. Suatana quoque regina cũ eo coronata. Mortuus est per idem tempus Ioãnes Morauorum episcopus, cuius ecclesia, instante Gebardo Pragensi, unita est. Quæ res illi maioris insolentiæ fomentũ fuit: adeo, ut præsente rege interesse diuinis minime dignaret. Ob quam causam Vratislaus, indulgẽte Alexandro papa iii, natione Seneñ. collegium canonicorũ regulariũ in arce Pragensi erexit: in quo dum res agitur diuina, non præpositus tantũ, sed decanus & sacerdos, diaconusque, & subdiaconus, rem diuinã facientes, episcopalibus ornamentis utunt. Et præpositus quidẽ cancellarius

Primus Bohemorum rex

regni appellatus, principis honore defungit. In fundatione aūt eius ecclesiæ, regem suis humeris duodecim cophinos lapidum gestasse ferūt. Religiosum principem, dignumq; qui primus inter Bohemos regio diademate uteretur. Gebardum uero indies magis atq; magis insolescentem, ac propterea à Morauorum plebe repulsum, dum per Hungariam ad Romanū pontificē questum iniurias proficiscit, apud Strigonium morbo correptū interijsse, Cosmumq; illi suffectū. Fuerūt Vratislao & cum Saxonibus, & cum germano, qui Morauiam obtinebat, inimicitiæ. Illos per filium uicit: germanū ipse ex Morauia armis expulit, urbemq; Olomucensem possidendā filio tradidit.

De Conrado uicesimoprimo, Bizetislao uicesimo secundo, ac Boleslao uicesimotertio, necnon Borziuislao uicesimoquarto; Bohemorum ducibus. Cap. XXIII.

VIta functus Vratislaus, non filium sicut optauerat, sed Conradū fratrē habuit successorem. Qui septimo mense potitus imperio, morbo correptus, nepotibus ex fratre locum fecit. Quinque eos fuisse diximus, qui sibi inuicem pro natiuitatis ordine successere. Duos ex his Vrbuicenses, perpetui regum hostes, fraudibus interceptos necauere.

De Vladislao uicesimoquinto Bohemorum duce, & rege secundo Caput XXIIII.

PEnultimus Vladislaus nomine, ex Bisetislao fratre nepotē sui nominis, cum ccc. galeatis equitibus auxilio Hērici sexti Romanorum Imperatoris Romam misit, qui plurimas inde reliquias sanctorum reportauit. Inueni in historia Bohemorū post Vratislaum primū regem, pluribus annis interregnum fuisse. Nam Conradum fratrem eius, ac deinde Vratislai filios non regis nomine, sed ducis tantum usos, tanq; regni decus homini, non prouinciæ datū fuisset. Vladislaum uero quarto loco Vratislao natum, à Friderico primo, sibi & posteris regiam dignitatē obtinuisse, & quū in expugnatione Mediolanensi egregiam operā nauasset, Imperatori mirifice gratum, leonē rubeum bifurcatæ caudæ, in clypeo albi coloris insigne regium accepisse: candelabrum quoq; Salomonis ex Mediolano asportatū, in ecclesia sancti Viti Pragensis recondisse. Pontē super Multauiam, quo uetus Praga minori iungeretur, magni operis ædificasse, quem Ratisponēsi præferunt, in quatuor & uiginti arcus, ut antea diximus protensum.

De Sobieslao uicesimosexto, & Friderico uicesimoseptimo, nec non Conrado uicesimooctauo, ac Bizetislao uicesimonono, atq; Venceslao tricesimo Bohemorum ducibus. Cap. XXV.

POst eum Sobieslaum quinq; annis ducatu functū, à prouincialibus exactum, in exilio interijsse. Exin Fridericū Vladislai filium successisse, post Conradū, qui apud Apulos in Italiam sequutus Imperatorē, decessit. Conradū Bisetislaus sequit, qui & Henricus dictus est. Et quū esset Pragensis episcopus.

ſcopus xvi. annis pontificatũ ſimul & principatũ Bohemiæ tenuit. Poſt eum ducatũ obtinuit Venceſlaus frater eius. Hos quoq; regis nomine abſtinuiſſe conſtat, ſiue quia magis ui quàm iure imperauerunt, ſiue quod Imperatoris Ro. indultũ ſumendæ coronæ, more maiorũ obtinere non ualuerunt.

De Primiſlao triceſimo Bohemorũ duce, & rege tertio. Cap. XXVI.

VEnceſlaum tribus menſibus ducali autoritate functũ, Primiſlaus Vladiſlai ſecundi regis filius, armis deiecit, & à Philippo Ro. Imperatore Friderici ſecundi fratre, quem Romana eccleſia non accepit, tertio loco inter Bohemos reges coronatus eſt.

De Venceslao Bohemorum rege quarto, & de Othocaro Bohemorum rege quinto. Caput XXVII.

PRimislao duo fuerunt filij, Venceslaus & Othocarus: Venceslao regnũ Bohemiæ ceſſit: Othocaro marchionatus Morauiæ. Fuit autẽ Venceſlaus unoculus, & ſine liberis decedẽs, regnũ Othocaro reliquit: qui & alio nomine Primislaus appellatus eſt, inter Bohemiæ reges v. belli appetẽs, & magnorũ operũ effector, cui nec animus in rebus arduis, nec conſiliũ defuit. Imperiũ quod à fratre ſuſceperat, ex mari Baltheo, quod falſò pleriq; oceanũ putauere (eſt enim mediterraneus ſinus) uſq; ad Danubiũ protenſum, ad internum noſtrumq; mare, quod Adriaticũ dicimus, extendit. Nam quũ obiſſet Fridericus dux Auſtriæ ſine liberis, ſoror eius Margarita hæreditatẽ accepit. Nupſerat hæc olim Hentrico Imp. Friderici ſecundi filio, eoq; ſine ſobole uita functo, in patriã redierat. Eadẽ iam anus Othocarũ ſibi uirũ aſciuit, qui non tam coniugis ætatẽ, q̃ dotẽ animo uoluens, ſterile matrimoniũ contraxit, & principatũ nobilẽ cõſequutus, more humano, quãto plura poſſedit, tãto maiora cõcupiuit. Vlricus eo tẽpore Carinthiorũ principatũ tenebat. Qui quũ uirili ſobole careret, accepta ex Othocaro pecunia, Carinthiã illi, Carniolã, Marchiã, Sclauonicã, & portũ Naonis, tradidit. Veronenſes, exinde Feltrenſes, Taruiſini, & multi ex Foroiulij, ultro ſeſe ei ſubmiſerunt. Bellũ Hungaris indixit, cõmiſſoq; prælio, uictor ingentẽ prędã reportauit, Stiriamq; prouinciã illis ademit. In Pruſſia, quam ueteres† Vlinrigiã uocauere, ſuperatis Tartaris urbẽ condidit, quam Cuniſpergiũ, id eſt, montẽ regiũ uocãt. Sed quantum aucta eius potentia eſt, tantũ etiã inſolentia creuit. Qui uiuente legitima uxore, & quæ ſibi tantũ imperiũ adiecerat, alterã ſuperduxit Cunigundã regis Maſchoriæ filiã. Vocatus per principes electores ad imperiũ, contẽpſit: palam inter ſuos iactitans, pluris Bohemiæ regẽ, quam Ro. Imperatorẽ eſſe. Rodolphus itaq; Habsburgi comes, qui magiſter curiæ Othocari fuiſſet, nõ minus belli q̃ domi clarus, Chriſtianę Reip. prefectus eſt. Is miſſis ad Othocarũ legatis, Auſtriã & Carinthiã, cæteraſq; uicinas Italiæ prouincias tanq; iuris imperij repetit, quando nec Auſtria muliebre feudum eſſet, nec Carinthiã iniuſſu Cæſaris Vlricus uenundare potuiſſet. Renuit Othocarus, & imperatori,

[Margin notes:] † al. Vlmerigiã — Rodolphus in Imp. electus

peratori,qui aliquando ſibi ſeruiuiſſet,impacato reſpondit animo.Sed interuenientibus amicis, ea lege reconciliati ſunt, ut Auſtria Imperatori cederet, exin datis acceptiſq; filiabus, affinitas utrinq; iungeret: puinciæ de quibus lis eſſet,dotales fierēt.Adeptus Auſtriā Rodolphus, Othocarū in uerba ſua iurare more maiorū expoſcit.Id ſupbo regi grauius uiſum,tanq; ex domino ſeruus fieret. Exoriunt nouæ lites, exin bellū indicit. Quūq; iā duo exercitus ad mille paſſus alter alteri proximus cōueniſſent,ueritus Othocarus Rodolphi potentiā,iniuſtamq; belli cauſam animo uoluēs,legatos mittit,qui ſe iuraturū dicant, ſi modo intra tentoriū imperiale honoris ſui cauſa fieri Rodolphus uelit.Accipit conditionē Imperator potius,q̃ belli fortunā experiatur. Suggeſtū in tentorio ſublime parat, ibiq; aureū ſoliū eminētiori loco erigit: Rodolphus diademate & imperialibus inſignibus conſpicuus, conſidētibus electoribus imperij:cæteris baronibus circumſtantibus,aduenientem regem ſedens expectat. Ille cum paucis regni ſui optimatibus ingreſſus,conſcenſo ſuggeſto,ad pedes Imperatoris genua flectit:proinde ex ueteri cōſuetudine, admotis ſacroſanctis iureiurando ſe adegit.Interea tentoriū arte compoſitū, à ſummo uſq; deorſum in quatuor proſciſſum partes, decidit: regēq;,ut erat in alto loco ad Imperatoris genua ſupplex,uidendū exercitibus præbuit.Stabant circum armatæ acies,rei exitū expectantes: ſed q̃ læti Theutones glorioſum Imp.ſuū intuebant,tā mœſti triſteſq; Bohemi regis ſui uecordiā atq; ignauiā excipiebāt,q ſeruire Imp.magis q̃ præliū experiri uoluiſſet.Stupefactus ea re Othocarus, quāuis dolo magis q̃ caſu cecidiſſe tentoriū nō ignoraret, ſubticendū tamen in præſentia cenſuit:petitaq; ab Imp. uenia, plenus irarū domū redijt. Quē,tametſi ſua ſponte ſatis fureret,magis tamen ac magis uxor incendit. Quæ cognito rerū ſucceſſu,aduenientē regē hiſce uerbis alloquuta fertur. Hæccine nobis ſpolia,hæc belli adorea domū refers? Dediti omnes hodie tua opera,ueluti mancipia, ueluti pecudes ſumus.Regina prouinciarū Bohemia,tributaria facta. Quū te olim ſuperaſſe Tartaros,exuiſſe caſtris Hungaros,Stiriā armis adeptū eſſe, Italiā cum exercitu penetraſſe audiuerā:felicē me quæ tali nupſiſſem uiro, patrē qui me regi magnanimo tradidiſſet,ſapientē exiſtimabā,neq; reginā eſſe ullam orbe toto, cui me cedere oporteret. Nunc falſa omnia experior:nam quæ mulier me infelicior, quis te uirorū omniū ignauior? Auſtriā puinciarū nobiliſſimā, tot urbibus,tot proceribus inſignē,nulla neceſſitate coactus,è manibus tradidiſti: Stiriam,Carinthiā,& quas poſſidebas in Italia ciuitates, turpi metu reliquiſti,cū comite Habſburgenſi infimi generis affinitatē contraxiſti. Poſtremo ei qui ſatelles quondā tuus fuerat,iureiurando exhibito,te ſubmiſiſti,& ſeruus ſerui factus, tu ſimul ac maiorū tuorum gloriā offuſcaſti.En uirū qui magnitudine animi renuiſſe impiū uideri uult.Laudarē,ſi te illi nō ſubieciſſes.Age,ſi tibi animus uirilis deeſt, neq; gladios exertos intueri potes:ſine me regem eſſe, experiar

Vxoris ad Othocarū oratio

profecto,

profecto, Bohemis an Theutonibus imperiũ debeat. Sũt Poloni, sunt Saxones ac Francones, qui nostra signa sequunt, sunt Slesitæ, Morauiq́;, & uerebimur belli tentare fortunã? Vtinã aut tibi meus animus fuerit, aut mihi obedientia quam te habere animaduerto, sentiret profecto Rodolphus, neq; uires aduersus dominos ualere, neq; dolos. Othocarus, qui uxoris charitate teneret, eamq́; uera loquutam animaduerteret, simulq́; animi magnitudine irrogatã contumeliã ferre nõ posset, accersitis regni primoribus, collectisq́; nouis copijs, Rodolpho qui dolo secũ egisset, bellum indicit: neq; ille certamen detrectat. Conueniunt ambo cum exercitibus in campis Austriæ, trans Danubium cõmissum est atrox præliũ, diuq́; Marte dubio depugnatũ, quũ Bohemi multitudine ac robore, Sueui quibus Rodolphus maxime fidebat, ordine ac arte superiores essent. Cecidere quamplurimi ex utraq; parte, maior tamen strages Bohemorũ ædita. Ad extremũ relictus à suis Othocarus, dũ fortiter pugnat, inter confertissimas hostiũ acies occidit. Ferunt Stirienses duos domi nobiles, quorũ frater ab Othocaro per iniuriã extinctus fuisset, cum toto prælio quæsitũ, quũ certis indicijs cognouissẽt, in ultionẽ fraternæ cædis obtruncauisse. Corpus eius, permittẽte Rodolpho, in Bohemiã translatũ regio honore sepultum. Prælium ipsa die B. Ruffi peractũ, anno ab incarnatione uerbi VIII. & LXX. post ducentos & mille. A populatione Bohemiæ Imperatorem abstinuisse, quæ genero deberetur. *Othocari interitus*

De sancto Venceslao Bohemorũ rege sexto. Cap. XXVIII.

VEnceslaũ Othocari filiũ vij. annos natũ, ab Othone marchione Brandeburgẽsi, in Franconiã abductũ, regnũq́; tutorio nomine ab eo V. annis gubernatũ, reuersum puerũ sub impio matris fuisse. Illã Zauisiũ quendã ex baronibus potentẽ amasse, cuius nuptias adeptã, multas regni opes ad eũ contulisse. Sed ipsa breui morbo extincta, Zauisiũ captũ, neciq́; traditũ: regnũ deinde ex Venceslai arbitrio ordinatũ. Quo regnante, eo ipso anno quo Ptolemaida à Saracenis occupata, in hancusq; diẽ tenet, Pragã fermè uniuersam igne familiari exustã, liberalitate regis, ciuiumq́; diligentia atq; impẽsa ita instauratã, ut felix incẽdiũ fuisse uideret. Rodolpho Albertus filius successerat Impator. Huic nõ minores inimicitiæ cũ Vẽceslao q̃ inter parentes eorũ fuere. Has Iutha Venceslai coniunx atq; Alberti soror, mulier uiro cautior, magno labore diremit. Charissimus apud Vẽceslaũ Alexius quidã, pontificio iure consultus habitus est. Qui multa de Rom. nobilitate cũ eo locutus, usq; adeo animũ regis illexit, ut Iuthã filiã admodũ paruulã, in clara Vrsinorũ familia gentili cuidã matrimonio spoponderit. Hinc sequuta inter Vrsinos & Bohemiæ reges amicitia, quæ apud Matthæũ eiusdẽ familiæ cardinalẽ plurimi fuit. Is enim rogatus à Venceslao, Gotiũ Vrbeuetanũ, utroq; iure cos, in Bohemiã misit, q̃ regnũ sub leges reduceret. Sed impediuere principes, qbus incerta esse oĩa lucrũ. Huius Vẽceslai soror, noĩe Agnes, Rodol-

n 4 nupsit,

nupsit Imperatoris Rodolphi filio, q Pragę moriens ibi sepultus iacet. Ex ea natus est Ioan. qui Albertũ Cęsarẽ patruũ suum circa flumen Rhenum non longe ab oppido Schaffhausen, dum simul amice iter agerent, sua manu interfecit. Deinde pœnitentia ductus, Clementẽ quintũ pontificẽ maximum, qui sibi purgationẽ indulgeret, apud Auenionẽ adijt. Pontifex Imperatoris occisorẽ ab Imperatore iudicandum ait. Venit igit' Pisas Ioannes, ubi tum Cæsar Henricus vij. eius nominis Imperator considebat, à quo iussus religionẽ ingredi eremitarũ sancti Augustini, in eaq; perpetuo pœnitere nõ recusauit. Mortuus est tandẽ in eadem urbe, & in æde sui ordinis sepultus. Tumulum eius nos eo anno uidimus, quo iussi ab Imperatore Frederico tertio sponsam eius Leonorã ex Portugallia uenientẽ, sororis tuæ filiã cum alijs collegis ducturi Senas excepimus. Mater eius Ioãnis cordata mulier fuit, & ingenio feroci. Quæ quũ accepisset germanũ suum contentũ regno Bohemiæ, delatũ imperiũ recusasse. At ego, inquit, si rerũ potiar', glebaq; una mihi modo desit, aut quod reliquũ est subijciã, aut imperio excidam. Ferunt in coronatione Venceslai nõ minus nouẽ ducẽta equitũ milia apud Pragã ex regia curia cibos accepisse: peditũ uero infinitã multitudinẽ pastam. Subiecisse & Polonos sibi Venceslaũ, à quibus inuitatus, in ciuitate Gnesno diadema susceperit. Filiũ quoq; sui nominis xiij. annos natũ, petẽtibus Hungaris regem dedisse. Sed quũ Bonifacius pontifex maximus, Carolũ adolescentẽ, Caroli regis Siciliæ filium eò misisset, & Hungarorum animi nutarent, filium suum Albæ coronatũ, & sacram simul coronã ad se recepisse, nec diu postea, tertio & tricesimo ætatis suæ anno, ex tabe obijsse. Mortem eius Bohemos magno mœrore prosequutos. Fuerat enim mansuetus & clementissimus princeps, & admirandus opinione sanctitatis, quæ postea uel miraculis confirmata traditur: Ioanni Brixineñ. episcopo, si uera est fama, per quietẽ apparens, quũ eum flentẽ tristemq; repperisset, interrogauit quę nam esset causa mœstitiæ. Dicenti se mortem eius æquo animo ferre nõ posse, incredulitatẽ exprobrauit, qui sacris eloquijs fidem nõ adhiberet, in quibus hæc uerba potuisset aliquando legisse. Quum te consumptũ putaueris, orieris ut lucifer, & habebis fiduciam proposita tibi spe, & defossus securus dormies. Requiesces, nec erit qui te exterreat, & deprecabunt' faciẽ tuã plurimi: subiungensq; paruam esse eius fidem atq; inanem, si mortẽ sanctorũ miserã putaret: repente disparuit. Episcopus excitatus, uerba quidem sibi dicta memoriter tenuit: sed ubi nam scripta essent in sacro codice penitus ignorauit. Euoluto aũt concordantiarũ libro, xi. apud Iob capitulo, quod quærebat inuenit. Ad tumulum autẽ eius insignis latro quum accessisset, exprobrans mortuo uitam, lapideæ statuæ super sepulchrum iacenti colaphũ incussit: nec mora, cæcitate percussus impietatis suæ pœnam dedit. Statua postmodũ in sacrario erecta est, & alia ænea loco eius reposita, Ioannis Brabantini egregij statuarij nobile opus.

Albertus Imperat. occisus

Ferociter

Venceslai laus

De Ven-

De Venceslao Bohemorum rege septimo. Cap. XXIX.

VEnceslao filius eius successit, quãuis eodẽ nomine, moribus tamen lõgẽ dispar. Qui quũ ebrietati & turpissimę parti corporis dies noctesq; indulgeret, & aliorũ bona diriperet, aliorũ uxoribus illuderet, apud Olomuciũ Morauiæ ciuitatẽ, dum solus in domo decani pontificalis ædis perambulat, tribus uulneribus confossus, duodeuiginti natus annos interijt. Ignoratus est necis autor, quamuis Conradus eques Thuringus, cruentũ gestans pugionẽ, exire regiã uisus fuerit. Nã is prius obtruncatus est populari tumultu, quàm crimen confiteret.

De Rodolpho Bohemorũ rege viij. Cap. XXX.

VEnerat forte eo tẽpore Pragã dux Carinthiæ Henricus, cui altera ex sororibus regis, nomine Anna, natu maior, iam pridẽ nupserat. Hũc Bohemi regẽ sibi deligunt. Id ægre fert Albertus Imp. Qui repente coactis copijs, Bohemiã ingressus, Henricũ regno deturbat, Rodolphumq; filiũ suum regem cõstituit, Elizabet senioris Venceslai relicta in matrimoniũ ei tradita, quo regnũ eius solidius esset. Qui quum magna Bohemorũ spe regnare cœpisset, subitaneo morbo correptus, primo regni sui anno absq; liberis decessit.

De Henrico Bohemorum rege nono. Caput XXXI.

POst obitũ Rodolphi dissentientes inter se Bohemi, alij Fredericũ Rodolphi fratrẽ, alij Henricũ, quẽ deiecerant petierũt. Vicit Henrici factio: trucidatis alterius partis autoribus. Et quãuis Albertus Impator, cũ magnis copijs Bohemiã ingressus, regionẽ lõge lateq; afflixerit, Henricũ tamen regno deijcere nõ potuit, prius à nepote, ut ante diximus, occisus, q; meditata in Bohemos exequeret. Successit Alberto Henricus vij. de quo paulo ante mẽtionẽ fecimus, comes Luzelburgensis, cõsilio & animo iuxtà potens. Hic Elizabeth alterã Vẽceslai sororẽ, xviij. annos natã, clàm iussam ad se uenire, apud Spiram Galliæ ciuitatem Ioanni filio suo iiij. annis minori, matrimonio coniunxit. Eodẽ quoq; tempore, tribus cõparatis exercitibus, unũ ipse in Italiam duxit aduersus Brixinenses, quos armis uictos, imperata facere cõpulit, Lombardosq; oẽs in potestatẽ accepit. Alterũ aduersus comites Vuirtenbergenses direxit, sacro imperio rebelles, quibus ex octoginta castellis & munitissimis oppidis quæ obtinebant, duo & lxx. armis expugnata ademit. Tertiũ ex Franconibus ac Baioarijs comparatũ, duce Petro archiepiscopo Magũtino, cũ filio in Bohemiã misit. Hic est ille Henricus, q Ro. coronatus renitẽte Roberto rege Neopolitano Florẽtiã obsidione arctissima cinxit, Pisas, Senasq; in potestate habuit, & apud Bohemicũ cõuentũ in agro Seneñ, hostili fraude ueneno extinctus fert. Cuius corpus in uetusto ac nobili Pisarũ tẽplo, sublimi loco post arã maiorẽ amici condiderunt. Pugnatũ est in Bohemia pluribus locis, quũ alij Bohemorũ Ioannẽ regnare cuperẽt, alij Hẽrico studerẽt, q iã cũ tribus Imperatorũ filijs de regni possessione cõtendisset. Obsessa est deniq; Praga regni caput, diuq; oppugnata: quũ Hẽricus & marchio Misnẽsis

haud

haud pigre mœnia tuerentur. Ad extremũ tamen oppidanorum proditione Ioanni tradita, hostis in arcem sese recepit: nec multis post diebus Henricus in Carinthiã profugit. Ex eo tempore usq; ad Imperatorẽ Sigismundũ, Bohemia in potestate Lutzelburgensiũ, fermè centũ uiginti sex annis fuit.

De Ioanne Bohemorũ rege decimo. Cap. XXXII.

IOannes potenti manu regnum gubernauit, & patre in Italia agente apud Germanos uicario nomine administrauit imperiũ. Patre uero defuncto, quũ plurimæ Italiæ ciuitates ei sese dedidissent, penetrauit alpes cũ exercitu, easq; nõ paucis annis tutatus est: tũ Fridericus Austriæ, & Ludouicus Baioariæ principes, de Ro. imperio inter se contendunt. Fuerũt ei & cũ coniuge graues dissensiones: Baronibus regni reginã à rege subtrahentibus, tanq; Bohemorũ inimico, q Theutones in primis haberet acceptos. Ventũ est ad arma, affectũ magnis calamitatibus regnũ. Vix tãdẽ cõpositæ lites. Post hæc Egra à Ioanne recepta est: Vratislauiensiũ ciuitas quam dux Slesiæ occupauerat Hẽricus, Legniciũ quoq;, & quãplures aliæ Slesiæ ciuitates Ioãni subijciunt. Gerit & aduersus Australes bellũ, in quo uictor Ioannes suos milites præda nõ modica ditat. Quũ regnũ Poloniæ quiete obtinere non posset: Casimiro acceptis xx. milibus marcarũ argenti, ius suũ cedit. Cracouiã tamẽ obsidione cingit: sed deficientibus cõmeatibus, abire compellit. Cæcus effectus à rege Francorũ aduersus Anglicos in auxilium accersitus, cum lectissima equitum manu consanguineo solatiũ tulit, prælioq; memorabili & cruentissimo se immiscuit, in quo cum multis milibus cæsus interijt: quũ regnasset xxxv. annis. Bellum in celebritate sancti Ruffi gestũ. Hinc ea dies apud Bohemos atra atq; innominabilis habita, quæ duos reges hostili gladio abstulisset.

De Carolo Bohemorum rege undecimo. Qui & postea Romanorũ Imp. factus, Carolus quartus dictus est. Cap. XXXIII.

VNum & triginta annos agebat Carolus tum filius eius, ex Elizabeth cõiuge natus. Is uiuente patre, aduersus Tartaros feliciter dimicauit: ciuitates Lombardiæ à patre acceptas, armis tutatus est. Pugnauit adolescens cũ Veronensibus, eosq; prẹlio fudit: in ea pugna bis equo deiectus, nõ dubitauit tertiũ conscendere, facinoraq; fortissimi militis ædere. Ferunt eum iuueniliter lasciuientẽ, quũ Parmę ageret alienos thoros, nõ paucos polluisse, neq; increpatũ à patre abstinuisse. Fuisse per idẽ tẽpus Delphino Franciæ, cũ principe Sabaudiæ bellũ, cui quũ rogatus Ioannes, auxiliũ ferre statuisset, nocteque decretũ iter præcessit, uisũ esse in somnis Carolo, iuuenẽ forma cõspicuũ, militari manu raptũ, eminẽtiq; loco, unde uideri ab oibus posset uestimẽtis exutũ, moxq; uirilia ei execta: quæsiuisse Carolũ ex proximo adolescẽte qui specie supra humanã uenerabilis astabat, eaq; sic geri mãdauerat, quisnã hic iuuenis esset tam crudeliter acceptus, & quur eo supplicio afficeret: interroganti responsum datũ, Delphinũ esse regis Francię primogenitũ, qui talibus modis

modis acciperet, sic plectendos esse qui aliena matrimonia uiolarent. Experrectum Carolū summo mane patri somnium recitasse, rogasseq́ ne frustra exercitum fatigaret, Delphinū enim nō egere auxilio quem interemptū esse nō dubitaret. Contempsisse patrē uerba filij, somnijsq́ nihil inesse ponderis respondisse, duorumq́ dierū itinere cū exercitu profectū, certū accepisse nunciū, Delphinū in obsidione cuiusdā castelli, sagitta in incertū missa, confosso inguine expirasse, copias eius dissipatas esse. Carolum in uilla Terentij Parmensis agri, quo in loco uisum uiderat, in honore beatæ Mariç uirginis collegiatam ecclesiā erexisse, magnificeq́ dotasse, quæ adhuc extat. Patronus eius est præcentor ecclesiç Pragensis, quēadmodū eiusdē Caroli literæ attestant, quas nos uidimus legimusq́. Nomē huic Carolo in baptismo Venceslaus fuit, quod in confirmatione à Carolo Francorū rege mutatū est, apud quem pueritiæ rudimenta peregit. Fuit aūt hic Carolus uir magnorū operū, qui regnū Bohemiæ, tum religionis cultu, tum legū ac bonorū morū disciplina illustrauit. Nā schola liberaliū artiū ab eo in Praga erecta est, noua ciuitas mœnibus cincta, palatiū regiū magnificentissime exędificatū, monasteria multa fundata, arces cōstructæ admirabiles, pax toti regno reddita. Adeptus imperiū, rursus Italiā ingressus, Longobardos in potestatē accepit: Gibellinos qui iam pridē Florentia exulauerant, eiectis Guelphis, in suū locū restituit: reliquis Hetruriæ partibus pro suo arbitrio leges dedit. Coronatus Romæ magnifico apparatu, nouatores rerū qui aduersus ecclesiā sentiebant, Romano pontifici iudicandos tradidit. Ioāni fratri suo Morauiā possidendā concessit, Vissegradum nouis muris ac propugnaculis cōmuniuit, corpus sancti Viti Pragā detulit. Pontē Multauiæ, qui exundationibus corruerat, in Praga restaurauit: ecclesiā Pragensē ad metropoliticū decus erexit, quū antea Maguntino pontifici subiecta esset. Clarus profecto Imperator, nisi Bohemici regni gloriā magis q̄ Ro. impij quæsiuisset. Illud quoq́ nomini suo nō paruā inussit maculā, quod Venceslaū ex filijs suis natu maiorē, in imperio sibi successorē adhuc uiuens ordinare conatus est, idq́ pecunia. Nam quum principes electores, haud facile ad eam rem trahi possent, quod uirtute obtinere nō potuit, precio comparauit, promissis cuiq́ electori centū milibus aureis. Quos quū repræsentare non posset, publica illis Rom. Reip. uectigalia obligauit, perpetuū imperij malū. Hinc Romana potestas ad nihilū redacta, nec posthac extollere caput imperiū potuit, quū principes electores omnia sibi retinerent: Imperatoremq́ iureiurando adegerūt, ne pignora reuocaret. Sigismundus alter Caroli filius à rege Hungariæ Ludouico in spem regni adoptatus est: ibiq́ tandē coronā adeptus, pugnauit feliciter contra Turcas, xxxij. Turcarū regulos securi percussit. Tumultu populari captus, ac uiduæ cuius uirū occiderat, in custodiā traditus, beneficio linguæ libertatē adeptus, regnū armis recuperauit. In quo fortunā utrāq́ expertus, inter uiros claros enituit.

De Venceslao

De Venceslao Bohemorum rege duodecimo. Qui & rex Romanorum extitit. Caput XXXIIII.

VEnceslaus ætatis suæ anno secundo, permittente patre, regni Bohemici sceptrum assequutus: exin quindecimũ agens annum, cum coniuge sua Ioãna apud Belgas ciuitate Aquensi, Romani regni coronã accepit. Quarto deinde anno, pestis sæuissima Bohemiam populata est. In Praga uero quatuor mensibus in una tantum sancti Stephani parochia tria milia funerum & quinquaginta fuere. Sexto deinde anno regina decessit: & altera superducta est ex domo Baioaria, nomine Sophia, longe uiro suo præstantior. Inter hęc Pragenses populari tumultu excitati, atq; in furorem acti, Iudęorum domus inuadunt, bona eorum diripiunt, domus incendunt, atq; inter duas horas, non sexui, non ætati parcentes, infelicem gentem gladio cædunt. Perijsse aliquot milia feruntur, seruati complurimi infantes misericordia bonorum ciuium, baptismi gratiam acceperunt. Calamitosum genus hominum Iudæi, inter Christianos agentes, qui ubi paululum abundare credunt, mox tanq; Iesu Christi dei nostri maiestatem contempserint, aut religioni illuserint, nõ fortunas tantũ, sed uitam quoq; amittunt. Impune apud Pragenses flagitiũ fuit, tum quia populi haud facile corrigunt scelera, tum quia Venceslaus desidia corruptus, præsenti rerum statu contentus, neque præterita corrigere, neq; futura curauit præcauere. Fuit enim Venceslaus longe patri absimilis, uoluptatum sequax, ac laboris refugiens, uini prorsus quàm regni curiosior. Ob quam rem captus à baronibus, xvij. hebdomadas in custodia habitus est. Ioannes dux Lusaciæ, & Procopius Marchio Morauiæ magno Reipub. malo, eum libertati reddiderunt. Captus & secundo per Sigismundum Hungariæ regem, fratrem suum, & Alberto Austriæ duci in custodiam datus. Custodia eius in egregijs ædibus apud Viennam habita, quibus exinde cognomen Praga datum, quod eas rex Pragensium incoluisset. Sed quum parum diligenter custodiret, fugam arripuit, regnoq; rursus potitus est: neq; tamen uitam mutauit, sed priori cõsuetudine uino ciboq; marcens, lucemq; dormiendo nocti coniungens, ab electoribus imperij comprobante Romano pontifice imperio deiectus, domi torpens illaudatum egit æuum.

Iudæorum clades

Venceslai ignauia

De perfida secta Hussitarum, & damnatis articulis professionis illius. Caput XXXV.

SVb hoc rege, nostra demum memoria, ætatis uero suæ anno circiter quinquagesimo, perfida Hussitarum insania ortum habuit: cuius & originem, & progressum hoc loco prosequi animus est, quando ea pestis omnem penè Germaniam conturbauit, neq; adhuc extincta, regni Bohemici magnã partem occupat. Rexerant scholam Pragensem usq; in ea tempora Teuthones. Id molestissimũ Bohemis fuit, hominibus natura ferocibus atq; indomitis. Ex quibus uir quidam genere nobilis, ex domo quam Putridi piscis uocant, apud

apud Oxoniam Angliæ ciuitatem literis ſtudens, quum Ioannis Vuicleui libros offendiſſet, quibus De realibus uniuerſalibus, titulus inſcribitur, magnopere illis oblectatus, exemplaria ſecũ attulit. Inter quæ de ciuili, deq; iure diuino, de eccleſia, de diuerſis quęſtionibus, contra clerum pleraq; uolumina uelu ti precioſum theſaurum patriæ ſuæ intulit. Imbutus iam ipſe Vuicleuitarum ueneno, & ad nocendum paratus, tum quod erat familiæ ſuæ cognomen, putridum piſcem, id eſt, fœtidum uirus in ciues ſuos euomuit. Commodauit autem ſcripta quæ attulerat his potiſſime, qui Teutonicorum odio tenebantur: inter quos Ioannes eminuit, obſcuro loco natus, ex uilla Hus, quod anſerem ſignificat, cognomentũ mutuatus. Hic quum eſſet ingenio peracri, & lingua diſerta, multũq; dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, auide admodum Vuicleuitarum doctrinam arripuit, eaq; Teutonicos uexare magiſtros cœpit, ſperans eo modo confuſos Teutones ſcholam relicturos. Quod quum ſuccederet, à Vuenceſlao impetratum, ut Pragenſe gymnaſium ritu Pariſienſis gubernaretur. Ea res magiſtratum ſcholæ Teutonibus abſtulit. Quam ob cauſam commoti magiſtri ac diſcipuli Teutonici generis, iureiurando adacti, uno die ſupra duo milia Pragam reliquere: nec diu pòſt circiter tria milia ſequuti, apud Lipſicam Miſnæ ciuitatem, trium dierum itinere à Praga diſtantem, uniuerſale ſtudium erexere. Bohemis ſcholæ ſuæ gubernatio libere patuit, quorum princeps eſt habitus Ioannes Huſs, lingua potens, & mundioris uitæ opinione clarus. Qui ubi ſatis fidei comparatum ſibi exiſtimauit, uenenum quod iam pridem occulte conceperat, palàm euomuit. Fundauerat opulentus quidam ciuis in urbe Pragenſi ſub nomine ſanctorum Matthię & Matthæi haud ignobile templum, quod Bethleem appellauit, redditibus additis, ex quibus duo prædicatores alerentur, qui feſtis profeſtis'que diebus uerbum dei Bohemico ſermone plebibus inſinuarent. Horum alter Ioannes aſſumptus eſt. Qui quum ſe libenter audiri animaduerteret, multa de libris Ioannis Vuicleui in medium attulit, aſſerens in eis omnem ueritatem cõtineri, adijciensq; crebro inter prædicandum, ſe poſtquam ex hac luce migraret, in ea loca proficiſci cupere, ad quæ Vuicleui anima perueniſſet, quem uirum fuiſſe bonum, ſanctum, cœloq; dignum nõ dubitaret. Sequebantur Ioannem clerici fere omnes, ære alieno grauati, ſceleribus ac ſeditionibus inſignes, qui rerum nouitate euadere pœnas arbitrabantur. His & nõnulli doctrina celebres iuncti erant, qui quum in eccleſia conſequi dignitatem non potuiſſent, iniquo animo ferebant, ſacerdotia maiorum cenſuum his committi, qui quamuis nobilitate præirent, ſcientia tamen uiderentur inferiores. Excæcauit eos inuidia, ut qui uiderant nõ uiderent, & qui intellexerãt, non intelligerent. Proruperunt in blaſphemias, & quũ aliquibus ignauis fortaſſe ac uitioſis maledicere poſſent, in omnes latrare ſacerdotes cœpere: & ab eccleſia catholica recedentes, impiam Valdenſium ſectam atq; inſaniam am

Io. Hus

Caute

plexi sunt. Huius pestiferæ, ac iãpridem damnatæ factionis dogmata sunt: Ro. præsulem reliquis episcopis parem esse. Inter sacerdotes nullum discrimen. Presbyterũ non dignitatẽ, sed uitæ meritum efficere potiorẽ. Animas è corporibus excedentes, aut in ęternas e uestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inueniri. Vanum esse orare pro mortuis, & auaritiæ sacerdotalis inuentum. Dei & sanctorum imagines delendas. Aquarũ palmarumq; benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos dæmones inuenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna. Liberam cuiq; prædicationem uerbi dei patere. Nullum capitale peccatum, quantumuis maioris mali uitandi gratia tolerandũ. Qui mortalis culpæ reus sit, eum neq; seculari, neq; ecclesiastica dignitate potiri, neq; parendum ei. Confirmationẽ, quã chrismate pontifices inducunt, & extremã unctionẽ inter ecclesiæ sacramẽta minime contineri. Auricularẽ confessionem nugacem esse: sufficere sua quemq; deo in cubili suo confiteri peccata. Baptisma fluuialis undæ, nulla interiecta sacri olei mixtura recipiendũ. Cœmiteriorum inanem usum, quæstus causa repertum: quacunq; tegantur tellure humana corpora, nil distare. Templum dei late patentis ipsum mundum esse: coarctare maiestatem eius, qui ecclesias, monasteria, oratoriaq; cõstruunt, tanquam propitior in eis diuina bonitas inueniatur. Sacerdotales uestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, uasaq; huiusmodi nil habere momenti. Sacerdotem quocunq; loco, quocunq; tempore sacrũ Christi corpus conficere posse, petentibusq; ministrare: sufficere si uerba sacramentalia tantum dicat. Suffragia sanctorum in cœlis cum Christo regnantium frustra impetrari, quæ iuuare non possunt. In canonicis horis cantandis dicendisq; frustra tempus teri. Nulla die ab opere cessandum, nisi quæ dominica nũc appellatur. Celebritates sanctorũ prorsus reijciendas. Ieiunijs quoq; ab ecclesia institutis, nihil inesse meriti. Subinco, cognomine Lepus, claris parẽtibus apud Bohemos ortus, per idẽ tẽpus Pragẽ. ecclesiã põtificio retinebat, cõsilio & animo illustris. Qui orienti calamitati obuiã ire cupiẽs, priusq; amplius debaccharet, libros Io. Vuicleui ad se ferri, omnesq; doctorũ uirorum consilio adhibito publice cõcremari iussit. Supra CC uolumina fuisse tradunt, pulcherrime conscripta, bullis aureis tegumentisq; preciosis ornata. Ioanni prædicatio interdicta, & adiectæ minæ, si quãdo priores in populũ errores uulgare auderet. Ipse Praga excedens, apud uillam unde sibi origo fuit ac cognomen, pmittente loci domino, qui eius insaniæ fauebat, uocare plebes, ac docere non destitit: multa in Rom. præsulem, multa in reliquos ecclesiæ pontifices maledicta congerens. Vtq; populi animos sibi magis ac magis cõciliaret, decimas haud aliter quàm eleemosynas sacerdotibus debitas, liberum esse prædia possidentibus, si uelint eas dare: si nolint, nullo iure cogi posse. Nondum error de sacramento altaris irrepserat, sed attulit nouam pestem Petrus Dresensis (id oppidum Misnæ super Albim situm) qui

Hußitarum dogmata

Subinco

Error de sacramento altaris

qui cũm alijs Teutonibus paulo ante Bohemiam reliquerat. Cognitus inter suos, quia Valdensi lepra infectus esset, patria pulsus uelut hæreticorum asylum Pragam repetijt, puerorumq́ꝫ docendorum curam accepit. Apud ecclesiam sancti Michaëlis per id temporis populum prædicando instruebat Iacobellus Misnensis, literarum doctrina & morum pręstantia iuxtà clarus. Petrus hunc aggressus, mirari se ait doctum & sanctum uirum, qui diuina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animaduertisse cõmunionis eucharistiæ, qui iam pridem ecclesiam pessundasset, in qua sub una tantũ specie dominicũ corpus populo ministraretur, quũ apud Ioannẽ euangelistam & apostolum Christo dilectissimum, sub duplici specie, panis uiniq́ꝫ sumi iubeatur, dicente apud eum saluatore: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis uitam in uobis. Commotus his Iacobellus, quum perquisitis uetustis sanctorum doctorum codicibus, Dionysij præsertim & Cypriani, communionem calicis laudatam inuenisset, prohibitus apud sacellum archangeli Michaëlis prædicare, in tẽplo maiore sancti Martini cathedram sortitus, publice commouere populum cœpit, ne deinceps cõmunionem calicis, sine qua saluari nemo posset, quoquo pacto negligerent. Huic omnes hæretici consenserunt, haud modica gestientes lætitia, quod articulum inuenissent in euangelica lege fundatum, per quem Romanæ sedis uel ignorantia, uel nequitia coargui posset. Odioso quãuis hæc animo rex intelligeret, desidia tamen corruptus, & inertia torpens, impune debacchari sinebat hæreticos. Subinco archiepiscopus ubi nullum aduersus tantum emergens malum in Venceslao præsidium inuenit, ad Sigismundũ Hungariæ regem confugit, obsecrans atque obtestans, ut negligentiam fratris emendet, neq́ꝫ labefactari orthodoxæ fidei sacramenta permittat. Dat fidem Sigismundus, petiturum se breui Bohemiam, ecclesiæ catholicæ consulturum. Sed quum dies die ducitur, Subinco apud † Postinium in Hungaria moritur, & Albicus ei sufficitur, natione Bohemus, arte medicus, & Sigismundo propterea charus, unicum extremæ auaritiæ barathrum. Qui claues cellæ uinariæ nulli alteri quàm sibijpsi credidit, & animalia uiuentia dono accepta mox uendidit. Et quia sumptuosos esse coquos didicerat, abiectam anum popinæ suæ præfecit. Interrogatus aliquando, sonorum omnium quem molestius audiret: Maxillarum, inquit, ossa frangentium. Idoneus profecto pontifex, qui surgenti fomentum hæresi daret. Infestabat ea tempestate Romanã ecclesiam Ladislaus rex Neapolitanus, aduersus quem Ioannes papa tertius & uicesimus bellum decernens, plenariam peccatorũm remissionem indulsit his, qui ad tuendam ecclesiã arma induerent. Recitabatur in ecclesia Pragensi decretũ pontificis. Quod quum quidam sordidæ artis homines audissent, Ioannem papam antichristum esse magna uoce clamauerunt, qui crucem cõtra Christianos decerneret. Eos e uestigio senatus in carcerem rapi iussit: po-

[Margin: Petrus Dresensis]
[Margin: Subinco]
[Margin: al's Posonium]
[Margin: Albici sordes]

pulus uero susceptis armis dimitti omnes petijt. Sed placatus oratione senatus, tanquam uita captiuorum in tuto esset, suam quisque domum redire: de illis clàm supplicium sumptum. At quum sanguis extra prætorij ianuam defluens indicium necis fecisset, iterum accurrens populus interemptorum corpora rapuit, & aureo circumuoluta panno per omnes urbis ecclesias detulit, clamantibus eiusdem sectæ sacerdotibus: Isti sunt sancti, qui pro testamento dei sua corpora tradiderunt. Exin cadauera in sacrario apud Bethleem reposita, quasi martyrum reliquiæ aromatibus condita.

De Ioanne Hus & Hieronymo hæresiarchis, in Constantiensi concilio igni traditis. Cap. XXXVI.

DVm hæc aguntur, generale concilium apud Constantiam Sueuorum urbem cogitur. In quo de rebus Bohemicis sermo habitus, patrũ mentes ingenti cura confecit, uoluentium animo quonam modo sanari prouincia posset. Placuitque tandem, Sigismundo imperatore suadente, Ioannẽ & Hieronymũ ad synodum euocari, qui tum cæteris eiusdem regni doctiores, tum populi ductores, ac hæresum principes habebant. Venerunt ambo, non tam uerecunde aliena discere, quàm sua impudenter ingerere parati: docẽdi quippe quàm discendi cupidiores, & popularis amantes auræ. Auditi sunt in consessu patrum. Ioannes ætate & autoritate maior habitus, doctrina ac facundia superior Hieronymus. Lecti ex omni natione patres, diuini atque humani iuris doctores: sæpe cum his colloquium habuere: dogmata eorum à lege diuina aliena esse monstrarunt, neque bonis conducere moribus. Rogauerunt ne plus sapere quàm ecclesia uellent, sed saperent ad sobrietatem: peregrinas opiniones relinquerent: ingenia sua, quæ quidem essent nobilissima, Vuicleuitarum insania ne fœdarent: eloquentiã qua præditi essent, in corroborandis ecclesiæ institutis, non euertendis: in edocendis populis, non dedocendis exercerent: posse eos & in conspectu dei, & in ecclesia militante sublimẽ consequi locum, si reiectis nouitatibus patrũ uestigia sequerentur, inuentionesque suas uniuersali concilio submitterent. Stetere in proposito pertinaces Bohemorum animi, neque uicti rationibus uinci uoluere. Se ueraces, se sancti euangelij æmulatores, se Christi discipulos esse: Romanã ecclesiam, cæterasque per orbem dispersas, longe à traditionibus apostolorum abijsse, quæ opes ac delitias sectarentur, dominatũ in populo, & primos in conuiuijs accubitus exquirerent, canes, equos alerent, ecclesiarum bona, quæ Christi pauperibus deberentur, per lasciuiã luxumque consumerent: aut nescire prorsus diuina mandata, aut scientes contemnere. Primores magnæ synodi, ubi pertinaciam & immutabiles animos perditorum hominum animaduerterunt, membra ecclesiæ putrida, quæ sanari non poterant, ne reliquum corpus inficerent, resecanda censuerunt. Lata est in consessu patrum aduersus contumaces sententia: Cremandos esse qui doctrinã ecclesiæ respuerent. Prior igitur Ioannes

combustus

combūſtus eſt,Hieronymus diu poſtea in uinculis habitus,quum reſipiſcere nollet, pari ſupplicio affectus. Pertulerunt ambo conſtanti animo necem, & quaſi ad epulas inuitati ad incendium properarunt, nullam emittentes uocē quæ miſeri animi poſſet facere indicium. Vbi ardere cœperūt,hymnū cecinere,quem uix flamma & fragor ignis intercipere potuit.Nemo philoſophorū tam forti animo mortem pertuliſſe traditur,quàm iſti incendiū. Pogius Florentinus,ætatis noſtræ nobilis ſcriptor,de morte Hieronymi ad Nicolaū Nicolai conciuem ſuum elegantē ſcripſit epiſtolam:quamuis paululum ſua conſuetudine in mores cleri inuectus uideatur. Cineres exuſtorū ne raperentur à Bohemis in lacū proiecti. Diſcipuli eorum ex eo ſolo terram abſtulere in quo ignis fuit,eamq́ue ueluti ſacram ſecum attulere in patriā. Ioannes ac Hieronymus apud Bohemos martyrū honores meruere,nec minores quàm Petrus ac Paulus apud Romanos habiti. Nunciatis enim in Bohemia quæ Cōſtantiæ geſta fuerunt de Ioanne ac Hieronymo , diſcipuli eorum ſequaceſq́ue omnes in unum conuenientes, memoriam in primis defunctorū conſecrant, celebrandamq́ue quotannis decernunt. Exin per amicos nonnullas ſibi eccleſias à rege tradi extorquent,in queis ſuæ prædicare plebi, ſacramentaq́ue miniſtrare libere poſſint. Neq́ue hoc modo contenti, apud † Sclauoniam nobile monaſterium fratrum Prædicatorū extra mœnia oppidi ſitum, à fundamentis deijciunt: eaq́ue prima eccleſiarū ruina in Huſſitarū nouitate facta: decurritur in eccleſias monaſteriaq́ue paſſim: nobiliſſima ſuperis dicata templa ferro atq́ue igne uaſtantur. Nullum ego regnum ætate noſtra in tota Europa tam frequentibus,tam auguſtis,tam ornatis templis ditatum fuiſſe quàm Bohemicum reor. Templa in cœlum erecta,longitudine atq́ue amplitudine mirabili,fornicibus tegebant lapideis,altaria in ſublimi poſita,auro & argento quo ſanctorum reliquiæ tegebantur onuſta,ſacerdotū ueſtes margaritis textæ, ornatus omnis diues,precioſiſſima ſupellex : feneſtræ altæ atq́ue ampliſſimæ cōſpicuo uitro & admirabili opere lucem præbebant. Neq́ue hæc tantū in oppidis atq́ue urbibus,ſed in uillis quoq́ue admirari licebat. Fuit inter cætera monaſterium aulæ regiæ apud ripam Multauiæ,quà Moſa fluuius illi iungitur,ſitum,in quo regum corpora condebantur,ſingularis excellentiæ: nam præter ædem,magni & memorabilis operis amplum dormitoriū,cæteraſq́ue monachorū officinas magnifice conſtructas,quadrata porticus fuit,quæ nō paruū cōcluſit hortum, ambitū uocauere. In huius lateribus uetus nouumq́ue teſtamentū ab initio Geneſis uſq́ue ad Apocalypſim Ioannis literis maiuſculis in tabulis ſcriptum continebatur,notis quo altius iret paulatim creſcentibus,ita ut à ſummo uſq́ue deorſum facilis lectio præberet. Sed hoc decus poſt Vuenceſlai mortem Huſſitarum rabies deleuit.Qui poſtq́ue eccleſias quāplurimas deiecerunt,monaſteria incenderūt,caſtellum petentes cui Bechingne nomen eſt,octauo ferè miliario ab oppido quod nunc Thabor appellāt,triginta cir-

† als Glacouiā

citer milia hominum conuenere, atq; ibi trecentas mensas in patentibus campis erexere, ex quibus populo sacramentum calicis ministrarunt. Terruit ea congregatio Vuenceslaum, uerentem ne tumultu facto in se arma conuerterent, regnumq; sibi adimerent. Nec sua res periculo caruit. Vuenceslaus ei saluti fuit cognomento Coranda singulari facundia presbyter, & in plebibus auditus. Qui dum populum de rep. admoneret, inter cætera quæ loquutus est, Quanq;, inquit, uiri fratres, ebriosum atque inertem sortiti regem sumus, si tamen cæteros expendere principes pergimus, nemo est quem nostro regi anteferamus, quem recte omnium regum specimen dixerim, quietum, benignũ, nostri amantem: nam quis eo regnante nos lacessere audet? licet nobis ex uoto uiuere nostro. Si non est eadem sibi quæ nobis de religione sentẽtia, ritũ nostrũ neq; ipse perturbat, neq; alios perturbare sinit. Quibus ex rebus par esse arbitror preces pro eo ad deum fundamus, utq; singuli ei uitam rogemus, cuius desidia, nostra salus, nostra quies est. Quod quum ab exploratoribus rex cognouisset, quieto animo fuit, & factus ex tepido frigidus, Corandam inter amicos habuit. Per idem fermè tempus surrexit & alius pseudosacerdos apud Pragam, Ioannes quidam ex ordine Præmonstratensium impius monachus, & ad omne scelus audax: qui quum prædicaret apud sanctum Stephanum in Piscina, neq; bene sapere uideretur, inde amotus monasterium Carmelitarum inuasit. Hoc suasere hæretici, ut suam potentiã ostentarent. Singulis fermè diebus sacram eucharistiam per suas ecclesias circũuectabãt: quas quum paucas esse dicerent, ductore Nicolao uiro nobili eius loci domino, unde Io. Hus originẽ trahere diximus, in regiã tumultuarie prorũpentes, Vuenceslaũ orauere, sibi ut ampliores ecclesias elargiretur, qui iam populi maiorẽ partem obtinerent. Audiuit rex benigne Nicolaum pro multitudine loquentem, utq; in posterum diem redirent iussit. Deinde misso populo, ad Nicolaum qui remanserat conuersus, Tu, inquit, qua me regno eijceres orditus es telam: at ego laqueũ inde efficiam quo te postea strangulem. Ille è regis conspectu abiens, populares magis ac magis incendit. Rex in arcem Vissegradensem urbi uicinã, paruoq; tantum fluuio disiunctam, sese recepit, & paulo post in castellum nouũ quod ipse construxerat, quinto distans lapide, cum paucis abijt, missis ad fratrem oratoribus, qui eius auxilium implorarent. Consulibus autem nouæ ciuitatis Pragensis, ne ulterius ab hæreticis dominicum corpus in pompa deferri sinerent, imperauit.

Corandæ oratio

Io. Præmonstratensis

De morte Vuenceslai regis. Cap. XXXVII.

AT hæretici pridie Cal. Iulij apud ecclesiam Carmelitarũ conuenientes, ad ædem sancti Stephani eucharistiã per plurimas plateas atq; ecclesias armati circumtulere, ibiq; domum sacerdotis suis ineptijs nõ consentientis diripuere: & sublato clamore ingenti, furentes prætoriũ petiere. Consules XI metu perculsi fuga saluati sunt: septẽ qui remanserãt, & cum his iudex urbis, atq; alij nõnulli ciues raptim intercepti, ex altissimis fenestris in forũ præ

cipitati,

cipitati,lanceis ac uerubus irati populi excepti,dirũ ſpectaculũ dilaniati præbuere,ſtante in foro Ioanne monacho,& ſacrum Chriſti corpus ſanguinario populo oſtentante.Camerarius regni,qui cũ treeentis equitibus ad ſedandũ tumultũ accurrerat,ubi furentem plebem animaduertit, de ſua uita ſolicitus, fuga ſibi conſuluit. Ea quum regi nunciarentur, cunctiq; circumſtantes atto niti facinus deteſtarent,At ego,inquit pincerna,futura hæc præſcierã.Quem rex indignatus correptum repente ante pedes ſuos proſtrauit,& arrepto pu gione conatus eſt interficere. Sed impeditus à circũſtantibus, ægre illi uitam dimiſit:nec mora,paralyſi correptus ægrotare cœpit,atq; infra XVIII dies ſi gnatis nominibus hæreticorũ,quos neci deſtinauerat,fratrẽ aſſidue uocitans & amicorũ auxilia anxius expectãs,ante uita exceſſit quàm uocati principes adeſſent,quũ regnaſſet annis LV.uixiſſet duobus amplius.Conſueuerũt cor pora regũ apud Bohemos priuſq; ſepelirent octo diebus aromatibus cõdita per ſacraria urbis circũferri plangiq;, & ſequentibus amicis ac Baronibus conclamari. Hoc in Vuenceſlao neglectũ, non audente regina nouã ingredi ciuitatẽ.Delatũ eſt cadauer ad eccleſiã S.Viti in arce,& inde ad aulam regiã, de qua paulo ante meminimus, ibiq; conditũ in ſepulchro quod ipſe ſibi delegerat.Sed poſtea quum monaſteriũ ipſum ab hæreticis diriperet, & ſepulchra regũ effringerent,cadaueraq; abijcerent,piſciculos quiſpiã cognomine Muſca,Vuenceſlao uẽdere ſolitus, regis quẽ amauerat corpus clàm collegit, & in loculo apud ſe domi condidit.Interiecto deinde tẽpore,rebus in meliorem formã redactis,quũ Vuenceſlai corpus inquireret,acceptis XX aureis illud reddidit,tumq; circũgeſtatio ex more facta,& iuſtũ regi funus exhibitũ.

Venceslai mors

De Ioanne Ziſcha,hæreticorum Huſſitarum capitaneo,in armis ſtrenuiſſimo ac uictorioſiſſimo. Cap. XXXVIII.

RECens obierat Vuenceſlaus,quum Io.Ziſcha nobilis genere,ex loco cui Troſnouia nomen, cenſu tenui, in curia regis à puero enutritus, & bellis exercitatus, uno carens oculo, quem ſtrenue pugnans iampridem amiſerat, infectus Huſſitarum ueneno,& rapinarum auidus, collecta perditorũ hominum multitudine,in eccleſias quæ reſtabant impetũ fecit,ſimulachra ſanctorum & imagines magni dei perfregit: monaſterium Carthuſienſium Pragæ uicinum inuaſit,& direptum incendit: monachos eius ordinis tanquã populo inutiles,qui ueluti ſues in clauſtro ſaginarentur,migrare aliò iuſſit. Venere per idem tempus ex montibus Pragam CCCC circiter uiri cum mulieribus lepra Huſſitarum infecti, atque in foro ſedentes, cibum ex magiſtratibus petiere. Conſulatus metu plebis, quæ aduenarum miſerabatur, cibaria eis publicitus miniſtrauit. Ziſcha hos ſibi adiunxit, & arcem Viſſegradenſem, quæ negligenter cuſtodiebatur, inuadere cupiens, ad locum quem Cruces appellant, profectus eſt. Ibi ſupra quadraginta milia uirorum ex hæreticis conuenere. Qui ſuam multitudinem conſpicati, animum ad omne facinus audacem ſumpſere. Multa ibi aduerſus Sigiſmundum Cæſarem, quem

regni hæredem suis conatibus infensum norant, excogitata atque decreta. Exin Zischa, duce Coranda, de quo supra meminimus, Pelzinam, ubi com plures esse suæ factionis amicos non ignorabat, raptim contendit, eamq; ur bem in potestatē receptam ualido præsidio muniјt: qui apud Cruces reman serant, arcem Vissegradensem inuasere. Sophia interim anxia quo se pacto tuere͞t, crebris nuncijs ac literis Sigismundum uocare, uicinorũ auxilia petere atq; in oẽs partes mentẽ dirigere. Sigismundũ malo usum cõsilio, in Turcas, qui se iam pridẽ castris exuerant, arma prius mouere quàm Bohemiã petere libido incessit. Quod si mox exercitũ Pragam duxisset, anteq̃ uires hæretico rũ cõcaluissent, nunq̃ ea incẽdia quæ postea uidimus, Germaniã exussissent. At dum ille Turcas lacessere parat, Bohemiã amisit, & Hungariã non defen dit. Ea propter quũ serum esset eius auxiliũ, regina cũ Cenchone Vuartenber gensi regnũ gubernans, ex thesauro regio copias cõparauit: arcẽ Pragensem & minorẽ ciuitatem quæ arci adiacet, præsidio firmauit: ponti Multauiæ, ne trãsitus illàc esset hæreticis, ligneas turres ac ianuas adiecit. At illi passim per regnũ conuentus agitare, sollicitare populos, hos minis terrere, illos blandi/ cijs allicere, implere nouam ciuitatẽ suis hominibus, dies noctesq; consultare quibus modis summam sibi rerum acquirerent. Cum quibus Petrus Sterem bergius apud insulam Benedicti confligens, æquo Marte prælium diremit. In Praga aucta hæreticorũ colluuie, pro ponte pugnatũ, multisq; utrinq; ca dẽtibus, pons deniq; in potestatẽ Hussitarũ factus, & pars decliuior Pragæ minoris: fideles in altiorẽ sese partem receperunt, atq; inde conuersi acribus animis instaurauere certamen. Pugnatũ est die noctuq; cõtinuis quinq; die/ bus, sæuissimis ac crudelibus ausibus: multi utrinque cæsi, magnificæ domus exustæ, prætorium infimo loco situm, incensum atq; deletum.

De Sigismundo Bohemorũ rege XIII. & Ro. Imp. Cap. XXXIX.

QVum hic esset rerũ status, legati Sigismundi superuenere, qui regni gu bernationẽ accipientes, cum ciuitate Pragensi ea lege inducias fecere, ut arce Vissegradensi reddita, liceret ciuibus ad Sigismundũ oratores mittere, deq; re sua cum eo transigere. Zischa Pelzinam, Piestam, & alia quæ occupa uerat loca restitueret. Conditionibus acceptis atq; completis, externi hæretici urbem reliquere: cõsulatus ex prisco more gubernationẽ inijt, quietior reddi/ ta ciuitas: nõ tamen catholici qui excesserant, redire ausi. Expectabant enim Sigismundi aduentũ, cuius præsentia sese tutos fore arbitrabant͞. Sed interru perũt spem omnẽ literæ ab eo missæ, in quibus scriptũ erat, ipsum breui uẽtu rũ, regnũq; eo modo gubernaturũ, quo pater Carolus ꝓuinciã gubernasset. Quibus ex uerbis intellexerũt hæretici sectã suã exclusum iri, quæ regnante Carolo nondũ ortũ habuisset: proinde magis ac magis indignari. Sigismun dus aũt ad festum natiuitatis dominicę Brunnã, quod est Morauiæ oppidũ, petijt. Ibiq; Pragensibus ueniam petẽtibus ea lege pepercit, ut catenas & re/

pagula

pagula tota ex urbe deponerent, suosq; magistratus acciperet. Paruit attoni ta ciuitas, quum primores regni eleuatis in cœlum manibus aduentum noui regis gratulabundi exposcerent, eiusq; rectores sine controuersia reliquæ ur/ bes admitterent. Nec dubium uidebatur quin tota Bohemia Hussitarum la bes excessisset, si ex Brunna Sigismundus rectà se Pragam contulisset. Sed diuertit ille, ut fortasse in fatis erat, Vratislauiamq; Slesię caput accessit. Quo in loco populus urbanus non diu antea consulatum à Vuenceslao fratre suo constitutum per seditionem obtruncauerat, cuius sceleris autores securi per/ cussit. Quod ubi Pragæ renunciatũ est, diffisi de uenia ciues, exemplum Vra tislauiensium ueriti, manifestò desciuerũt, & allecto præmijs Cenchone, qui arci Pragensi præerat, in totum regnum literas dedere, ne quispiã Sigismun/ do aditum præberet, qui Dalmaticæ linguæ hostis esset, nec alia cura tenere tur, quàm regni perdendi, qui †antiquã Prutenorũ ciuitatẽ ordini iure pigno ris obligasset, Brandenburgẽsem autẽ à corona Bohemica alienasset, Ioannẽ ac Hieronymũ in Constantiensi cõcilio cremari nõ solum pmisisset, uerũetiã pcurasset: dogmata fidei quæ ipsi sequerent, totis conatibus impugnaret.

Scrib... [handwritten margin note]

al's, Marchiã nouam Prutenorum &c.

De ciuitate Thabor & extructione eius, fratribusq; Thaboritis. XL.

ZIscha dum hæc aguntur, relicta ex fœdere Pelzina, bis à fidelibus inua sus, bis uersutijs usus, ex penè uicto uictor euasit. Erant aspera loca, in quibus pugnare oportuit, hostes in equis, milites sui omnes pedites: nec certa men committi nisi pedestre potuit. Vt ergo desiliere ab equis aduersarij, mu lieres quæ de more suum exercitum sequebantur, proijcere pepla in terrã ius sit: quibus implicati per calcaria equites, prius extincti sunt quàm pedes ex/ pedire ualerent. Ipse deinde Auscam petijt, oppidum ad Lusinitium amnẽ in ripa situm, ex quo Procopius & Vlricus fratres, ueræ fidei cultores, eiusq; loci domini, non paruam populi partem eiecerant cum hæreticis sentientem. Id Zischa prima Quadragesimæ nocte aggressus armis expugnauit, diri/ puit, incendit. Sed & Litium castellum, ab eo loco mille passuũ distans, quò se Vlricus receperat, ui cepit: Vlricũ familiamq; suam gladio occidit, uni tan/ tum uita retenta, qui reliquos obtruncaret. Quumq; ciuitatem quam inco/ leret, muro cinctam non haberet, locum natura munitum ad eundem am/ nem elegit, uix octo stadijs ab Ausca separatum. Hunc mœnibus cinxit, & ut quisque tentoria fixerat, ita ædificare sibi domos imperauit, ciuitati Tha/ bor indidit nomen: nam & comites eius, fratres Thaboritæ appellabantur, tanquam cum tribus apostolis saluatoris Christi transfigurationem inmon te uidissent, indeq; suas opiniones mutuati essent, quas fidei ueritates appel lant. Ciuitas quamuis altis defensa rupibus, muro tamen & antemurali cin/ cta est. Lusinitius amnis maiorem urbis partem alluit: quod reliquum, tor/ rens non modicus ambit. Qui quũ rectà in Lusinitiũ tenderet, saxeo colle im peditus quàm longa est ciuitas flectere ad dexterã iter coactus, in fine urbis

Stratagema

Ausca [handwritten]

Thabor

maiori

maiori fluuio miſcetur. Spatium quo per terram acceditur (nam peninſulam duo amnes efficiunt) uix pedes XXX protenditur. Hic foſſa profunda manu facta & triplex murus ea craſſitudine, quæ nullis effringi machinis queat. Turres in mœnibus crebrę, & propugnacula quæ ipſi Thaboritę, expugnandarum urbium magiſtri, excogitauerunt, locis opportunis conſtructa. Hic refugium omnium hæreticorum, arcemq́ꝫ Ziſcha primus erexit: qui eum ſequuti ſunt, pro ſuo quiſq́ꝫ ingenio munimenta urbis auxerunt. Nos qualem uidimus ciuitatem deſcripſimus. In amne Luſinicio auri grana reperiuntur, ciceris æquantia magnitudinem, quæ nullo egent purgamento. Nondum equites apud Thaboritas militauerant, quum eſſent omnes fermè infimæ plebis homines, & qui non tam nouam fidem ſequuti, quàm iudicia & carceres fugiſſe uidebantur. Nicolaus magiſter monetæ, quem Sigiſmundus ad res curandas in Bohemiam miſerat, primus omnium equorum copiam Thaboritis fecit, qui cum mille equitibus in uico cui Vogize nomen eſt, nouis Ziſchæ motibus occurſurus conſederat. In hunc nocte ipſa paraſceues Ziſcha ex improuiſo prorumpens, omnes illi equos ademit, arma ſurripuit: uicum incendit: milites ſuos equos aſcendere, ſaltare, currere, flectere in girum docuit, neq́ꝫ poſthac abſq́ꝫ alis equitum copias duxit. Nicolaus in arce ſaluatus eſt.

De Adamitis hæreticis. Cap. XLI.

Pichardus

INter hæc & alia apud Bohemos nefanda & inaudita prius emerſit hæreſis. Pichardus quidam ex Gallia Belgica, tranſmiſſo Rheno per Germaniam in Bohemiã penetrauit, qui prӕſtigijs quibuſdam fidem ſibi concilians breui tempore non paruam mulierum uirorumq́ꝫ plebem ad ſe traxit, quos nudos incedere iubens, Adamitas uocauit: & occupata inſula quadam, amne Luſinicio cincta, filium dei ſe dixit, & Adam uocari. Connubia eis promiſcua fuere: nefas tamen iniuſſu Adam mulierem cognoſcere. Sed ut quiſq́ꝫ libidine incenſus in aliquam exarſit, eam manu prehendit, & adiens principem: in hanc, inquit, ſpiritus meus concaluit. Cui princeps: Ite, reſpondit, creſcite & multiplicamini, & replete terrã. Aiebat quoq́ꝫ cæteros homines ſeruos eſſe, ſe uero, & qui ex eis naſcerent̃ liberos. Ex ijs quadraginta uiri inſulam exiere, & intrantes uicinas uillas, euaginatis gladijs ſuper ducentos agreſtes interfecere, quos diaboli filios aſſerebant. Ziſcha ijs auditis, quamuis ſceleratus, ſcelus tamen exhorruit: habet enim hoc natura hominũ, ut aliena magis quàm ſua quiſq́ꝫ uitia perhorreſcat: neq́ꝫ ſumma mala diu inulta manent: ultoremq́ꝫ mali ſæpe malum cernere licet. Duxit igitur in eos exercitum, expugnataq́ꝫ inſula Adamitas omnes gladio deleuit, duobus tantũ reſeruatis, ex queis gentis ſuperſtitionem cognoſceret. Audiui ego ex Vlrico Roſenſi præſtanti regulo quũ agerẽ in Bohemia, fuiſſe apud ſe uiros & mulieres eius ſectæ captiuos, & mulieres quidẽ palàm dixiſſe, nõ eſſe liberos qui ueſtibus, & prӕſertim femoralibus uterent̃, easq́ꝫ in carcere apud ſe pepiſſe: quas quũ anno elapſo ſimul

ſimul cũ uiris igni tradidiſſet,ridẽtes cantãteſq; flammarũ incendia ꝑtuliſſe.

Quomodo Sigiſmundus Bohemiam ingreſſus coronam regni accepe rit,minuſq; feliciter pugnauerit. Cap. XLII.

SIgiſmundus interea cõuocatis Sleſię ducibus,ingreſſus Bohemiam, Greciũ, exinde Cuthnã infeſto exercitu petit. Cenchonẽ ut arcẽ Pragenſem ſibi reddat magnis ſponſionibus allicit:equitum quatuor milia qui urbem laceſſant ibidem collocat. Cencho bina proditione inſignis domũ reuertitur. Pragenſes Ziſcham acceſſunt,qui cum Thaboritis nihil moratus,urbem accepit in poteſtatẽ. Duo tantũ ex Baronibus,Hilco Cruſſina Lituburgenſis, & Hilco Valdeſtenenſis,ac pauci nobiles,Pragenſium ſigna ſequebant̃: reliqua multitudo ex plebe collecta.His primũ ſtudium fuit arcem ꝑpugnare: locus ipſe natura munitus,nõ aliter quàm fame uinci poſſe apparebat.Clauſi aditus, ne quid cõmeatus importaret̃. Sigiſmundus ferro iter aperuit, obſeſſiſq; neceſſaria præbuit:nec diu poſtea ciuitatẽ ipſam,accerſitis ex imperio auxilijs, obſidere decreuit. Fuerunt in caſtris eius Saxoniæ duces, Marchioneſq; Brandenburgeñ.& gener eius Albertus Auſtrię princeps. Oppugnata eſt ciuitas ſex hebdomadibus. Ipſe uero Sigiſmũdus in ęde metropolitica quæ in arce ſita eſt,regni coronam accepit.Conradus natione Vueſtualus archiepiſcopus, qui poſtea in hæreſim prolapſus eſt,ſacris ſolennibus rite peractis, diadema ei impoſuit. Albicus enim iampridem dignitate ceſſerat, quũ familiam edentem bibentemq; ferre non poſſet,& minori contentus officio, auaritiæ ſeruiebat. Oppugnabatur ſummis uiribus hæretica ciuitas. Medio tempore reguli Roſenſes,& Chrageri Thaboritæ caſtra tenentes,à Nicolao Hus, quem Ziſcha cũ parte copiarũ eò miſerat, prælio uicti caſtris exuunt̃. Greciũ quoq; reginæ ab hæreticis expugnatũ. Imminet urbi Pragenſi ſublimis mons,quem Videchonis appellant, hunc ne hoſtes occuparent,Ziſcha præſidio munierat.Cum queis Marchio Miſnenſis congreſſus,magnam militum ſuorũ partem amiſit. Miſnenſes enim quũ iam montis cacumen occupaſſent,in partem coacti quæ prærupta erat acrius oppreſſi,ubi retinere impetum non ualuere,alij cæſi ſunt,alij ex monte deturbati per abrupta dilapſi perierũt.Sigiſmundus obſidione dimiſſa Cuthnã ſe recepit.Per idem tẽpus uulgauerant hæretici,ipſa die pentecoſtes ignẽ de cœlo caſurũ,q urbes Bohemicas oẽs exureret: ob quã rem magna ex parte ciuitatũ mœnia relicta,populariter in agris erratũ.Sed quũ dicta die imbres tota fermè Bohemia uehemẽtes fuiſſent,religio in riſum cõuerſa,multũ opinionis hæreticis detraxit: uicit tamen obſtinatio eorũ,quos rapinarũ cupido magis quàm fidei ſcelus pellexerat. Ziſcha apud Pragenſes degẽs,ex cõſilio ſuorũ ſacerdotũ omnes baſilicas delere adorſus eſt,quæ ſanctorũ nominibus dedicatę fuerãt:neq; enim fas dicebãt,alteri quàm ſoli deo templa ſacrari. Hinc plurima monaſteria & nobiles eccleſiæ uno impetu in ciuitate diſiectæ. Id Pragenſibus ægre fuit, quibus ſeruandum ædificiorum decus uidebatur. Orta diſſenſione,iurgioq;

ſenſim

ſenſim obrepente,Ziſcha cum ſuis abijt, & ad Thaboritas reuerſus multa fidelium loca expugnauit. Inter quæ Pragatini præpoſiti Viſſegradenſis oppidum diripuit, in quo uiros ac mulieres cum pueris & infantibus cunctoſq; loci ſacerdotes in eccleſia concluſos immiſſo igne combuſſit.

De Orebitis hæreticis. Cap. XLIII.

FVit & alia in Bohemia hæreticorũ factio, fratrum Orebitarũ appellata, quæ territoriũ Greſenſe uicinaſq; gẽtes Ro.eccleſiæ cultũ obſeruãtes magnis affecit cladibus,peſtifera atq; immanis,neq; Thaboritarũ crudelitate ulla ex parte inferior. Aduerſus quam Martinus V. Pont. Max. nominatim crucẽ decreuit,neq; tamẽ in plures annos extirpari potuit. Huius ſectæ homines quotiẽs ſacerdotes noſtros intercepere,aut igne cremauerũt, aut nudos rigẽti hyeme ſuper glaciẽ colligatos dimiſere: quos parui momẽti exiſtimarunt, deſectis uirilibus abire permiſerũt. A Pragenſibus inter hæc ſummis uiribus arx Viſſegradenſis oppugnať. In qua quũ cætera abeſſent,equinæ carnes aliquandiu pro cibo fuere. Ad extremũ,niſi ad certum diem Sigiſmundus auxiliũ ferret,deditio promiſſa:uerũ ea lex adiuncta,ut ueniente Sigiſmundo Viſſegradenſes prorſus quieſcerent. Affuit inter diem dictum imperator, ignaruſq; conditionis locum ingreſſus arctum ſub arce, in quo facile ab obſeſſis defendi poterat: quum illi datam fidem obſeruaſſent, inuaſus repente à Pragenſibus,ingentem perpeſſus ſtragem,rebus infectis retro abijt. Ceciderunt ex Morauis XIIII proceres, ex Hungaris cæteriſq; gentibus quamplurimi,arx Pragenſibus dedita.

De multis prælijs & uictorijs Ioannis Ziſchæ. Cap. XLIIII.

ZIſcha dum hæc fiunt,Booſlaum regulum, cui Cygneo cognomen fuit, qui multis antea cladibus hæreticos affecerat, in oppido ſuo munitiſſimo ui cepit,& in hæreſim ſuã pellexit. Qui ad Rhetium paucis poſt annis in Auſtria dum hæreticorũ copias ducit, uulneratus interijt. Erant in territorio Pelzinenſi cõplura cœnobia,opibus & ſtructuris inſignia,ex quibus Ziſcha quinq; combuſſit. In monaſterio uero Claronenſi,quod munitius fuit,præſidium poſuit. Huc Sigiſmundus exercitum admouit. Ziſcha autem in eum copias ducente,turpi fuga receſſit,nec diu poſtea Bohemiam quoq; reliquit. Ziſcha ad Pelzinam duxit. Sed quum ciuitatẽ egregie defenſam expugnare deſperaret,inde ſoluens Comitauiam petijt,nõ parui nominis oppidum. Quo ui capto,populares cum ſacerdotibus in ædibus ligneis recluſos fruſtra ueniã petentes exuſſit. Quum uero ante oppidum, cui Rabi nomen eſt,conuocatis fratribus Thaboritis & Orebitis caſtra teneret,obſeſſoſq; ſumma ui oppugnaret, oculum quo uno lumen cœli uidebat, ſagitta confoſſus amiſit. Inde Pragam ad medicos uectus,quamuis ex uulnere curatus uitã retinuit, lucem tamen haudquaquam recuperauit. Nec propterea caſtrenſem laborẽ aut rei militaris curam omiſit. Cæco populo cæcus placuit ductor: res apud

poſteros

posteros plus admirationis habitura quàm fidei. Pragenses autem Veronã, ubi magnum inerat Sigismundi præsidium, armis ceperunt: & paucis uita reseruatis, puberes utriusq; sexus interemerunt. Expugnarunt & Brodam Teutonicam, interfecto præsidio: mox Cuthnam pluresq; alias ciuitates dedentibus oppidanis in potestatẽ acceperunt. Quum uero ad oppidum cui Pons nomen est, & à Misnensibus possidet, copias ducerent, occurrẽtibus Saxonibus non audentes congredi redierũt. Post hæc Sigismundus principibus electoribus diẽ statuit, ut in celebritate diui Bartholomæi ad occidentalẽ plagã Bohemiam cum copijs ingrederentur, ipse ad orientale latus cum Hungarorum exercitu aggressurus. Venere Moguntinus archiepiscopus, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ duces, Marchio Brandenburgẽsis, & plurimi ex Alemania pontifices, cæteri suos misere. Castrametati ad oppidum Sozium munitissimum locum expugnare non potuere. Vastatus est undiq; per circuitũ ager, continuata obsidio ad festum usq; sancti Galli: tumq; soluta quum Sigismundus ad præmissum diem non adesset. Ille autem collecto ex Hungaris, Australibus ac Morauis exercitu, circa solennia dominicę natiuitatis Bohemiã intrauit, & aliquot oppida ui cepit, Cuthnenses per deditionẽ accepit. Sed irruente in se Zischa quamuis cæco, pauidus trepidusq; multis ex suis interfectis nobilibus, & amissis impedimentis effugit. Prius tamen Cuthnã exussit, quam Thaborenses propter argentifodinas crumenam Antichristi uocabant. Zischa itinere unius diei imperatorem sequutus, magna fugientiũ præda ditatus est: & oppidum Brodam, quod Teutonicorũ uocatur, ui captum incendit, quod postea XIIII fermè annis sine habitatore permansit. Imperator amnem Iglariam ponte transmisit. Piso Florentinus, qui equites in eam expeditionem XV milia ex Hungaria duxerat, per glaciem iter habuit: quæ multitudinis pondere dissoluta multos mortales in profundum rapuit. Hac uictoria elatus Zischa magis ac magis in ecclesias desęuit: nec iam amplius ullam pati aut statuã sanctorum, aut picturam poterat: nec tolerandum esse putabat, qui prisco more sacerdotalibus indutus uestibus rem diuinam conficeret. Ob quam rem maiores quàm prius inter eum & regni proceres inimicitiæ obortæ. Consules uero Pragenses insolentiam Ioannis apostatæ Præmonstratensis iniquo ferentes animo, eum in prætorium uocauere, & nouem simul scelerum principes tanquam de republica cum his aliquid acturi, intromissos statim gladio percussere: & quasi nihil actum esset pacatam ciuitatem arbitrati, domos quisq; suas petierunt. Sed ministri parũ cauti, dum atriũ aqua proluunt, cruorem interemptorũ per aquæductum in forũ transmisere. Eo uiso non latuit populum res gesta. Tumultus euestigio factus, expugnato armis prętorio, undecim primarij ciues, qui rei autores putabantur, occisi: collegiũ Caroli direptum, & nobilis bibliotheca disiecta. Mulieres, quæ Ioannẽ monachum ueluti diuinum habebant, caput eius interci-

Io. Præmonstratensis

cipientes, pluribus diebus ululantes, per urbis ecclesias circumtulerunt, beatum uociferantes, sanctum & deo plenum uirum, qui pro ueritate & patrum traditionibus occubuisset. Contrà uero sacrilegos, nepharios, deo atque hominibus odibiles, qui sacro & optimo sacerdoti manus iniecissent: postremo inter sacras reliquias aromatibus conditum seruari Ioannis caput obtinuere.

Purgellinum Per idem tempus castellum Purgellinum, in quo paruum Sigismundi erat præsidium, & quò multi Pragenses rectæ fidei cultores cum liberis & uxoribus confugerant, per incuriam arsit: qui superfuerunt incendio, Pelzinam se contulere. His actis nonnulli Bohemorum reguli, & consulatus Pragensis legatos ad Vitoldum Lituaniæ ducem misere, eumq́ sibi regem asciuerunt, aduersante Zischa, eiusq́ factione, qui liberis hominibus regem habendum esse negabat, & eum potissime qui gentium ritu uiueret. Vitoldus Sigismundum Coributum cum duobus milibus equitum in Bohemiam misit: qui apud Pragenses magnis exceptus honoribus, ciuitatē breui ad meliorem formam redegit: nobilibus & qui quiete uiuere uellent, blandus atq; amicus: in insidiosos atque facinorosos asperrimus uindex. In huius aduentu munitissimum castellum in mōte situm oppugnare placuit, quod lapidem Caroli uocant. Hic Sigismundus IIII centurias militum præsidio liquerat. Castra tribus locis posita sunt: obsidio sex ducta mensibus, neque diu neque noctu omissa oppugnatio: quinque balistæ maiores ingentia saxa per omnes horas intra mœnia iactauerunt: uasa circiter duo milia cadaueribus & humano excremento plena in hostes emissa, tantum miseris obsessis fœtorem attulere, ut omnibus infectis dentes aut deciderent aut nutarent: tolerauerunt tamen forti animo, & in hyemem usque protraxerunt certamen, accepto clàm ex Praga medicamento, quo dentes contineri possent. Fons erat extra mœnia in medio præruptæ rupis, unde aquam oppidani necessariam hauriebant: & turris desuper uetusta, qua tuerentur aquantes. Hanc Pragenses diruere machinis conabantur. Fama est, in potestatem obsessorum primarium quendam inter Pragenses ciuem casu factum, eum que in turris culmine deligatum, dato per irrisionem in manum flabello, quo lapides balista missos quasi muscas abigeret: parsuros quippe conciui suo Pragenses arbitrabantur. Illos nulla misericordia flexos, saxa ingentia quamplurima proiecisse: Hominem uero, quum diem integram intactus perseuerasset, hostium magis misericordia, quàm ciuium suorum humanitate seruatum. Interea Fridericum seniorem, Brandenburgensem principem, magnis copijs Bohemiam ingressum, longe latéque prædas agentem, Pragenses ab obsidione discedere compulisse: Vitoldum uero rogatu Vladislai, Poloniæ regis, qui cum Sigismundo Cæsare in finibus Hungariæ conuenerat, patruelem suum Coributum ex Bohemia reuocasse. Putauit ea re Sigismundus hæreticos externis auxilijs destitutos, mox imperata facturos.

Fœtor dentibus inimicus

sed

ſed longe deceptus eſt. Nã illi magis ac magis inſoleſcentes, ſubactis intra regni fines catholicæ fidei cultoribus, exercitũ extra Bohemiã duxere, uicinas late gentes populati. Ferunt Ziſcham in Auſtriam profectum, quũ agreſtes armenta quæq; nauibus in inſulam Danubij tranſportaſſent, uitulos, ſuesq; nonnullos per negligentiã in uillis dimiſſos, ad ripam fluminis tamdiu deuerberaſſe, donec pecus inſulam depaſcens, mugitũ grunnitumq; audiens, deſiderio ſimilis animantis fluuium tranſnatauit, eoq; modo magnã prædã abactam. Per idem tempus Sigiſmundus Imperator Alberto duci Auſtriæ genero ſuo Morauiam, ne defenſore careret, dono dedit: quamuis iam pleriq; illius prouinciæ proceres ad Huſſitarum inſaniam defeciſſent. Eo quoq; tempore Ericius rex Daciæ, & infans Petrus regis Portugalliæ germanus, Iacobi cardinalis ſancti Euſtachij excellentis & clariſſimi uiri pater, Imperatorem accedentes, ambo rei militaris peritiſſimi, exercitũ eius & copijs & auxilijs auxere. Ob quam rem caſtra ad Lutempergam Morauiæ oppidũ, Huſſitarum peſte infectum, ſtatim poſita: obſidio tribus menſibus eo loco ducta. Eques apud Pragenſes cognomento Aqua, ſatis opulentus fuit, & inter ſuos ciues autoritate prędıtus. Is ſororis filium nomine Procopiũ quũ ſobole careret in ſuum adoptauit, eumq; grandiuſculum, ad Galliã, Hiſpaniam, Italiã, demũ Hieroſolymam ſecũ adduxit, reuerſus in presbyterũ ordinari curauit. Qui, ſurgente in patria Huſſitarum nouitate, Ziſchæ adhæſit, & quum eſſet robuſtus, & manu promptus, nulliusq; fugax laboris, magno loco apud eũ habitus, primos ductauit ordines, malus malo aptiſſimus. Hic eſt ille Procopius, qui poſtea ob res fortiter geſtas Magni cognomen obtinuit. Huic prouincia Morauię cõmiſſa eſt, & Lutemburgenſiũ defenſio. Qui nõ parua militum manu accepta, inuitis obſidentibus, cõmeatum in obſeſſum oppidum importauit, irritamq; Sigiſmundo fecit obſidionẽ. Dederat Imperator Marchionibus Miſnẽſibus pontem & Auſcam ſuper Albim fluuium: ut eas ciuitates præſidio tuerentur. Obſederunt Auſcam Ziſcha ſimul cum Pragenſibus: Fredericus marchio Miſneñ. pater eorum qui modo prouinciam regũt, & frater eius Lantgrauius Thuringiæ, collecto ex Saxonia, Thuringia, Miſna, & utraq; Luſacia milite, obſeſſis auxilium ferre ſtatuerunt. Commiſſum eſt ante urbem præliũ: incerta diu uictoria pependit, quum fortiſſimi utrinq; caderent, & nunc illi, nunc iſti uicti uictoresq; uiderentur. Ad extremum cæca cæcũ ſequuta penes hæreticos fuit. Burggrauij Miſnenſes & † Chirpogenſes, & comites Glichenſes, multiq; nobiles in eo prælio ceciderũt. Ex quibus pleriq; proiectis armis, flexis genibus fruſtra uitam ſupplices petierunt. Nouem milia ea pugna ex fidelibus cæſa: Auſca capta, & funditus deleta. Elatus ea uictoria Ziſcha, inſolentius indies agere, eccleſias paſſim delere, ſi quæ reſtabant: ſacerdotes qui more maiorũ ſacra peragerent, crudeliter perſequi: nobilibus infenſus eſſe, ciuitatibus grauia imperare tributa: Pragenſium qui

Stratagema

Procopius

al's, Chiburgenſes

p 2 detre-

detrectarant eius imperium,uicos & uillas incendere. Ob quas res Pragen-ſes Baronum auxilio freti,aduerſus eum copias eduxere. Ille quum ſe armis imparem animaduerteret,ad Albim uſq; profugit,eratq; penè comprenſus, niſi pater Georgij eius qui nunc regno potit',per Poggiebraciũ oppidũ tranſitum ſibi præbuiſſet. Nec ſic ſua res tuta facta eſt. Patuerũt & hoſtibus alio loco pontes,per quos Albim tranſmiſerũt: ſed Pragenſes fugientis ultimum agmen inſectati,complures Thaboritas necauere. Peruentum eſt deniq; ad montes,ubi Ziſcha uallem ingreſſus, quum loci anguſtias eas eſſe noſſet,in quibus explicare hoſtes ſuas acies minime poſſent,ſtare ſigniferũ iuſſit. Exin commilitones pro tempore hortatus, pugnæ copiam fecit. Certamen atrox commiſſum, uictor Ziſcha tria milia Pragenſium cecidit, reliquos in fugam uertit. Nec moratus, Cuthnam à Pragenſibus inſtauratam iterum ui cepit, atq; incendit,& qui Pragenſes inerant,eodem igne cõſumpſit. Mox ſucceſſu rerum tumens,infeſtis ſignis Pragam petijt, & ad ſagittæ iactum caſtrametatus obſidere urbem cœpit. Erãt & in ciuitate & in exercitu plurimi, qui hoc diſſidium deteſtabantur,& alij Ziſcham,alij Pragenſes accuſabãt. In caſtris quoq; tumultuatum eſt, dicente milite, indignũ eſſe eam urbẽ armis premi, quæ caput regni eſſet,neq; de religione ſecum diſſentiret, caſuram breui Bohemorum potentiam,ſi ſe hoſtes diuiſos norint. Materiam belli ſatis magnã à Romano Imperatore præberi, ſtultũ eſſe conſilium in ſe arma uertiſſe. Accepit Ziſcha quæ uulgo dicebantur, & aduocata in concionem multitudine, uas uinarium quod forte aderat conſcendens, Nolite,inquit,amari ſuper me fieri fratres,& hominem accuſare,qui uobis ſalutem peperit. Recentes uictoriæ ſunt,quas me duce conſequuti eſtis,nunquam ego uos in aliquem locum duxi,unde uictores nõ redieritis. Vos clari,uos diuites facti: ego ueſtri cauſa lumen amiſi,& iã in tenebris ago, nil mihi ex tot bellis feliciter actis, niſi nomen inane ſupereſt. Vobis pugnaui,uobis uici: nec laborũ pœnitet,nec mihi cæcitas dura,niſi quod rei ueſtræ priore ex more conſulere nequeo. Nec ego Pragenſes mei cauſa perſequor,ipſi ueſtrum ſanguinẽ,non meũ ſitiunt. Parũ eis fuerit me iam ſenẽ & utroq; caſſum lumine perdidiſſe: ueſtras illi manus timent,& feroces in periculis animos. Aut uos certe,aut illos perire oportet, qui dum mihi parant inſidias, ueſtras animas expetunt. Domeſtica uobis arma timenda magis quàm externa, ciuiles auferre ſeditiones oportet. Pragam prius expugnabimus, ſeditioſosq; ciues exterminare licebit, quàm Sigiſmundo diuiſionis noſtræ nuncius afferri poſſit. Cum paucis eiuſdẽ animĩ tutius Imperatorem expectabimus, quàm ſi nobiſcum dubij Pragenſes in caſtris militent. Verum ne me amplius accuſetis, liberam uobis conſulendi facio poteſtatem. Si libet Pragenſibus pacem dare, nõ abnuo,inſidiæ modo abſint. Si bellum decernitis, præſto aſſum. In utramuis partem declinaueritis,Ziſcha ueſtri conſilij adiutor erit. His dictis,mutati militum animi,bellũ decreuere,

Ziſchæ oratio ad pop.

decreuere, multitudo arma capere, festinare, muros adire, prouocare hostem, pro portis urbis pugnam ciere, egredientes ciues in urbem repellere, Zischa ad oppugnationẽ urbis cuncta parare.

De Ioanne Rochezana presbytero hæretico. Cap. XLV.

OPpidum est Pragensis ecclesiæ, nõ longe à Pelzina, cui Rochezana est nomen. Ex hoc loco puer obscuris parentibus, cẽsuq́ tenuissimo natus Ioannes nomine, Pragam uenit, mendicatuq́ uictum quærens, grammaticã & dialecticam didicit. Quum adoleuisset, nobilis cuiusdam pueri pædagogus factus est: & quum ualeret ingenio, linguaq́ promptus esset, in collegio pauperum receptus, auditor Iacobelli fuit. Postremo presbyter ordinatus, prædicare uerbum dei Pragensibus cœpit, ex oppido unde ortum habuit, Rochezanæ cognomen ducens. Et iam nomine & autoritate ualebat, quum Zischa Pragã obsideret. Exijt ergo consentientibus ciuibus, & in castra profectus, ciuitati Zischam conciliauit.

De morte Ioannis Zischæ. Cap. XLVI.

SIgismundus autem ubi Zischæ cuncta ex sentẽtia cedere animaduertit, & iam illum esse unũ, ex quo res Bohemiæ penderẽt, clàm sibi eum conciliare tentauit, gubernationẽ sibi totius regni, militiæ quoq; ducatũ, & ingens auri pondus quotannis promittens, si se regem nominaret, & in uerba sua ciuitates iurare cogeret. In magnã profecto regiæ maiestatis ignominiã, & imperialis gloriæ dedecus, atq; infamiam Reipub. Christianæ sempiternam, Sigismundum pluribus regnis præfectũ, ex Imperatoribus natũ, & ipsum Imperatorem, cuius nomen Italia, Gallia, Germania, & omnis Europa uenerata est, quem barbaræ nationes timuerunt, supplicem uidit nostra ætas homini ex parentibus haud admodum nobilibus nato, seni, cæco, hæretico, sacrilego, & in omne scelus audaci, pecuniã & summos honores offerre, ut suarum esse partium dignaretur. Sed auertit diuina pietas eam pestem, & tantũ malum è medio Christianorum eripuit. Nã Zischa cõditionibus annuens, dum conuenta completurus Sigismundum petit, inter eundum apud castellũ Priscouiam, diuinitus, ut par est credere, peste tactus, expirauit: monstrum detestabile, crudele, horrendum, importunum: quod postquam manus humana conficere nõ ualuit, digitus dei extinxit. Ferunt illum quum ægrotaret interrogatum, quo nam loco mortuus sepeliri uellet, iussisse cadaueri suo pellem adimi, carnes uolucribus ac feris obiectari, ex pelle tympanum fieri, eoq; duce bella geri: arrepturos fugam hostes, quamprimum eius tympani sonitum audierint. Thaborenses, qui reliquas picturas abominantur, Zischæ tantummodo, & angeli cuiuspiam calicem manu tenentis effigiem supra portam urbis pinxere, eiq; sacra quotannis agunt.

De Orphanis hæreticis, qui se post mortem Zischæ separauerũt à Thaboritis. Caput XLVII.

ZIscha mortuo ingens mœror inuasit exercitum, trepidare, lamentari milites, accusare fortunam, quæ ducem inuictum, morti uincendum dederit. Nec mora, duæ factiones exortæ. Altera Procopiũ magnũ, quem rasum quoq; uocauere, cuiusq; supra meminimus, sibi ducẽ præfecit. Altera nullum inueniri posse dictitans, qui iure Zischæ succederet, selectis paucis qui communi cõcilio bellum administrarent, sese Orphanos appellauere: inter quos potior habitus est Procopius, cognomento minor. Atque ita Thaboritæ in duos exercitus diuisi, alij uetus nomen retinuere, alijs Orphanorum, ut diximus, ob mortem ducis, inditum nomen. Qui &si aliquando inter se dissentirent, ubi tamen extrinsecus uis ingruit, iunctis uiribus in unis castris sese defenderunt. Muro circundatas urbes nisi necessariorum emendorum gratia perraro ingredi, cum liberis & uxoribus in castris uitam agere. Carros quam plurimos habere, his pro uallo uti. Procedentes ad pugnam, duo ex his cornua facere, in medio peditatũ claudere, alæ equitum extra munitiones prope adesse. Vbi congredi tempus uisum, aurigæ qui cornua ducerent, ad Imperatoris signum, comprehensa sensim qua uoluerunt hostiũ parte, ordines quadrigarum contrahere: intercepti hostes quibus sui subuenire nõ possent, partim gladio à peditatu, partim missilibus ab his q erãt in carris, uiris ac mulieribus necari. Equitatus extra munimenta depugnare, quẽ si forte hostis oppressisset fugientem, mox aperti currus excipere, indeq; uelut ex ciuitate mœnibus cincta defendi, eoq; modo uictorias quamplurimas cõsequi, quũ eam pugnandi peritiam uicinæ gentes ignorarẽt, & ager ille Septentrionalis late patens, ad explicandos bigarum quadrigarum'ue ordines peridoneus haberetur. Egrediebantur duo exercitus, alter Slesiam, alter Morauiam populabatur, uicinasq; regiones assiduis excursionibus infestabant. Theutones per circuitum habitantes, alios Philisteos, alios Idumæos, Moabitasq; uocabãt, Bohemiam terram promissionis esse dicebant. Quumq; in proximam prouinciam exissent, prius cum præda depopulatis agris reuertebantur, quàm hostis cognouisset aduentũ. Erat & tertius exercitus, quem fratrum Orebitarũ appellari diximus. Huic ductor fuit Bredricus presbyter Strasmicensis, natione Morauus, qui bellis assiduis Slesiam affectauit. Hic etiam hodie uiuit, & urbem Coloniã appellatã possidet: Qui spreta religione Christiana, calcatoq; pontificio iure uxorem publice duxit, & illa mortua alteram ex Polonia superduxit, ex qua filios suæ nequitiæ sectatores sustulit. Quum obsiderent Suetlam oppidum in Austria, Thaboritæ simul & Orphani duabus noctibus & una die absq; intermissione mœnia oppugnauere. Superueniẽte autem Alberto eius terræ principe cum exercitu, ut auxiliũ oppidanis afferret, pugnatũ est quatuor fermè horis, nutante hinc atq; illinc uictoria. Ceciderunt ex

derunt ex utraq; parte primi bellatores. Postremo ita discessum est, ut currus Thaboritæ suos amitterent, Albertus castris exutus abiret, quod negligentia Roperti Vallensis factum credidere, qui tum ductor exercitus fuit. Rediit tamen paulo post Procopius rasus, & oppidum Retium in Austria celebri obsidione cinxit. Pragenses eius signa sequuti, & Boheslaus Cygneus, cuius supra meminimus, qui eo loco sagitta confossus interiit. Retium ui captum, direptum atq; exustum, in quo multi mortales periere, Burchgrauius Maldeburgensis, loci dominus, captus, & Pragā ductus in carcere diem obiit. His gestis, uocati ab Imperatore Bohemorum principes, ad eum usque Posonium profecti sunt. Id oppidum Hungariæ, in finibus Austriæ, atq; in ripa Danubii situm. Neque ingressi mœnia, in tentoriis è regione urbis mansere. Egressus ad eos Sigismundus, multa de iure suo loquutus, paternum atque auitum regnum repetere, si qua essent quę prouincialium mentes ab sese alienarent, ea ablaturum, Bohemis ex quibus natus esset, pacificum, benignūq; regem futurum. Illi se armis ab eo sine causa impetitos dicere, ciues suos in Constantia contra publicam fidem exustos inauditos, Bohemiæ primores tanquam hæreticos à Romana ecclesia damnatos, regnum sacris contumeliose interdictum: non esse tam exiguam Bohemorum potentiam, quæ suo nequeat honori consulere. Responsum à Sigismundo benigne datum ad obiecta, oblatumq; generale concilium, in quo suam innocentiā Bohemi ostendere possent, si se uniuersalis ecclesiæ iudicio submittere uellēt. Bohemos qui armis uincere consuesset, uerbis uinci nō tulit, infectisq; rebus domū abiit.

De expeditione in Bohemiam, contra hæreticos & rebelles, per Martinum papam quintū instituta. Et de infelici pugna contra eosdem. Caput XLVIII.

AT Martinus pontifex maximus, ubi armatam hæresim crescere indies animaduertit, priusquam pestis amplius inualesceret, cardinalem Vintoniensem natione Anglicum, regia stirpe natum, in Germaniam proficisci iussit, qui contra Bohemicam labem uicinas gentes in arma conciret: cui & Imperator adiumento fuit. Instituti sunt tres exercitus. Saxoniæ duces, & quas uocant, stagnales ciuitates, in primo militauere: secundum ex Franconibus constitutum, Marchio Brandenburgēsis ductauit: tertio præfuit Ottho Treuerensis archiepiscopus, quem Rhenenses sequuti sunt: Baioarii quoque, & ciuitates Sueuorum Imperiales. Ingressi Bohemiam tribus locis: postquā syluam penetrauere, iuncti simul, ante Misnam castrametati sunt. Hāc urbē †Prichicho Elenotensis, inter hæreticos quantū doctior ac facūdior, tantū crudelitate ac perfidia nequior, præcedenti nocte ex fideliū manibus eripuerat. Erat igit̄ consiliū exercitus, hanc urbē prius recuperare, q̄ ultra procederent. Sed quū hæretici collecto raptim milite, in eos properare nunciarentur, non

als, Prierchō Clenouensis

P 4 uisum

uisum hostem fugerunt: Thacouiamq; petentes, instrumenta bellica cũ præda ibi dimiserunt. Nondum cardinalis in exercitu fuerat: sed ad Thacouiam fugientibus occurrẽs, admiratus est tot ducum, tot fortium uirorum pauidã fœdamq; fugam: magnis precibus ut redirẽt in hostem, omni ex parte debiliorem hortatur. Quod quum frustra niteretur, & ipse turpis fugæ comes effectus. Vix syluam ingressi erant, quum superuenientes Bohemi postremũ agmen lacessere cœperunt. Facta est profusior ac pauidior fuga, nec prius Theutones fugere, quàm Bohemi persequi destiterunt. Hostes impedimentis direptis, Thacouiam expugnantes, machinisq; bellicis potiti sunt. Exin Misnam populati, quum per Franconiam redirent, ne Bambergeñ. agrum Normbergensemq; uastarent, pecunia placati diuitẽ exercitum reduxere. Sigismundus his cognitis, Normbergã profectus, noua principũ auxilia comparat. Martinus quoq; pontifex maximus Iulianum cardinalem sancti Angeli, literis ac moribus excellentem, cum ea legatione in Theutoniam mittit, ut Bohemis bellum inferat, & adueniente tempore in Basiliensi cõcilio, quod propediem futurum erat, nomine apostolico præsideat. Is Germaniã ingressus, mox Normbergam ad Sigismundum se confert: quo in loco frequentes Germanorum reguli conuenerãt. Decreta est noua in Bohemos expeditio, ad viij. Kalen. Iulij. Dux belli Fredericus marchio Brandenburgensis declaratus, qui cardinalem sequeretur. Ingressus est Bohemiã, per uiam quæ ducit ad Thopã. Institutus Albertus Austriæ princeps, suas copias per Morauiã ducere iussus est. In ea expeditione Albertus & Christophorus Baioariæ, & Fredericus Saxoniæ duces fuere. Ioannes & Albertus Brandenburgenses principes cum patre, quem penes belli summa erat, Herbipolensis, Bambergensis, Eistetensis episcopi, Societas Sueuorũ quam sancti Georgij uocãt, & imperialium ciuitatũ magistratus, Maguntinus, Treuerensis, & Coloniensis antistites, auxilia miserũt, & cum his prouinciarũ suarum primores, supra xl. milia equitum fuisse traduntur. Peditũ minor erat numerus. Nam Germani patentibus freti campis, equestres plerũq; pugnas agitant. Promiserat & Renatus Lothoringiæ princeps in eam expeditionẽ sese uenturum. Sed domestico bello implicatus, dum comitem Videmontẽsem oppugnare nititr: neq; promisso satis fieri potest: neque comes Palatinus Rheni, qui Videmontẽsi opem tulit, aduersus Bohemos ire permittitur. Cardinalis dum eos opperitr, ad Kalendas usq; Augusti profectionem suspendit. Albertus interea ex Austria ducens, quũ ad dictum diem adesse cardinalem minime intelligeret, impar Bohemicæ potentiæ retrocessit. Ingressus deinde cardinalis, numerosum exercitum ductans, multas hæreticorum uillas incendit, oppidaq; diripuit, in quibus non auaritia tantũ, sed crudelitas etiam militũ grassata est, qui mares cũ fœminis obuios, senes puerosq; passim necauere. In extremis tamẽ regni partibus ea calamitas deseuit, quũ duces copiarũ interiora petere formidarẽt.

Bohemi qui iampridē hostem affuturum acceperant, expeditas in armis legiones coegerant,& ubi fidelium domicilia reperiebāt, ea ferro atq; igne uastabant. Inter quæ Stiltiuergium oppidum ab Orphanis expugnatū ac direptum, puberes ad unum necati. Interea siue proditio in exercitu fidelium fuit,quod plurimi putauere, siue inanis sua sponte mentes hominum pauor inuasit,totis castris trepidatum est, & prius quàm hostis ullus in conspectu daretur, fœdissima cepta fuga. Mirari Iulianus unde hic timor, quæ ratio tantum exercitum fugere suaderet, ambire duces, hortari arma expedirent, aciem instituerent,forti animo hostem expectarent. Nō de regni gloria, aut agrorum possessione certari: de uita, de religione,de Christi honore, de animarum salute bellum geri. Turpe Germanis esse,quorum nobilitatem uirtutemq; totus orbis celebraret, ex prælio fugere: mori satius, q̄ hosti nondum uiso cedere. Neq; securos intra mœnia habitare posse, qui cāpos hosti relinquerēt,arma uiros non muros tegere. Nisi gladijs modo libertatem suā tueantur,aut casuros breui hostili ferro,aut seruitutem morte miseriorē laturos. Sed frustra apud eos cohortatio fuit,quorum pudorem metus euicerat. Ablata sunt raptim signa, & tanquā nullus esset in exercitu ductor, tumultuose quisq; non expectato imperio,nō salutato comite, multi etiā proiectis armis, non aliter quàm si hostis à tergo instaret, rapido cursu fugam maturauere. Quibus & cardinalis inuitus sese comitem dedit. Hostis paulo post ex metu alieno factus audax affuit,impedimentisq; omnibus,quibus per syluam nō erat facilis exitus,& ingēti præda potitus est. Albertus tamen quū accepisset intrasse Bohemiā cardinalē, & ipse iterum raptim ex Austria coactis copijs, in hæreticos duxit,Præzorouiamq; munitum oppidum oppugnare adorsus est. Sed fuga cardinalis cognita, ab incepto destitit, & per Morauiam,quæ nondum ei parebat,infesta signa circumferens, supra quingentas uillas ferro atq; igne deleuit.Oppida multa ui cepit atq; diripuit,mortalium maximam cædem fecit: adeoq; gentē illam afflixit, ut iugum eius accipiens, parēre sibi ea lege promiserit,ut circa religionem id sequi teneretur,quod Basiliense concilium decerneret.

Iuliani ad fortitudinē orat.

De inchoatione Basilieñ. concilij,& uocatione Bohemorum ad ipsum conciliū,ut fidei suæ rationem redderent. Cap. LXIX.

Exactus ex Bohemia legatus, Basileam se contulit, ibiq; concilium celebrauit Sigismundus, qui per tempus expeditionis Normbergæ se continuerat. Ad coronam imperij Romæ suscipiendam iter ingressus, primoribus regni Bohemiæ literas dedit, in queis scriptum erat, se natione Bohemum,nulli genti magis quàm suæ affectum, Romam non aliam ob causam petere, quàm coronæ suscipiendæ gratia. Id decus Bohemorum genti accedere, cuius honestandæ sibi maxima semper cura fuerit. Cœptum esse iam sua opera Basileæ concilium,hortari eos qui se audiri de religione cuperent eò

Sigismundi literæ ad Bohemos

rent eò

rent eò proficiſci,nec plus ſapere uellent quàm mater eccleſia catholica:auditurum benigne conuentū rationes eorū, tantum operam dent,ut cum ſynodo de religione conueniant,ſibiq́ꝫ redeunti pacatum regnum referuent: neqꝫ enim ſe arbitrari Bohemos eius imperiū fugere,cuius frater,pater,auus apud eos regnauerint: nec ſe alia lege regnaturum quàm cæteri Chriſtiani reges. Scripſit & ipſa Baſilienſis ſynodus Bohemis,ut legatos mitterēt qui fidei ſuę rationem oſtenderent, ſecuritatem itineris & dicendi quæ uellent libertatem promittens. Fuerunt inter Bohemos duæ ſententiæ: Orphani & Thaboritę & plebes fermè omnes,eundum eſſe negabant,Ioannis & Hieronymi exemplum in medium afferentes, qui Conſtantiā ad ſynodum profecti, ſub fide Sigiſmundi publice combuſti fuiſſent. Nobilitas uero Mainardum ſequuta principem Nouæ domus, uirum cordatū & ingenio dextro, petendum eſſe concilium prorſus aiebat, nec tolerandos uideri, qui nouas peregrinás ue de fide ſententias,nouumq́ꝫ ritū religionis inueniſſent, niſi dictorū factorumq́ꝫ rationem uniuerſali eccleſiæ redderent,& quę uulgo inculcauerant,coram dictis defenderent. Vicit hæc ſententia. Legatio CCC equitum Baſileā miſſa: cuius principes fuere, Gulielmus Coſca,non tam equeſtri dignitate,quàm eccleſiarū direptione inſignis: Procopius cognomento Raſus,idemq́ꝫ magnus multis uictorijs,magniſq́ꝫ ſceleribus nobilitatus: Ioannes Rochezana, pſeudo Pragenſium apoſtolus: Nicolaus Galecus Thaboritarum ſacerdos,& Petrus Anglicus patria profugus,ac ſolis elenchis in diſputatione cōfidens. Effuſus extra mœnia urbanus populus, ex ſynodo quoqꝫ complures aduentū fortiſſimæ,& iam fama celebratiſſimę gentis pro portis expectauere. Alij frequentes in plateas quà tranſitus eſſet conuenere: matronæ,pueri,puellæ feneſtras atqꝫ tecta complere:alij hunc,alij illum digito deſignare:peregrinos habitus,non uiſa prius ueſtimenta mirari: horribiles hominū facies, truces notare oculos: non eſſe alienum dicere ab ea hominum ſpecie facta, quæ fama prodiderat: in unum tamen cuncti Procopiū defigere lumina,illum eſſe qui toties fidelium fudiſſet exercitus,qui tot oppida ſubuertiſſet, tot hominū milia neci dediſſet,quem ſui pariter atqꝫ hoſtes metuerent:inuictum ducem,audacem,intrepidum,neqꝫ labore,neqꝫ timore ſuperandum.

Bohemorum legatio · *Procopius*

Oratio Iuliani Cardinalis ad Bohemorum legatos, reſponſiuaq́ꝫ eorundem. Cap. L.

EXceptos Bohemorum legatos hoſpitaliter,poſtridie in concione accerſitos Iulianus Cardinalis benigne alloquutus,& longa & luculenta oratione,quæ adhuc extat,ad ea quæ pacis & unionis eſſent cohortatus eſt: eccleſiam Chriſti ſaluatoris ſponſam omnium fidelium matrem eſſe dictitās, claues ligandi atqꝫ ſoluendi habere, candidam ſine ruga, ſine macula, in his quæ neceſſaria ad æternam uitam eſſe creduntur, errare non poſſe: qui eam contempſerit,alienum,prophanum,& quaſi ethnicum publicanumq́ꝫ cenſendum:

dum: eam nusquam melius quàm in generali concilio repræsentari. Statuta conciliorum ecclesiæ placita existimari: concilijs non minus quàm euangelijs credi oportere, quorum autoritate & ipsa sacrarum literarum eloquia recepta sunt: Bohemos, qui se filios ecclesiæ dicerent, uocẽ matris audire debere, quæ filiorum obliuisci non potest: eos iampridem seorsim à matre uixisse: neq; id nouum esse. Complures aliquando fuisse qui matrem reliquere, redijsse tamen qui salutẽ optauere: regnante diluuio omnes perijsse qui extra arcam remansere: dominicum agnum in unis ædibus comedendum: extra ecclesiam nõ inueniri salutem: hanc esse conclusum hortum, signatumq; fontem, cuius aquam si quis biberit, non sitiet in æternum. Ex re sua fecisse Bohemos, qui eius aquæ fluenta apud conciliũ requisierint, matremq; tandem audire statuerint. Facessere iam odia debere, ponenda esse arma, omnemq; belli materiam procul abijciendam: audituros benigne patres quæcunq; Bohemi pro sua causa dicere uelint: tantum parati animo sint, ne bene consulta sanctæ synodi consilia respuant: quibus non Bohemos tantum, sed omnes Christi fideles conquiescere oportet, si modo æternæ uitæ participes esse uelint. Audita est Cardinalis oratio summo patrum consensu. Bohemi pauca respondere, quibus par facundia non esset: Se neq; concilia neq; ecclesiam contempsisse: aduersus inauditos sententiam Constantiæ latam: nihil de religione Christiana detrahere: incorruptam apud se patrum autoritatẽ manere: quodcunq; Bohemi asserant, sacris literis atq; euangelio confirmari: uenisse ut innocentiam suam uniuersali ecclesiæ patefaciant, petereq; publicam audientiam, in qua laici quoq; adsint. Neq; id negatum. Interrogati quænã illa essent, in quibus à Romana ecclesia dissentirent, quatuor articulos proposuere. De communione diuinæ eucharistiæ, quam sub specie panis & uini sumendam his qui salui esse uelint necessario affirmabant. De ciuili dominio, quod clericis interdictum diuina lege dicebant. De prædicatione uerbi dei, quam liberam permissamq; passim omnibus arbitrabantur. De publicis delictis, quæ nulla ratione toleranda putabant, etiam maioris mali uitandi gratia. Nam quamuis plurima sint quæ Hussitarum perfidia aduersus catholicæ fidei ueritatem astruere ac prædicare non dubitat, coram concilio tamen doctorumque patrum cœtu, hæc tueri tantummodo posse arbitrati sunt, eáque regni nomine dicta. Verũ quum legatus alia quoq; de Bohemis accepisse se affirmaret, quæ Christianas aures offenderent: inter quæ illud esset, quod religiones mendicantium inuentum esse diabolicum prædicarent: assurgens Procopius, Neq; hoc falsum est, inquit: nam si neque Moyses, neque ante eum patriarchæ, neque post eum prophetæ, neque in noua lege Christus dominus, neq; apostoli mendicãtes instituêre, quis nõ intelligit diaboli tenebrarũq; opus esse? Excepta est ingenti auditorũ cachinno Procopij uox: legatus uero ut erat mansuetissimus pater, argumentationem indocti hominis placide

Bohemorum responsio

nis placide dissoluit: neq; enim patriarcharũ prophetarumq; placita, & quæ Christus instituit, quæ sanxerunt apostoli, duntaxat à deo esse docuit, uerũ ecclesiæ quoq; decreta, quæ sancto dirigente spiritu ducit͂, opera dei esse monstrauit: quãuis & aliunde mendicantiũ uita ex euangelio sumpta uideri possit. Selegerunt Bohemi quatuor magistros, qui suos articulos ex diuina lege sumptos ostenderent. Qui eos confutarent, ex cœtu patrum totidem assumpti uiri præstantes, & ad dicendum parati. Disputatũ est quinquaginta diebus: multa in utranq; partem adducta. Postremo quum uicta Hussitarum perfidia uinci nollet, ad tractatus uentũ: tentatũq; si fortasse amice trahi possent. Missi & oratores ex concilio in Bohemiam uiri doctissimi, & qui gentis uersutiam nossent. Multa cum Bohemis agitata, nunc pacis spes facta, nunc belli metus.

De uictoria Bohemorum fidelium, & debellatione morteq; Procopij, ac aliorum hæreticorum. Cap. LI.

DVm hæc aguntur, Thaboritæ & Orphani Mainardo cæterisq; nobilibus infensi esse cœperunt, eorumq; suspectas actiones habere, tanquã concilio auscultarent. Neq; uana opinio. Conuenere nanq; sæpe inter se Barones, errorem suum recognoscere, miseros se dicere: qui quum regis imperiũ abdicauerint, Procopij iugum ferant: illum dominum esse, illum pro sua libidine prouinciã regere, uectigalia exigere, tributa imponere, delectum habere militum, exercitũ quò uelit ducere, rapere, spoliare, occidere, nullum pati qui suis consilijs aduersetur, nobiles iuxtà atq; ignobiles ei mancipia esse, nullum hominum genus infelicius esse Bohemis, quos semper in castris uersari oportet: æstates atque hyemes sub diuo agere, in duro iacere solo, arma in omnes horas uersare, nunc ciuilibus bellis, nunc externis agitari, aut bellum geri, aut belli metum impendere. Excutiendum tandem crudelis tyranni iugum, neq; ferendum ut qui cæteras gentes armis uicerint, Procopio seruiant. Placet accersire publice conuentum procerum & ciuitatum, in quo regni status reformetur. In eo Mainardus ei regno bene esse dicit, in quo neq; per ocium marceant homines, neq; per bellum atterantur. Bohemos hactenus expertes fuisse quietis, attritum assiduis calamitatibus regnum: periturum breui nisi occurratur: incultos iacere agros: homines atq; armenta sensim deficere: id accidere, quod omnia in potestate unius sita essent, qui sine consilio procerum ciuitatumq; pro suo arbitrio rem gereret. Illi salubre bellum esse: nam si paci locus sit, imperium eius statim casurum. Deligendum unum esse ex nobilitate ducem, cuius potestas annua sit, nonnullosq; ei adiungendos, quorum consilio domi belliq; rempublicam administret. Ne uero usurpare sibi Barones imperiũ uiderentur, ex media nobilitate assumendum ducẽ consuluit. Itum est fauente conuentu in sententiam Mainardi, Alscio Risemburgensis, antiquæ nobilitatis homo, sed tenui censu, dux gentis declaratus, quẽ capitaneũ uocauere.

Pulchre

Alscio

uocauere. Cæterũ maiestatis insignia penes eum fuere, autoritas apud Mainardum extitit. Procopius his cognitis, Orphanos & Thaboritas in expeditionem ducens, ad urbem Pelzinam, quam fideles incolebant, castra ponit: atq; undecim continuis mensibus pertinaci obsidione, crebrisq; oppugnationibus urget. Oppidani extrema omnia passi, ac iam fame pereuntes, ad synodum Basiliensem misere oratum, ne fidelem urbem in manus hæreticorũ peruenire sinerent. Patres, quibus non esset publicum ærarium, ex priuato argento symbolum dedere, auri octo milia numûm Mainardo mittentes, qui collecto exercitu subueniret obsessis. Per idem tempus, ea pars Pragæ quæ Nouaciuitas appellatur, ab Orphanis imposito præsidio tenebat: cuius præfectus erat presbyter Lupus Rochezanæ infensissimus: aduersus quem prædicando plebem incitabat. Ille in ueteri ciuitate, apud ædem sanctæ Mariæ ante lætam curiam habitabat, Lupumq; suis & ipse sermonibus probrosisq; maledictis lacerabat. Ob quam rem crescentibus odijs, clauserũt Orphani aditus ueteris ciuitatis in nouam: turresq; ligneas pluriũ tabulatorũ erexere, quibus oppidanos in aduersa ciuitate missilibus infestarent. Ea occasione usus Alscio, conuocata nobilitate, nihil esse imperium suum dicit, quod Thaboritæ Orphaniq; contemnant, regnum mature periturum, nisi magistratibus pareatur. Rogat proceres in medium consulant. Placet omnibus cum ea manu militum quam Mainardus comparauerat, Pragam peti. Nec morati, ueterem ciuitatem ingrediuntur, ligneas turres amoueri, parereq; omnes Alscioni iubent. Negant Orphani ducem esse, quem neq; ipsi, neq; Thaboritæ suscepissent. Fit tumultus, cõmittitur in urbe prælium. Lupus ubi suos cedere animaduertit, pluresq; cadere, salutem pedibus petijt. Disiectæ turres ciuitatis omnes, in potestatem Alscionis factæ. Pelzinenses re cognita, Procopio è muris illudere, hortari suis ciuibus opem ferat, alienos ne lacessat. Stultũ esse eum qui sua tueri nequeat, infestare aliena: nisi suopte ingenio ab obsidione discedat, uenturos breui proceres qui nolentem cogant. Ficta ea Procopius credere, atq; oppidanis ad ferendam fortius obsidionem blandimenta oblata. At ubi certum nuncium de gestis Pragensibus accepit, soluta mox obsidione, plenus irarum, cum omnibus copijs uersus Pragam iter dirigit. Properanti cõmunes amici occurrunt, de pace inter eum & nobiles agunt, diuisum inter eos regnum stare non posse, consulendum cõmuni quieti, neq; concordiã sine uiribus, neq; uires sine concordia sufficere: ciuitatibus eius populi inexpugnabile munimẽtum esse, qui concordibus animis arma tractaret: lites ex arbitrio ducis componi posse, delectis ex utraq; parte pari numero uiris, quorum consilio leges pacis dicerentur. Procopius demum ita se pacem habiturum respondet, si noua Praga sibi restituatur, si munitiones deiectæ reficiantur, si Pelzina eo in statu reponatur, in quo fuerat ante dissolutam obsidionem: nam cõmeatus iam eò importati fuerant. Nobiles ubi res factu dif-

ficilimas peti ūident, Procopiumq́ʒ uincula, uerbera, cædes minari, quum alia uia pax inueniri non posset, armis decertare constituunt. Relicta itaque ciuitate, cuius nutare animos non ignorabant, obuiam hosti pergunt. Ventum est ad locum inter Brodam Bohemicam & Burim, quatuor milibus & quingentis passibus à Praga distantem, in agris late patentibus. Ibi currus contra currus incurrunt, & sublato clamore, alteri alteros contumeliose compellant. Decreuerat Procopius haudquaquā pugnæ copiam facere, nisi ex occasione prærogatiua daretur. Erat ei animus recta uia Pragam petere, ubi non dubitabat nouam ciuitatem sibi portas aperturam. At equitatus nobilium munitiones eius prætergressus, dum forte ultimam partem apertam uidet, raptim ingreditur, cædemq́ʒ magnam facit. Hostes improuiso malo præuenti, quid agant nesciūt. Trepidatur totis castris: insolita res terrorē auget. Neqʒ enim intra munitiones curruū intrasse prius equites aliquando uiderant. Cædunt passim pedites, fit fuga aperta ex altera parte mole quadrigarū. Instant nobiles, sternuntur ubiqʒ fugientes. Procopius ubi suos retinere non potest, nec audire hortamenta periculum metusq́ʒ finit, inter confertissimos hostes dilapsus, cum cohorte quam sibi ex fortissimis magis quàm amicissimis delegerat, aliquandiu hostis impetū sustinet: multisq́ʒ cæsis, uictoriā penè hostibus eripuit. Sed circumuentus multitudine equitum, nō tam uictus quàm uincendo fessus, telo in incertū misso transfoditᷓ. Pari modo & alter Procopius, quē minorem appellari diximus, in eodem globo fortiter pugnans occūbit. Atqʒ is finis duobus illis perniciosissimis ac deterrimis monstris fuit. Sic Thaboritarum & Orphanorū scelerati exercitus, inuicti prius, uicti ac deleti sunt. Procopium rasum quis occiderit ignoratum est, quamuis Coscha, de quo supra meminimus, id facinus honestū dignumq́ʒ præmio suū dixerit, qui tum partes nobilium sequebatur. Primus eius uictoriæ autor habitus est Mainardus, post eū Ptarsconis magna uirtus uisa. Coapcho uero qui Thaboritarū equitatum ductabat, rei militaris apprime peritus, & qui multis aliquando damnis Prutenos affecerat, & à rege Poloniæ uocatus, usque Gedanum & mare Baltheum, uictorem exercitū duxerat, ex hoc prelio fuga dilapsus, cum magna parte equitatus in Coloniam sese recepit. Confecto bello quū multa milia captiuorum essent, Mainardus concilio procerū accersito, perdere pessimam plebem statuit, quæ nutrita in armis omnem ætatem in castris egerat, nec sub legibus uictura crederetᷓ, rapinis, & cædibus, atqʒ adulterijs assueta: Qua stante, pacatum regnum stare non posset. Sed ueritus ne simul innocentes interficeret, qui ex agris coacti ad pugnā uenerant, uoce præconis edici iubet, nondum bellum peractum esse, fugisse Coapchonem, Coloniam expugnari oportere, uicinasq́ʒ per circuitū gētes quę regnū popularentᷓ, armis domandas. Ad eam rem necessarios, qui sub Procopijs militassent, uiros fortes, & in bello exercitatos: decretū eis ex publico stipendiū, donec regnū pacaretᷓ.

Procopiorum interitus

Proinde

Proinde omnes qui ſtipẽdia facere uellent, in horrea ſeſe proxima reciperẽt, cauerent,ne rudes inexpertosq; belli, ſecum admitterẽt: illos ſua rura,ſuosq; lares repetere poſſe. Introierunt horrea quæ apud Bohemos in uillis ex maceria culmo tecta, frequentia ſunt, pleraq; Thaboritarum & Orphanorum milia,homines nigri, ad ſolem & uentum indurati,aſpectu tetri atq; horribiles,& qui circa fumum in caſtris uixiſſent,aquilinis oculis, impexo crine, promiſſa barba, corporibus proceris,membris hiſpidis, cute adeo dura, ut ferrũ quaſi lorica repulſura uideret. Clauſa ſunt cõfeſtim oſtia,& ignis immiſſus horreis,quo fex illa & colluuies hominũ, ignominioſum agmen,poſt multa quæ patrauerat ſcelera, exuſta,contemptæ demũ religionis pœnas dedit.

Quomodo Sigiſmundus Romæ coronatus, poſt multas diſſenſiones & bella cum pace & gaudio à Bohemis ſuſcipitur. Cap. LII.

SIgiſmundus interim ab Eugenio Pont. Max. Romæ coronatus, Baſileã petierat, diſſidioq; patrũ quod tũc erat cum Eugenio ad tempus ſedato, Vlmam ſe cõtulerat.Ea eſt Sueuiæ ciuitas, ad ulteriorẽ Danubij ripam ſita: Licius amnis qui Sueuos à Baioarijs diſterminat, eregione urbis in maiori flumine exoneratur.Hic audita Thaboritarũ Orphanorumq; clade,legatos in Bohemiã mittit, regni proceres cõmendat, qui uiros nocentes deleuerint, hortatur regni quietem procurent, ſeq; regem ſuſcipiant, quem fratri ſucceſſorem ius gentium dederit.Illi magno numero apud Ratiſponam cum conueniunt,regemq; ſuum ſalutant. Venerunt & ſeorſum,Coapcho & Ioannes Rochezana,de ſuis rebus acturi. Legati quoq; Baſilienſes,qui Pragæ fuerãt, & cum Bohemis certo modo conuenerant,eò ſe contulere.Sigiſmundus auditis quæ de religione in cõmunione placuerant,conuenta probauit, eaq; ſeruari mandauit. Exin poſcentibus Hungaris, nauibus per Danubiũ uectus, Budam petijt;ubi reformato rerum ſtatu, uocatis ad ſe Bohemorum principibus, in Alba regali ſexaginta milia numûm inter eos diſtribuit, pecorũq; maximum numerum.Dicta die qua uellet Bohemiam ingredi, nõ moratus Iglauiam uenit. Vbi concilio cum Bohemis habito,conuenta legatorũ ſynodalium iterum comprobauit firmauitq;. Ea huiuſcemodi fuere. Bohemis ac Morauis eccleſiaſticam unitatem,pacemq; complectentibus,ſeq; in cæteris omnibus,præterq; in uſu cõmunionis utriuſq; ſpeciei, uniuerſalis eccleſiæ fidei ac ritui conformantibus,autoritate domini noſtri Ieſu Chriſti, & eccleſię ſponſæ ſuæ,ſub duplici ſpecie panis ſcilicet ac uini,his qui conſueuiſſent, diuinæ euchariſtiæ cõmunicare licebit. An uero ex præcepto dei id fieri debeat, generale concilium in Baſilea congregatum diffiniet,& quod utilitati fideliũ ſalutiq; congruat,lege in perpetuũ ualitura conſtituet. Quo facto,ſi perſeuerauerint Bohemi in eiuſmodi communionis deſiderio, idq; miſſa legatione petierint,ſacer conuentus Bohemiæ ac Morauiæ ſacerdotibus cõmunicandi ſub utraq; ſpecie perſonas ſibi ſubiectas,& in annis diſcretionis conſtitutas,

& quæ id reuerenter postulauerint, libertatē impartietur: ea conditione adie-cta, ut inter communicandū plebem publice instruant, non sub specie panis carnem Christi tantum, nec sub specie uini solum sanguinē, sed sub qualibet specie totum & integrum contineri Christum. Breuis concordiæ notula, uerū tot sententiæ, quot uerba, quibus peregrinæ de fide sententiæ, diuersiq; de religione ritus eliminari iubentur: & quod ecclesia uniuersalis credit, quod seruat, genti Bohemorū credendū seruandumq; præcipitur: circa cōmunionem tantum permissa nouitas. Cæterum inter Bohemos & Imperatorē aliæ pactiones interuenere, quibus ecclesiarū prædia occupatoribus iure pignorum relicta sunt, donec certa pecunia redimerent. Religiosis utriusq; sexus, qbus adempta monasteria essent, exulibus quoq; spes reditus interdicta, Rochezanæ Pragensis ecclesiæ præsulatus promissus: de disponendo ecclesiarū Bohemicarū regimine, summo pontifici facultas oblata. His sic constitutis, Rochezana cum alijs quatuor presbyteris, nomine totius cleri sibi adhærentis, sedente Sigismundo pro tribunali in foro ciuitatis erecto, assistente Alberto genero, magnaq; procerum & oratorū circunstante corona, obedientiā Romanæ ecclesiæ sese præstare professus est. Sequēti uero die, haud absimili solennitate absoluti sunt ab anathemate, cæterisq; censuris hæretici, & in ecclesiam per concilij legatos introducti. Vbi quum diuina celebrarent, Rochezana perfidiæ suæ non immemor, altare accedens: diuina re peracta, uni quem iusserat ex laicis adesse, sacramentum ex calice dedit. Et quamuis Ioannes Polomor, alter ex concilio legatus in aliena ecclesia id sibi non licere assereret, eumq; prohiberet, in proposito perstitit. Ob quam rem penè in irritū conuenta ceciderunt. Composita tamen lis est, ex eo cōuentionis capite, quo sancitū erat, ne paucis pacta uiolantibus, cōmunis cōcordia rumperetur. His compositis, Sigismūdus vi. kal. Septembris, anno vi. & xxx. supra millesimū & quadringentesimū ab ortu saluatoris domini, Pragā uenit: ubi, qui paulo ante Bohemorū hostis, ex adulterio natus, antichristi filius, sacrilegus, publicis hominū uotis perdendus censebat, extremis honoribus exceptus est. Barones ac ciuitates in eius uerba iurauerunt, & magistratus suos quos ipse constituit acceperunt, certantes inter se, quis alter alteri suo regi obsequentior uideretur, ut est humanū ingenium utranq; in partē immodicū, siue persequi, siue obsequi malit. Philibertus episcopus Constantiensis, natione gallicus, & collegæ sui ex Basilea missi, ecclesiasticos introducere ritus, sacerdotes instituere, ex missarū solennibus uulgaria uerba, cantilenasq; detrahere, sanctorū imagines reducere, aquam benedictā in ædibus sacris reponere, baptismatis fontes sacrare, altaria ornare, spurcitias omnes abolere. Paruere complurimi, quibus mens sanior fuit. Rochezanæ complices resistere, obloqui, blasphemare, plebem modis omnibus auertere. Ipse quoq; incentor malorū ex parochia sanctæ mariæ ante Lætam curiā, quam propria temeritate inuaserat, amoueri

amoueri minime potuit:neq; laniare sermonibus suis inter prædicandũ Romanam curiam prætermisit, legatisq; sæpe necem per insidias machinatus est. Sigismundus autem quum ecclesias pollutas intrare nollet, templum sancti Iacobi quod fratrum minorum fuerat, & in quo machinæ bellicæ tum seruabant̃, restitui sibi poposcit. Annuit ciuitas, & aliquot monachi introducti sunt, qui uerbum dei prædicarent. Id olim ne Zischa subuerteret, armati carnifices defendêre, sepulchris maiorum consulentes. Redierunt & alij mendicantes, tum Celestini, Sclaui, serui sanctæ Mariæ, Theutones, Hierosolymitani, & nonnullorum monasteriorum abbates. Sacerdos quoq; sancti Georgij in arce Pragensi, quæ principis honore defungit̃, & pastorali baculo utit̃, sacris præfecta uirginibus, ab exilio remeauit. Hæc ex ueteri more quotannis in celebritate sancti Viti nouellum regi panem offerre tenet̃. Restituti sunt & cathedralis ecclesiæ canonici, ac uicarij & mansionarij, ornamẽta altaribus reddita, diuinum officium instauratum. Legati Basileam missi, qui declarationem super articulo cõmunionis expeterent: quumq; nulli essent ecclesiæ redditus, ex quibus ali templorum ministri possent, iussit Imperator ex fisco regio per singula canonicorum capita hebdomadatim aureum numum distribui, minoribus clericis dimidium dari. Ea res annue aureorum sex milia apud ecclesiam cathedralẽ absumpsit. In alia quoq; templa donaria collata. Noua iam facies urbis, nouus populus, uerus redijsse religionis cultus apparebat. Quibus ex rebus liquet, Imperatorem, quæ fœdera cum hæreticis percussit, necessitate magis admisisse quàm uoluntate: uoluisse illum paternã hæreditatem quoquo modo intrare, sensimq; regni possessione accepta, more maiorum sub ueram Christi religionem prouinciam reducere. Iam reges ei populiq; Christiani de regno recuperato congratulabantur, eiusq; nomen in omni ecclesia magnum erat. Eugenius quoq; pontifex maximus auream rosam indicem suæ læticiæ ad eum misit. Thaboritæ qui superioribus cladibus superfuerant in oppido conseruati, ea lege in gratiã recepti, ut quinquennio toto suis moribus uiuerent, religionis cultum mutare nõ cogerentur, iura ciuitatis haberẽt, signũ ferrent, in sigillis rubra cera uterentur, tributi nomine singulis annis sexagenas decem penderent. Sed quum nephandas eorũ consuetudines Sigismundus accepisset, quibus illi circa rem diuinam uterentur, quinquenniũ haudquaq; expectaturũ se dicere, correpturũ propediem sceleratæ ciuitatis insaniam, Rochezanam hortari, Romanę ecclesiæ se subijceret, sic posse pontificatum ei cõmitti: superbienti, & aliena de fide sapienti, ascensum desperandum esse, quin uel cõsecratus episcopus eijci deberet. Ille mente superba, & opinione sua inflatus, dietim peior, dietim uenenosior effici, monachorum reditum ægerrime ferre, quorum sermones nõ minus quàm suos acceptum iri uerebatur. Ob quam rem occurrente inter prędicandũ sermone de monachis, Veniunt, inqt, noui dietim ad nos dęmones, quos monachos

uocant. His studium est eijcere nos de ueritate: at si uiri fuerimus, prius sanguinem effuderimus. Id Sigismundus ubi accepit, Imò nos, inquit, Rochezanæ sanguinem nō inuiti ante aras libabimus. Nō latuit Rochezanam Sigismūdi sermo, qui ex amicis cōmonitus clàm aufugit. Eius ecclesia Rapusconi bono & docto uiro cōmissa, quem nos postea exulem, perturbatis iterum rebus, in noua domo uidimus, priusquā Bohemiā intrasset Sigismūdus. Ioannes Rohacius, nobili loco natus, ingenio malo, mente pessima, non longe à montibus Cuthnis, intra syluas in ædito colle castellū exędificauit, uocauitq́ʒ montem Sion, asserens ex eo loco ueritatē aliquando exituram, quæ gentem Bohemicam libertate donet. Euntibus ad Iglauiam cæteris nobilibus Imperatorem suscepturis, ipse domi manens, uicinis infestus prædas agitat, instigantibus nonnullis baronibus, quibus pax noxia, bellum salubre uidebatur. Sigismundū quoqʒ lacessit, armenta boum & † ouium quę illi aduehebantur ex Hūgaria rapit. Itinera quæqʒ insecura, infestaq́ʒ reddit, neqʒ à purpuratis regibus abstinet. Sigismūdus Henricū Ptarsconē qui hominē corripiat, cum exercitū mittit: obsidio quatuor ducta mēsibus, castellū summa ui occupatū. Sed in cacumine montis situm, uallo, fossa, murisq́ʒ opportune munitum, difficile superatu erat. Eriguntur turres, quæ munitiones murosq́ʒ superent, tela intra iaciuntur, multi utrinqʒ cadunt, obsidentium plures, in quos tela haud frustra cadebant. Accessum ad muros altior fossa prohibebat, quæ licet aqua caruit, laboriosum tamen periculosumq́ʒ militi erat, sagittis undique cadentibus in eam descendere, atqʒ inde rursum uallum quo muri præcingebantur ascendere. Cuniculis igitur aditus in fossam paratur, relicto terræ aliquanto, ne fraus intelligi posset instar ostij ante fossam. Expectatur uentus qui ex castris in castellum spiret. Is ubi uehemens datus est, armati aditū ingrediunt̄, tormenta ænea quamplurima simul incenduntur, uentus fumum in castellū rapit, milites aperto cuniculorum repagulo in fossam prosiliunt, & admotis scalis uallū ascendere nitunt̄. Prandebat tum forte Rohacius, pauci qui pro muris excubabant, clamorem attollunt. Fit tumultus, concurritur undiqʒ ad defendēdum uallū. Rohacius quoqʒ relicto cibo, sumptis armis auxilio suis ex arce aduolat: pugnatur eodē tempore pluribus locis acerrime. Vbi Rohacius adest, hostis ex alia parte uallum superat, stragemq́ʒ late faciens castellū ingredit̄. Rohacius dum redire in arcem festinat, pręcluso itinere capitur: arx quoqʒ ui rumpit̄, latronibus qui eò confugerant interceptis, Sacerdotiq́ʒ Hussitarum uesaniæ participi, qui sacramenta ministrabat hæreticis, indita uincula: ducti omnes Pragam, suspēdio uitam finiere. Furcarum, quibus damnati pœnas dedere, triplex differentia fuit: è sublimiori Rohacius pepēdit, imam tenuere latrones circiter nonaginta: media sacerdotem arripuit nomine Medium: atqʒ ita Medius, in medio furcarum, damnatam animam deuotamq́ʒ satanæ reddidit.

Rohacius

† al's, uina

Rohacij interitus

De morte

De morte Sigismundi Imperatoris, & quem reliquerit in testamento hæredem. Caput LIII.

AEgrotare interea Sigismundus cœpit, exaugente morbum senectutis incommodo. Barbara imperatrix de retinendo imperio solicita, Henricum, Ptarsconem, Sterenbergium, Georgium Poggiebracium, & alios plerosq; barones, quorum autoritas apud Bohemos potior, clanculum ad se uocat, Sigismundum breui moriturum asserit, futuras in regno turbas, nisi rei suæ quàm celerrime consulant: quietis unicam uiam esse, si se uiduam rex Poloniæ ducat uxorem. Id ei suasu facile. Nam quis matrimoniũ renuat, quod dotalia duo regna sequantur, eaq; maxima, & opulẽtissima? Suo nomine & in Hungaria & in Bohemia oppida munitissima custodiri, comites Ciliæ alterum fratrem, alterũ nepotẽ, auxilia prębituros, multosq; in Hungaria proceres suas partes complexuros. Placet Bohemis imperatricis consiliũ, datisq; dextris fœdus ineunt. Mulier iam anus, nouum coniugiũ mente complexa, filiam quæ in spem regni creuerat, & Alberto duci Austriæ nupserat, ex animo dimouet, nec aliud, quàm noui concubitus gaudia meditatur. Inexhaustam fœminæ libidinem, quæ tumulo quo propior est, eo genitalis non, nuptialisq; facis cupidior & curiosior redditur. Non latuerunt Imperatorem furentis fœminæ excogitatus. Qui postquam referentibus medicis moriendũ sibi esse cognouit, ex Bohemia cuius sibi dubia fides erat, in Morauiam se uehi iussit, uisurus filiam priusquam uita excederet. Illa cum uiro ad eum in ciuitatem uenit, quam Snoima uocant. Ibi mox Barbara uirum sequuta, custodiæ tradit. Vlricus Ciliæ comes præmonitus, fugam arripuit. Imperator uocatis in cubiculum Hungariæ ac Bohemiæ primoribus, aduentasse resolutionem sui corporis, nec iam amplius se uiuere posse affirmat, iturum se patrum uiam. Cæterum priusquam oculos claudat, de salubri statu regnorum suorũ uelle cum eis agere. Albertũ Austriæ ducem, generũ suum esse, & uirtute præstantẽ, & generis nobilitate sublimem, eum se non minus amare q̃ filiũ: successorem itaq; suũ nominare, rogare supremã uoluntatẽ suam exequantur, beatum id regnum futurũ, cui Albertus imperauerit. Exin legatos nominat, qui se mortuo Bohemiam petẽtes, in conuentu procerum testamentũ suum patefaciant. Inter quos Gaspar † Slik princeps fuit, matre Italica ex comitibus alti collis agri Taruisini, patre Theutonico natus, ex familia Lazana prouinciæ Franconiæ, ingenio dextro, facundia suaui, doctrinæ cultor, ad omnia genitus quæcunq; ageret. Quem usqueadeo fortuna & uirtus extulit, ut quod erat prius inauditum, trium Cæsarum successiue regnantium cancellariæ præfuerit, unus ex ducibus Slesiæ filiam sibi in matrimonium tradere nõ recusauerit. Sigismundus illi Egram & Cubitum, & alia in Franconibus oppida dono dedit. Albertus in Hungaria Calesium, & Albam ecclesiam. Fredericus in Austria Grecium. Versatile profecto ingenium, & naturæ

Barbara

In anilem libidinem

a?

bonitas singularis, quæ inter tot Imperatores, moribus prorsus dispares, pari gratia uiuere potuit. Nos huius amicitia in curia Frederici Cæsaris usi, si quid profecimus, quod scimus quàm tenue est, adiumento eius consequuti sumus: episcopatum certe Tergestinum, unde reliquæ dignitates prouenere, ipse nobis primus cõmitti curauit. Mortuus est Viennæ ex apoplexia, & apud carmelitas cum coniuge sepultus. Sigismundus supremis suis ordinatis, inter amicorum manus defecit.

De sepultura Sigismundi Imperatoris. Cap. LIIII.

ALbertũ barones qui aderant ex Hungaria & Bohemia, cõcordibus animis regẽ salutauere. Ipse missis in Bohemiã suis à Sigismundo delegatis, uersus Posoniũ iter flexit. Miserabile spectaculum, & humanarum rerũ singulare documentũ, imperatrix captiua, & Imperatoris cadauer unà uehit. Occurrunt lugubres Hungari, nec tenere lachrymas in tanta rerum nouitate possunt. Hinc defuncti regis corpus fletum elicit: inde reginæ uincula cõmisse rationẽ excitant. Solatur tamen miseros noui regis electio, cuius uirtutis multa extabant documenta. Duo inter se pugnantes curæ occurrebant, altera sepeliendi regis, plena mœroris: altera coronãdi, læta iocundaq́ꝫ. Iusta prius defuncto regi persoluta, corpus eius in Varadino, ut in ultima uoluntate placuerat, sepultum. Albertus in Alba regali, cum coniuge sua Elizabeth, kalendis Ianuarij summo consensu & applausu populi coronatus est.

De Alberto Bohemorum rege quartodecimo, & etiam Romanorum rege. Caput LV.

LEgati in Bohemiam profecti, uulgato Sigismundi testamento, Albertũ uicinum, potentẽ, nobilem, uirtute præstãtem, Bohemis amicum, regem assumi petunt. Ioannis, Caroli, Venceslai, & ipsius Sigismundi erga regnum merita cõmemorant. Natã ex eorũ sanguine Elizabeth, nõ esse paterna hæreditate priuandã. Inter Bohemiæ reges & Austriæ principes fœdus extare, procerũ cõsensu & imperiali autoritate firmatũ, ut deficientibus in altera domo masculis hæredibus, altera regnum accipiat. Defecisse masculos in Bohemia regiæ stirpis, successorẽ ex Austria uocandũ. Neqꝫ alium regno idoneũ uiderent, quàm Albertum, qui & uxoris, & suo iure, & soceri iudicio, præferendus sit. Futurũ eum regem, quem Bohemi ex cœlo missum putent: Hungari quem cupide regem acceperint, Bohemis haud aspernandum. Flectitur his Bohemorum conuẽtus: Albertus pridie nonas Maias rex designatur. Verũ proceres qui cum Barbara conspirauerant, non alio pacto in Albertum consentiũt, q̃ꝫ si postulatis suis mos geratur. Alscio Sternenbergius eorũ nomine Albertũ adijt: sed frustra eius preces fuere. Albertus ea fermè Bohemis, quæ socer affirmauit. Interea Barbara, dimissis quæ possidebat in Hungaria inexpugnabilibus castellis, libertati reddita est, duodecim milia auri numũm, locis patentibus, quoad uiueret ei singulis annis constituta. Ptarsco de uolun-

tate

tate Alberti ab Alſcione certior factus, accerſitis ex factione ſua primoribus, quorum pars potior hæretica fuit, Huſſitarum ſequax erroris, Caſimirum regis Poloniæ germanũ, tredecim annos natum, regem appellat, miſſiſq; oratoribus auxilia petit, quibus nobile regnum ei conſeruari poſſit. Inter hæc & electores imperij apud Francfordiã conuenientes, rem Romanã Alberto cõmendant. At illi acceptare imperiũ iniuſſu baronũ Hungariæ haudquaq; licebat. Id enim eis promiſerat, quũ ſe regem accepere. Vocati primores regni, negabant ex uſu eſſe Hungariæ regi, Theutonicis cæteriſq; gentibus imperare: dum Sigiſmũdus Romanæ rei conſulturus, Italiã, Germaniã, cæteraſq; prouincias pagraret, Hũgariã Turcarũ direptioni patuiſſe. Multa in utrãq; partẽ dicta. Poſtremo uicti precibus Frederici ducis Auſtriæ tunc adoleſcentis, aſſenſum dedere: imperium ſumma Germanorũ congratulatione ab Alberto ſuſceptũ. Nec mora, legati ad regẽ Poloniæ, nomine gentis Bohemicę miſſi, Ioannes Rabenſteinus, & Hẽricus Placius, oratũ ne fratrẽ turbare Bohemiæ regnum patiať, memínerit inter Bohemos ac Polonos ueteris amicitiæ, Albertũ ex Sigiſmundi teſtamento, & prouincialiũ decreto, regẽ eſſe, nõ potuiſſe paucos qui Caſimirũ uocauere, ius regni in alterũ transferre. Si pergat alienũ regnũ fratri parare, caueat ne de ſuo certare cogať. Polonus ad ea, Bohemos ſibi amicos eſſe fateť, cupere beneuolentiã perpetuo ſtare: at fratri quem primarij barones regem uocauerint, ius auferre non poſſe: Polonis ac Bohemis unã eſſe linguã, & unã utriq; genti originẽ: cum Theutonicis nihil Bohemis eſſe cõmune: nihil prouincialibus incõmodius, q̃ ſui regis uocẽ nõ intelligere, atq; in omni colloquio interpretis egere. Regnũ ſibi ſuũ ſatis tutũ fidũq; eſſe, neq; ſe externã uim ullã timere. Proinde orare ut fratrẽ potius ipſi recipiant, q̃ ipſi ab eo recipianť: donatoſq; precioſis pellibus, ut eſt mos gentis, oratores dimiſit. Legatis autẽ alterius partis, miſſurũ ſe propediem auxilia pollicitus: Albertus medio tempore Iglauiam petit, quo in loco ab Vlrico Roſenſi, Mainardo, plurimiſq; Bohemiæ proceribus percupide expectabatur. Ptarſco uero per nuncios eum rogat, ne prius regnum ingrediatur, q̃ ſibi factioniq; ſuæ faciat ſatis. Neq; enim paſſurum ſe regem eſſe, quem ipſe nõ elegiſſet. Albertus quod maior pars regni ſtatuiſſet, id ratum eſſe debere reſpondit: hortari ne regni quietẽ interturbet. Inuenturũ benignũ regem, ſi paci conſulat: ſin pergat res innouare, plus belli reperturũ q̃ uelit. Exin motis caſtris Cuthnam occupat, quam Ptarſco ſine præſidio reliquerat. Petenti Bragam frequens populus occurrit, atq; ut hoſtium uictori congratulantur. Et quamuis iterum Ptarſconis factio conuentum peteret, prius q̃ rex coronaretur, reiectis precibus, tertio Kalendas Iulij ſolenni pompa coronam accepit. Ptarſco uero Coloniam, & alias ſuæ factionis ciuitates impigre muniuit. Quumq; duo milia equitum ex Polonis ad eum ueniſſent, populari eorum agros cœpit, qui regem introduxerant: & tanquam diu Bohemia quieuiſſet,

Albertus Imper. factus

uiſſet, nouo exultans bello, adeo gloriabundus in campos exijt, ut captiuos nobiles quos forte interceperat, ea conditione iuratos dimitteret, ut ſe non prius repræſentarent, q̃ caſtra muris Pragenſibus admouerentur. Albertus &ſi auxilia ex Auſtria Hungariaq; aſciuerat, illis tamen nõ expectatis, hoſti copiam pugnandi fecit. Quam Poloni detrectantes, per montes Cuthnæ, & Sobeſlauiam, ad Thaboritas ſe contulere, amicam ſibi ciuitatem, caſtriſq; ante urbem poſitis, Albertum expectauere. Ipſe cum copijs egreſſus, per Beneſcauiam ad eos feſtinans, legatos præmiſit, qui Polonis dicerẽt, Inter Caſimirum, cuius cauſam agerent, ſeq; belli præmium Bohemiam eſſe, cauerent ne incendia agitarent. Experirentur prælio, cuius prouincia eſſet: cultã potius q̃ deſertam mallent: ſeſe moram minime facturum, quin pugna litem regni definiat. Poloni ad hæc huiuſcemodi reſponſum dedere. Æquo ſe ferre animo Alberti arrogantiam pugnam petentis: nam ſuperos ſuperbis infenſos eſſe. Venturũ, non defuturũ prælium, Polonos faciem hoſti, non terga oſtentare ſolitos. Lætus eo nuncio Albertus, quadrato agmine in conſpectum hoſtis aduolat. Quo intra caſtra ſe continente, & ipſe caſtra ſua è regione Thabor ad iactum lapidis tormentalis metatus eſt. Pugnatum ſingulis diebus in campo, qui medius inter bina caſtra iacebat: nunquam totis uiribus in fortunam belli uentum, Polono non tam facile egregia manu facinora ædente, quàm uerba magnifica ore iactante. Erant in caſtris Alberti, Chriſtophorus Baioariæ princeps, qui poſtea regno Daciæ potitus eſt, Fredericus Saxoniæ dux, & Albertus marchio Brandenburgenſis, cuius nomen ab eo tempore cultum, magnũq; fuit. Triginta milia militũ Alberto parebant: Polonis quatuordecim milia, quorum caſtris iuncta ciuitas, magno adiumento erat. Tormenta quoq; ænea in utriſq; caſtris plurima, maiora apud Albertum fuere. Ex quibus uni quod erat maximũ, ignẽ admoueri iuſſit, cuius lapis emiſſus miræ magnitudinis, quũ præter opinionẽ in caſtra hoſtiũ cecidiſſet, multos mortales interemit. Vidiſſes paſſim corpora ſine capite iacentia, capita q̃q;, pedes, membraq; ſine corpore in cruore fluitare, iumẽta humi procumbere mortua. Neq; enim primo ictu duntaxat, ſed multiplici ſaltu pluribus in locis decidens ſaxum ſtragem fecit. Quare cõſternati Poloni, relictis caſtris intra urbem ſe recepere. Georgius Poggiebracius per idem tempus quũ Thaboritas peteret, nam & ipſe Ptarſconi iunctus erat, in alam quandã Alberti equitũ forte incidens, cõmiſſo prælio hoſtẽ proſtrauit, atq; hinc primum homini nomen datum. Albertus uerò quũ expugnari Thaboritę aliter q̃ fame nequirent, ſoluta obſidione, Bragam redijt: Poloni exhauſti argento, amiſſis equis, pedibus in patriã abiere. Fredericus Saxonũ princeps, dimiſſo rege domum rediens, hoſtiũ inſidias incidit. Sed nihil improuiſa re motus, ordinata raptim acie, ea conſtantia, eaq; fortitudine pugnã inijt, ut penè uictus captuſq; uictores uicerit, cæſiſq; quãpluribus, captos abduxerit. Rex Poloniæ

nondum

nondum cognitis quæ in Bohemia ſuis acciderãt, cum duobus magnis exercitibus Sleſiam ingreſſus,in Bohemiã properabat. Sed intellecta ſuorũ fortuna, populatis hoſtiũ agris domũ rediјt. Albertus autem relicto qui regnũ gubernaret Vlrico comite Ciliæ,per Sleſiam Gorlicium uenit. Vratiſlauienſibus uero,ea eſt ciuitas nobilis ac præpotens, & Sleſitarũ caput: Albertum marchionem Brandenburgenſem petẽtibus belli ducem dedit, qui Poloniã ſæpe infeſto exercitu petens,longe latecꝫ prædas egit. Non multis poſt diebus actum de cõcordia. Rudericus Burgenſis epiſcopus,natione Hiſpanus, doctrina ac uirtute præſtans,arbiter litis ex Baſilienſi concilio miſſus, Albertum conuenit. Diſceptatum eſt inter legatos partium: non conuenientibus, indutiæ belli dictæ,conuentus in aliam diem apud Vratiſlauiã ſtatutus. Eò ueniens Albertus, ex gradu forte prolapſus, grauiter læſus, pluribus diebus ægrotus decubuit.Exin claudus effectus,infecta pace, per Morauiam in Auſtriam rediјt.Interea comes Vlricus,qui Bohemiæ præerat,inter barones de uendicãdo ſibi regno agere cœpit. Albertus cognito eius ſtudio,properatim ſtipendia ſubtraxit,gubernationẽ dimiſit. Ille materia adẽpta,qua Bohemorũ animos ſibi conciliabat, ex prouincia diſceſſit:nec ultra remiſſus eſt, regni cura Mainardo & Vlrico Roſenſi cõmiſſa. Per idem tempus Deſpotus Seruiæ,quã Raſciã uocant,cum ſacerdotibus & nobilibus in Hungariã profugerat,Turcarũ impetũ ueritus,uno tamen relicto filio,q caſtellũ Sinderouiã in ripa Danubiј ſitũ,& à Turcis obſeſſum, tueret. Albertus ab Hungaris inuitatus,obſeſſis opẽ laturus,Budam petiјt.Interea Georgius Palotius,Strigonienſiũ pontifex,diem obiјt, qui coronã regni,diuitemcꝫ regum ſupellectilẽ in arce ſeruauerat. Qua re cognita,Albertus eò ſe confert: arx reginæ dedit. Quę dum theſaurũ regni coram baronibus ad eam rem ſelectis recognoſcit, coronam beati Stephani regis, quam ſacroſanctam putant, clam ſurripuit, anuicꝫ cuſtodiendam tradit,cætera obſignatis occludit arcis.

De morte Alberti inclyti regis. Caput LVI.

ALbertus Budam reuerſus, non expectatis auxiliјs, aduerſus Turcas exercitum ducit:caſtra inter Titiam amnem ac Danubiũ collocat. Interea Turcarum Imperator euicto caſtello, excæcatocꝫ Deſpoti filio, cuius ſororẽ in matrimoniũ duxerat, domum abiјt: crudelis, qui necꝫ coniugiј affectum ſenſit. Verum Turcis matrimoniј neceſſitudo leuis, apud quos ſinguli pro opibus plures uxores habent: regibus eo amplius nubere licet. Ita animus multitudine diſtractus, nullã pro ſocia, pariter omnes uiliter habet. Albertus ubi expugnatã Sinderouiam, Turcas abiјſſe cognouit,dimiſſo exercitu,Budã rediјt.Sed inſolito feruentis Auguſti calore uexatus,dum peponibus nimiũ oblectat, in uentris ſolutionẽ incidit,ſentienſcꝫ periculũ, moriturus in patria, Viennã repetere ſtatuit. Iter ingreſſus, quũ iam Strigonium præteriјſſet,in uilla quæ Longa dicit,condito teſtamẽto vi. kal. Nouembris

deceſſit:

decessit, princeps liberalitate ac fortitudine clarus, & qui cæteris rebus longe religionis studium anteposuit.

Quomodo Bohemi post mortem Alberti, eligunt in regem Albertū Baioariæ ducē, sed electioni consentire noluit. Cap. LVII.

BOhemi qui Alberti regis causa inter se dissidebant, cognita morte, apud Pragam cōuenientes, unum totius regni corpus efficiunt, atq; ad eligendum nouum regem ad viij. Kalendas Maias diem statuūt. Rochezana qui dudum apud Grecium exulauerat, domum reuertitur, suoq; more insaniens, Romanam ecclesiam, cardinalesq;, patriarchas, cæterosq; per orbem episcopos blasphemans, apud solos Bohemos incorruptæ ueritatis inueniri sacramenta dicit: preciosissimum Christi sanguinem paruulis ac dementibus prębet. Sacerdotes suæ temeritati aduersantes, domo pellit: popularibus cōmunionem sub specie uini recusantibus, ecclesiasticam sepulturam interdicit. Redeunt damnata tempora, suumq; placitum, suum quisq; ingenium recepit. Regina Elizabet iam filium ex Alberto pepererat viij. Kalen. Martij, Ladislaum nomine, atq; Hungarorū ei coronam imposuerat. Mittuntur ad eam legati, qui dicant ad eligendum regem diem statutā: si quid iuris in regno Bohemiæ ad se spectare confidat, oratores mittat, qui rem suam agant. Regina natum ex Alberto filium in cunabulis ostendit, rogat ne paterna hæreditate pupillum exuant. Tempus mittendi legatos arctum esse, neq; enim amplius quàm dies quindecim supererant. Si prorogetur terminus, missurā qui pueri iura edisserant. Erat inter legatos Procopius Rabensteinus nobilis eques, doctrina ac morum lenitate præstabilis, cuius nos amicitia pluribus annis oblectauit. Is quum Alberto seruisset, habiturum se curæ ait quæ regina mandaret. Reuersus in Bohemiam, eos primū adijt, qui partes Alberti fouerāt. Exponit reginæ desiderium, suadet proferri cōuentum. Res digna exauditione uidetur. Verum Ptarsco, & qui Alberti recusarant imperium, quum iam Pragæ conuenissent, regno consulendum quantocyus esse dixere, reginam spernere, instare, properare, uocare absentes: Illi diē ex die consulto proferre, moræ causas nectere. Interea legati ab regina ueniunt, fit frequens conuentus. Intromissi oratores proceres rogant, Sigismundi & Alberti suorum regū meminerint, nepotem filiumq; ne respuant: contra ius gentium paternam hæreditatem puero ne adimant, fœdera cum Australibus percussa ne uiolent, pupilli atq; orphani misereantur. Sunt nō pauci qui læto fauore legatorum postulata suscipiunt. At qui Albertum oderant, filium regem negare, cuius patri tanquam regi non paruissent. Infantem regno inutilem esse, regē à regendo dictum: qui regendus sit, regem uocari non posse. Antequam Ladislaus adolescat, longum tempus effluxurū posse, interim regem assumi qui per se regat. Satis esse Ladislao, si post quatuor & uiginti annos ad regnum uocet: medio tempore locum alteri faciat. Reges regno dari, non regna regibus.

Fredericum Austriæ ducem, iam Romanorũ regem electũ, Bohemis indulsisse, uti quem uellent regẽ sibi asciscerent. Vicit hæc sententia. Albertus itaq; Baioariæ dux, maiore procerum uoto rex declaratur, qui apud Vencessaum quondam nutritus, Bohemicæ linguæ non ignarus erat. Mittuntur ad eum primores regni, inter quos Vlricus Rosensis, homo semper se tempori accómodans, princeps fuit, qui licet Alberti partes olim defenderit, huius tamen sentẽtiæ suasor extiterat. Quibus ea res indigna uideretur, hi Procopium ad Fridericum Cæsarem clàm ire iubent, rogantes nobile regnum ne pupillo negligat, cuius tutelam susceperit. Iam enim Elizabet Hungarorum inconstantiam uerita, qui ad Poloniæ regem defecerant, Ladislaũ ad eum miserat educandum. Fredericus audito Procopio, missis ad Albertum Baioariorum nuncijs, hortatur ne regnum sibi alienum usurpare præsumat: quod quũ difficile, tum ignominiosum fuerit Bohemis, quibus defuncti regis hæres esset, non licuisse alium eligere, neq; se potestatem eam dedisse, quemadmodum in Bohemorum conuentu nónulli ementiti fuerant. Procopium uero in Bohemiã remittit, qui ius Ladislai haudquaquam se neglecturum asserat. Albertus ea uirtute atq; animi moderatione usus est, quæ postquã reges esse cœpere, rarissima semper fuit. Nam uenientibus ad se Bohemorũ legatis, amplũ & nobile regnum offerentibus gratias egit, qui se unum ex omnibus elegissent, cui parêre uellent, dignumq; tanto imperio iudicassent. Multa se idcirco debere Bohemis, neq; id unquam beneficij obliuioni daturum. At quum regis Alberti soboles extet, indecorum esse cum alterius iniuria regnum quærere, paternam hæreditatem nulli auferendam: qui pupillos suo iure dispolient, dijs atq; hominibus inuisos pœnas aliquando patrati sceleris dare: cognouisse se non uano rumore fœdus antiquum inter Bohemos & Austriales extare, deficiente mascula sobole principem ne foris assumant: fidem seruare pulchrũ, ne cui temere noceatur cauendum. Scelestam execrabilemq; uocem illorum, qui regnandi causa ius uiolandum astruunt. Atq; ita maiorẽ se spreto regno monstrauit, & si uerum fateri licet, clarissimum egit regem. Nam regnũ apud eos est qui spernunt, non qui cupiunt. *Alberti modestia*

De Ladislao infante Bohemorum rege XV. Cap. LVIII.

BOhemi ab Alberto repulsi, iterum conuenientes, legatos ad Cæsarem mittunt, petentes tutorio nomine uti regnũ accipiat. Is in Belgiam se iturum dicit, coronę suscipiendæ gratia: quum redierit, de re ipsa transacturum. Reuersum potẽtissimi ex Bohemia proceres adeunt, inter quos Ptarsco quũ esset Alberti filio insensus, seorsum Fredericum alloquitur, regem ut seipsum faciat hortatur, facile id futurum, si tutelam pupilli rejciat. Nam quum cęteri desint, Bohemos suopte ingenio regnum sibi oblaturos, cui ex fœdere tanq; seniori Austriæ principi debeat. Negauit Fredericus orphani cuius tutelam gereret, hęreditatẽ se quoquo pacto inuasurum. Nec tamen Bohemiam tu-

torio nomine administrare uoluit, quam sine profusione magna pecuniarũ retinere non poterat. Nã Bohemi nisi ex regibus quotidiana munera accipiant, ab officio recedũt. Necq; regnum est cuius fiscus abundat: regię possessiones in priuatas manus peruenere, argentifodinæ unde opes regiæ in immensum creuere, maiore ex parte perierũt. Distracti cẽsus, uectigalia prorsus extincta: nisi populares in sumptus regios pecuniam conferant, quam uocant bernam, aut rapere unde uiuat regẽ oportet, aut precario regẽtem mẽdicare. Suasit igitur imperator ipsi per se prouinciam regerent, donec pupillus adolesceret: donatosque oratores à se dimisit. Domum reuersis gubernatores eligere placuit, inter quos Ptarsco & Mainardus priores habiti. Stetit aliquandiu cõcordia discors. Nam licet Mainardo Ptarsconicq; factionum capitibus parum conueniret: & alter cõuenta cum concilio habita seruanda esse diceret catholicarum tutor partiũ: alter sperneret, Rochezanæ amicus: ab armis tamen abstinuere, mediumcq; quoddam temperamentũ inuentũ est, quo partium cuique suo uoto liceret uiuere. Verũ Ptarscone ui morbi repente extincto, Mainardi potestas aucta est, cui quũ Pragenses, tum potiores regni ciuitates paruere. Id ægre fuit aduersæ parti, quæ Ptarscone defuncto ad Georgium Poggiebracium se contulerat, eumcq; sibi ducem elegerat, iam tum rei militaris peritia, rebuscq; strenue gestis insignẽ. Orare igitur ne iacere suas partes sinat, Mainardum indies crescere, Pragam in potestate habere regni Metropolim, sacerdotes qui Romanum ritum introducant magnificare, qui ueritates patrum sequerent' persequi. Occurrendum temeritati hominis, qui peregrinos mores patriæ anteponat, Pragam ei auferendam, necq; id esse difficile: ciuibus nõ placere Mainardi regimen, Rochezanã multos habere amicos, qui excitato tumultu arma capessant: audendum esse fortibus uiris, fortunam ipsam aperire uictoriam. Georgius ipse qui suapte natura magna cuperet, collaudatis suasoribus nonnullos in urbem ire iubet, qui pertentatis ciuium animis quæcuncq; inuenerint ad se referant. Postquam multi aures adhibent, coniuratione facta, inuadendæ urbis dies constituit'. Coniurati incendium in parte urbis admodum remota excitant; concurritur ad restingendũ ignem. Interea Georgius ex aduersa parte cum copijs muros inuadit: nec mora, proditores in instanti portas aperiunt: extollit' clamor ut in capta urbe solet. Hinc tremor suprema timentium, inde exultatio uictorũ exaudiri. Trucidantur passim resistentes. Mainardus in eo tumultu captus in arcem coniectus, ibicq; tandem obijt, siue tædio diutini carceris, siue ut plericq; putauerũt, exhausto ueneno. Ex illo tempore Praga sine controuersia in potestate Georgij fuit, necq; posthac aduersari palàm uoluntati eius ex baronibus quiscq; præsumpsit, quibus potestas suspecta uisa, durum imperium, in concionibus laudare hominem, probare regimen, blandiri, adulari, unum eum esse dicere, qui tandem regni calamitatibus modum imponat. Id nulla uia rectius fieri posse,

Berna

Praga per proditionẽ capta

Mainardi mors

posse,quàm si rex in regnum ueniat,precari,numen obtestari, id patriæ non deneget,legatos ad Cæsarem mittat,instet,urgeat,facturum tutorem deniq; quod in pupilli rem sit: si pergat aduersari,nihil Bohemis imputandũ alium regem quærentibus.Sententia quamuis ingrata Georgio,accepta in auribus populi refelli non potuit.Missi ad Cæsarem oratores nihil impetrauere: pupillaris ætas excusationẽ præbuit,quanq; sæpius idem tentaret. Venere plurimi ex Bohemis ad Fredericũ uisendi regis gratia. Inter quos Georgius nomine Giscra,armorum gloria clarus , qui partes eius unus fermè defendèrat in Hungaria,quum rex Poloniæ regnũ inuasisset,† prædones sæpe acie fuderat:Ioannẽ Huniadem bis castris exuerat: rebellantes Hũgaros magnis cladibus affecerat.Is ubi ad conspectum regis intromissus est apud nouam ciuitatem,quo in loco tunc aderamus,astantibus plurimis illachrymans, Ladislai manum exosculatus,in hunc modum uerba fecit,Video te tandẽ teneoq; mi rex, si scires quæ pericula propter te adiui, quibus me laboribus implicui, quot aduerso corpore uulnera accepi.En cicatrices testimonio sunt,patri ego tuo tibiq; uitam deuoui.Nulla uis est,nulla fortuna,quæ alienare animum à te meum possit,officia mea sola tibi auferet mors. Sed tu hæc per ætatẽ non intelligis.Et subridens, Quod ergo,inquit,mihi præmiũ fidei ac laboris erit? & quod das militi tuo stipendiũ? Sextum tũc annum agebat Ladislaus:qui postq̃ Giscra finem dicendi fecit,oculos huc atq; illuc circumuoluens,loculos Ioãnis magistri cameræ suspiciens ex phylacterio pendẽtes, qua ille numos more Theutonico pauperibus erogandos asseruabat: hanc tacitus arripuit, æraq; sex tantũ,neq; enim plura inuenit, illinc deprompta Giscræ dono dedit. Admirati omnes pueri factum, & prouidum & liberalem futurum iudicauere.Giscra innexos postmodum auro numos è collo suspendit, regiæ gratitudinis monumentum. Hungari qui mortuo Alberto regem Vladislaũ ex Polonia uocauerãt,diu imperium Ladislai obtrectauere,bellumq; aduersus Turcas infeliciter gessere , in quo Vladislaus fortiter pugnãs obtrũcatus est. In conuentu deinde ciuitatum procerumq; Ladislaus rex appellatus : missa legatio ad Fredericũ Cęs.in qua regni primores fuere,decretũ electionis exposuit,Ladislaum in Hungariam mitti coronãdum postulauit. Responsum est recte Hungaros egisse,qui regem tandem suum recognouerint,electione tamen haudquaq; opus fuisse in eo,quem natura regẽ dedisset,neq; coronandum esse,qui semel coronatus sit. Puerum adhuc egere tutore, nullius tutelã salubriorẽ ei esse, quàm Frederici Imperatoris & proximi consanguinei: Expectarent ætatem regno idoneam,interea per se regnum administrarẽt.Diu inter Hungaros & Imperatorem ob negatũ regem inimicitiæ fuere,& armis quoq; tentata res est.Ioannes Huniades infestis copijs Austriam ingressus, quamuis ferro atq; igne agros uastauerit, regem tamen coronamq;, & quæ repetebat in Hungaria castella,obtinere non potuit. Pugnauit iterum cõtra

Giscra
als,Polonos

Turcas,à quibus magno prælio uictus,humilior factus,Cæsaris beneuolentiam & petijt & impetrauit. Ob quam rem quãuis sæpe & ab Hungaris & à Bohemis Ladislaus peteretur,res tamen ad duodecimũ eius annũ protracta est. At quum Fredericus imperialis coronæ suscipiendæ gratia Italiã petere statuisset,rursus Bohemi,Hũgari,& Australes,legationibus seorsum missis, Imperatorem fatigauere, Ladislaum reposcẽtes: postulata omnibus negata sunt. Ad Bohemos,qui ea de re conuentum Pragæ habituri erant,ac ferocius agere uidebãtur,regem alium electuri,nisi mos eis gereretur, legatos mittere placuit,quibus & nos additi sumus. Prouinciales,quibus apud Pragam dies statuta fuerat,grassante illic peste, in Beneschauia cõuenere,quos in frequẽti conuentu,præsidente Georgio Poggiebracio, in hunc modum alloquuti sumus,

Legat.imp. oratio

Petiuistis ex Cæsare uiri Bohemi, Ladislaum regis quondam uestri filium ad uos mitti:idem Hungari,idem Australes, importunis precibus exigunt. Si uobis mos geritur,illos offendere necesse est: si preces aliorum audiantur,contemnere uestras oportet: si necessarium sit alterum ex duobus,uestram amicitiam præferet Imperator. Vetus est enim maiorum suorum cum Bohemica gente fœdus, & acceptorum ultro citroq́ beneficiorum memoria recens. Sin uirtus claritasq́ pensitanda est,quis Bohemico nomini non inuideat,cuius uictorias tempestate nostra plures numerare licet, q̃ reliquæ gentes omnibus seculis comparare potuerint? Verum Cæsari hoc tempore in hanc electionem descendere haudquaq̃ necessariũ uidetur,quando ea pueri ætas est,quæ neq; uobis neq; Hungaris usui esse potest. Esto,ueniat in Bohemiam Ladislaus,quod inde regno emolumentum cedet? Ille ne ius litigantibus dicet? statum Reipub. reformabit? aduersus hostes copias ducet? belli, pacis'ue munia obibit? Nihil horũ præstare potest,cui recte tutela opus est. Illud in primis eius aduentus faciet, Regis pompa ducenda est,ornanda regia,adhibendi ministri,curia more progenitorum apparanda. Ad hæc grandi pecunia opus. Vobis nullum ærarium esse audio,nullos census,nulla uectigalia publica. Ad uestras igitur opes recurrendum, uos præstare sumptus, uos regem alere, uos inexplebilem curiam & insatiabiles ministros explere oportebit. Video præterea inter uos non paucos esse proceres, consilio,autoritate, atque opibus penè pares. Cura regis uni committenda erit, non omnibus:ille dominus,ille rex uester iudicabitur, qui regis corpus in potestate habebit. Et quis uestrum est, qui non eum honorẽ sibi quàm alteri malit? Semina inter uos discordiarum petitis, nisi prius in unum cõueneritis,qui regis curę pręsit. Vos his incõmodis Fredericus liberat,qui suo sumptu pupillũ regnum gubernans,dissensionũ uobis fomitem aufert. Nec uos latet,quandoquidẽ tenera regis ætas est, corpus eius in potestate Cæsaris rectius esse, quàm in alterius cuiuspiam. Ille enim consanguineus est,ex eadẽ familia natus,& Imperator. Et quis pupillo regi conuenientior tutor detur, q̃ princeps

principum?

principum? Si sit inter uos & Hungaros contentio coram extraneo iudice, de custodia corporis regis, par causa uestra atq; illorũ iudicabitur. Vtriq; regem petitis, utrique fidelitatis documenta præstatis. Verum in hoc illi superiores erunt, quia natũ apud se regẽ, coronatũq; dicent. Apud Cæsarẽ uestra causa longe iustior est, q̃ Hungarorũ: seipsum tamen in cura patruelis uobis præfert. Curate regnum, pupillum sibi dimittite, quem postquam pubes fuerit, uobis in primis credet. Quod uero oratores uestri dixere, alium regem accersiendum à uobis esse, id magis terroris incutiendi causa dictum Imperator existimat, quàm quod animo uestro ea sententia sedeat. Neq; enim uestra fides incorrupta prius, hoc repromittit, neq; progenitorũ Ladislai in uos collata beneficia hoc exigunt, nec innocens eius ætas quicq; demeruit. Cæterũ uoluite animo prius ut sapẽtes decet, quem nam Ladislao præferre possitis: cuius sanguinẽ, si matris originem memoria tenetis, quatuor Romanorũ Imperatores produxere. Si paternam prosapiam exquiritis, quinquies imperatoria dignitas in australi domo resedit. Obscuritatem quærat necesse est, cui tanta claritas non satisfacit. Addite potentiã, amicitias, clientelas. Austriã uobis uicinã possidet, Morauia, Slesia illi parent, Hungari & si res nouas moliri uideantur, ab officio tamen non recedent. Imperator à quo regnũ uestrũ dependet, sanguini suo nõ deerit, nec ius familiæ suæ negliget. Baioariæ Saxoniæq; duces, marchiones quoq; Brandenburgenses, & oẽs fermè Germaniæ principes, Ladislaum propinqua necessitudine attingũt. Nõ potest hic pupillus offendi, nisi & tota Germania lædatur. Hæc superflue uobis cõmemorari non ambigo: uerum ita iussit Imperator. Ille in Italiam pupillum secum adducet: reductum, puberemq; factum, si perstiteritis in fide, ad uos primum mittet. Vos interea pro grauitate integritateq; uestra, quod in rẽ Bohemici regni, pupilliq; sit, cõsulere admonet. Verisimilis oratio uisa, neq; sine fauore excepta est: acceptioremq; Procopius noster collega reddidit, q patrio sermõe, latinæ linguæ ignaris uerba nostra interpretatus est. Iussi sumus ex conuẽtu paululũ abire, mox reuocatis responsum datum. Redditæ Imperatori gratię, qui eam legationẽ misisset, atq; in dimittendo rege, Bohemos præferret cæteris. Accipere se bene consulta consilia, missuros ex nobilitate sua primarios iuuenes, qui Cæsarem Italiã petentẽ sequant̃, eiq; ministrẽt. Expectaturos quiete reditũ, quem felicem faustumq; superûm benignitate futurũ exoptẽt.

De morte Barbaræ imperatricis, uxoris Sigismundi. Cap. LIX.

Apud Grecium Barbara imperatrix ea tempestate decedit, inexhaustæ libidinis mulier, quæ inter concubinos illaudatũ æuum publice agitãs, sæpius uiros petiit quàm peteretur, neq; Christianæ neq; alteri cuipiam religioni astricta, quippe quæ superos inferosq; ullos esse negabat. Ferunt eam ancillas suas sæpe orantes ieiunantesue increpasse, quæ corpus suum frustra macerarent, fictumq; cœli numen placari uerbis crederẽt. Viuendũ suauiter *Barbaræ impietas*

dum uita suppetit, fruendumq́ uoluptatibus. Id tantum homini datū, cuius anima cum corpore simul extinguitur: somniare, qui alteram uitam sibi promittunt. Congrua moribus sentētia. Nam qui relicto animi cultu, uoluptati corporis se dedere, grauati uitiorū sarcina, non quibus explicent, uitamq́ corrigant, sed quæ cœptum iter approbent, ea dogmata facile imbuunt. Neque inquinatis mentibus solamen ullum ualentius, quàm si totū extingui morte hominē opinentur. Vna salus desperanti cœlum, inferos nō timere. Corpus Barbaræ quamuis infidelis fœminæ, Bohemi Pragam tulere, peractoq́ funere, in sepulchris regum cōdidere. Nec defuere sacerdotes, qui prophanum cadauer ecclesiastico ritu sepelirent. Nō sunt regibus scriptæ leges, nec in Bohemia quicquam non permissum. Fredericus postquā quieturos Bohemos intellexit, quorū motus in primis uerebatur, reclamantibus Hungaris & Australibus, assumpto secum Ladislao rege, Italiam ingressus, Augustalē coronam à Nicolao quinto Pont. Max. Romæ accepit. Exin uisitato apud Neapolim rege Alphonso, cuius tum opes florentissimæ fuerūt, cuiusq́ neptem in matrimonium duxerat, Leonoram regis Portugalliæ† filiam, moribus ac forma præstantem, domum rediјt. In eo itinere Ladislaus sæpe fugam molitus est, consilio pędagogi fretus, cum quo postea captus, usque in hunc diem custoditur in uinculis.

al's, sororem

Quomodo Australes Ladislaum regem ab Imper. petentes, non exauditi, bellum mouent, Nouamq́ ciuitatē obsident. Cap. LX.

AVstrales interea, suasore Vlrico Eizingero, sumptis armis præsides prouinciæ à Friderico institutos ui pellūt, gubernatores ex seipsis duodecim eligunt, summā rerum Eizingero cōmittunt. Incentorem quoq́ noui tatū, alterū Vlricū Ciliæ comitē in societatē accipiunt, auxilia ex uicinis gentibus accersiunt, reuersum Imp. missis legatis, aut regem Ladislaū tradere, aut bellū expectare iubent. Postulatis non tam reiectis q̄ suspensis, impatientes magis moræ q̄ belli, infestis signis Nouā ciuitatē petunt. Cōmittitur primo aduentu atrox pro portis præliū: nullus sagittis modus, cadunt sine numero tela. Bombardæ stragem hostium horrendā ædunt. Miserabile uisu, disiecta passim membra equorū atq; hominum cernere, cruorem late fluentem aspicere. Quà densissima fuit, unus perfregit aciem lapis emissus, idem alius atq; alius fecit, prostratis quicunq; occurrēre, inermibus atq; armatis: nec tamen intermissa pugna. Conglobati hostes, magis ac magis instítere. Vbi res gladio geri cœpit, ac uir uirum manu prehēdit, equus equū impulit, pugnatum est aliquandiu æquo marte. Postremo Cæsarianorū acies nō tam uirtute q̄ multitudine superata, terga dedit, atq; in urbem trepide se recepit, unius militis Andreæ Poumkircher, postea à Cæsare ad Baronatū suffecti audacia ciuitatem tutata est. Qui ne uictores cum uictis uno agmine irrūperent, tādiu pro porta solus impetum tenuit, donec cōuersi fugientes, globo facto, ex loco

Poūkircher

difficili

difficili hoste repulso ianuam clausere. Firmata est deinde obsidio, & oppugnata machinis mœnia. Ex Bohemis solus Henricus Rosensis cum ducentis equitibus, peditibus fermè octingentis in castris fuit. Hungari nondum uenere. Neq; enim per inducias bellū inferre Cæsari licebat. Australes circiter duodecim milia milites expeditos in armis habuere. Georgius Poggiebracius Cæsari, cuius erat amicus, opem laturus, † sedecim milia militū cōgregauerat: sed audita concordia, in agrum regulorum Rosensium exercitū duxit, uillasq; late populatus est. Imperator enim interuentu Caroli marchionis Badensis, Sigismundiq; Salczburgensis archiepiscopi, Ladislaū è manu sua dedit, Australibus multa promittentibus, quæ postea barbara fide negauerunt. Inter cætera cōuentum erat ad iij.† idus Nouembris conuentum Viennæ habere, in quo uocati utriusq; partis consanguinei, Bohemi quoq; atque Hungari, de tutela regis nondum puberis iudicarent, Ladislaum interea in potestate comitis Ciliæ extra Viennam degere, nihil prius administrare q̄ consilij decretum fieret. Verum puer postridie in urbem ductus, summis nouisq; honoribus exceptus, euestigio magistratus in ciuitate creauit: præfecturas tota prouincia instituit: sacerdotia donauit: regio more curiā erexit. Hungari ad eum uenere, inter quos Ioannes Huniades fuit, qui tum comitatum Histricensem regia beneficētia consequutus, haud aliter quàm principes consueuere, nouæ dignitatis insignia suscepit. Accersiūt & regem suum Bohemi, cum Georgio Poggiebracio, quibus non minora Ladislaus pollicitus, quàm pater atq; auus promiserant. Postquam dies affuit cum Imperatore constituta, Ludouicus Baioariæ, & Gulielmus Saxoniæ duces, Albertus quoq; marchio Brandenburgensis, Carolus Badēsis, & multi ex Germania prælati ac principes aduenere. Frequens conuentus habitus. In quo præsidente Ladislao, oratores Imperatoris, inter quos & ipsi fuimus, ita auditi sunt, ut uicti apud uictorem. Frustra æquitas, frustra honestas, in mediū deducta. Cuncta ex arbitrio comitis gerebant. Ipse pro rege uerbum facere ac respondere, qui neq; leges neq; pacta uictorem obligare posse aiebat. Fredericum & iure simul & bello excidisse, armatis ac fortibus iura fauere. Postremo infectis rebus conuentus dissolutus. Nicolaus cardinalis sancti Petri, doctrina & uitæ integritate conspicuus, ad componendam pacem apostolico imperio missus, ab Australibus reiectus est. Ladislaus quamuis rex appellaretur, alieno tamen arbitrio ductus, in regnis suis triumuiratum deduxit. Ioānes Huniades Hungariam rexit, Poggiebracius Bohemiam, Vlricus Austriam. Penes hūc maior autoritas, qui regem in potestate habens, illis quoq; imperare posse uidebat. Promiserat Vlricus & Hungaris & Bohemis regē ad eos propediem uenturū. Hungaris primum satisfacere statuit, diem illis apud Pozoniū cōstituit, eoq; regem ducit. Conueniunt freqūetes Hungari, res ibi pro uoluntate Huniadis ordinantur. Potentiori omnia parēt. Vlterius regnū ingredi neq;

al's, xi. *al's, Kal.* *Ladislai inauguratio* *Triūuiratus*

regi neq; comiti uisum. Fit reditus in Viennam. Bohemis dies statuitur, quâ regem coronandum Pragæ suscipiant. Erat inter Bohemos Ioannes Smiricheus, homo nobilis, & facundiæ gratia inter primos constitutus. Is postquã regem Bohemiam ingressurũ cognouit, literas huiuscemodi ad eum dedit.

Smirichei fortuna Ioannes Smiricheus Ladislao regi salutem. Venturum te quamprimum in regnum tuum probo, si modo imperaturus ueneris, non pariturus. Inermem impotentem'que intrare non laudo, nisi bicipitem mater peperit, ut ex duobus capitibus unum Viennæ apud amicos dimittas, alterum Bohemorũ dubiæ credas fidei. Vale. Epistola comiti reddita est, qui cognito tenore Georgio eam remisit. Ille accersito procerum concilio, inter quos Ioannes nõ in postremis erat, literarũ sensum suppresso scribẽtis nomine recitat, quid mereatr scriptor percunctatr. Dignũ morte primi iudicãt: nec Ioannes suo loco sententiam dicere iussus, aduersari audet: proditorem & ipse patriæ, afficiendumq; summo supplicio censet, qui ea scripsit. Profertr mox epistola eius manu conscripta, & impressum annuli signum recognoscitur. Damnatus ore suo, comprehenditur: duarum horarũ tempus datur, in quo, si uelit, & animæ suæ saluti, & domesticis rebus consulat. Nec diutius uitæ dimissus, gladio percutitr. Sic uir magis eloquens q̃ cautus, dũ alienã seruare uitã studet, perdidit suã.

De eiectione comitis Ciliæ, & priuatione administrationis suæ. Caput LXI.

COmes interea, ut quàm splendide regem in Bohemiam duceret, haud ignaue operam dabat: ad eam rem non parum auri necessarium erat. Publicum ærarium exhaustũ, qui eam summã crederent, neq; negociatores, neq; proceres inueniri. Mos est Australibus, quoties repentina principi necessitas ingruit, ex subditis pro modo facultatum pecuniam exigere, quam

Steura uocant steuram. Id tamen iniussu prouincialiũ haud permissum. Huc ergo recurritur. Conuocantur apud nouum Triticiburgũ pro ueteri consuetudine quatuor ordines, sacerdotes, barones, nobiles, ciuitates. Ibi comes præsente rege conuocationis causam edicit. Iter in Bohemiam regi necessariũ ostendit, qua pecunia sit opus exponit, principi suo ut subueniãt hortatur, neq; inopẽ mendicantiq; similem ad coronã suscipiendã ire permittant. Conuentus deliberandi copiam petit. Ibi Eizingerus, qui iampridem à comite spretus, extra regis gratiam eiectus, occasionẽ qua se uindicaret expectabat, idoneum nactus tempus, uocatis seorsum primoribus, quos sibi fidos, comiti infensos

Eizingeri oratio credit, ita loquutus fertur, Quid agimus uiri Australes, semper ne Ciliensis mancipia erimus? Imperatoris iugum excussimus, ut comiti seruiremus? Moderatius certe illius regnum fuit, tolerabilior dominatio: Ille in austria natus, nostrorum principum sanguis erat: & si uerum fateri libet, nostri domini dominus. Quia tamen ex re sua magis quàm principis nostri prouinciam rexerit, arma sumpsimus, præfectos eius eiecimus, regem nostrum uindicauimus.

Hic ille

Hic alienigena nostra demũ ætate principatus honore donatus, nos omnes pro seruis habet. Cui nostrum de Repub. consilium creditur? Iniussu nostro rex in Hungariam ductus est, superis gratia qui remiserunt incolumẽ. Nunc nescientibus nobis promissus Bohemis, Hungarica Bohemicaq́; negocia solus comes pro libidine sua ducit. Neq; contentus duorum regnorũ gubernatores uectigales sibi fecisse, Austriam solus exhaurit. Nam quota portio est, quam regius sumptus accipit? Quicquid reliqui est, comiti cedit. Maior ei q̃ regi familia seruit. Taceo concubinã instar reginæ cultam, cuius uirũ conciuẽ nostrum O Vienenses interfecit. Plena prædonibus & meretricibus domus eius, inter hos regias opes effundit. Magistratus, præfecturas, sacerdotia uendit: ubi non sufficiunt publica furta, ad priuatas facultates manus admouet. Quicquid olim peccauere opulenti, hodie plectitur: nulla uetustas impunitatem criminis habet. Neq; tuta innocentia est, inconuicta puniuntur scelera. Et offendisse maiestatem conuincit, quisquis diues habetur. Nemo suæ substantiæ certus dominus. Equi, serui, liberi, coniuges uestræ, pro libidine comitis auferuntur. omnia ei licent, neq; pauciora uult quàm potest. Nunc sumptus regij petuntur, quibus in Bohemiam pergat. Fateor non iniqua postulatio est, si fraus absit. Cautiorem me comitis artes ac uersutiæ reddunt. Sibi hæc pecunia, non regi quæritur: nouum aliquod bellum, nouum argentũ pariet. Nostris alitur malis, sua quies, pax eius, nostrum bellum est. Insecurum facit nostra securitas. Pudet me patientiæ nostræ, qui si uiri essemus, facile opprobrium hoc è nostris oculis eijceremus. Sed fuit hactenus prohibita conuentio: nunc simul congregatis Reipub. licet consulere. Resumite alacres spiritus, amicos quisq; uestros cõmonitos reddite, ad imperium præsto cum armis adsint. Accingimini mecum, aut uobis libertatem, aut mihi mortem patabo. Illud in primis mihi ex usu uidetur, multitudo ne regi postulata deneget, paucos ex primoribus eligat, qui regẽ adeuntes, semotis arbitris prouinciæ necessitates exponant. Non dubium quin uobis mihiq́; id muneris demandetur. Ego, si regis alloquendi facultas detur, exclusurum me comitẽ nequaquam ambigo. Placet Eizingeri consilium, dant inuicem dextras, iureiurando se astringunt, alterum alteri non defuturum, donec comes eijciatur. In conuentu prouincialium quæ uolunt ex sententia ordinant. Nec morati, regẽ adeuntes, daturos argentum prouinciales offerunt: esse tamen quæ soli sibi mandata perferant, Rempub. Austriæ concernentia. Iussis exire cæteris, soli apud regem manent. Ibi Eizingerus regem Australi sanguine natum dicit, nullos sibi fideliores Australibus esse. Imperium eius illis naturale, cæteris uiolentum. Consilium ab his recipi oportere qui amant. Moleste ferre Australes, principis sui negocia non bene administrari, expilari prouinciam, uexari subditos, uicinorum odia prouocari. Comitem ditare suos, regem ad inopiam redigere; Ladislaum regem uocari, comitem regnare.

Tyrannidis imago

Eizingeri accusatio

bellum

bellum ab eo cum Imperatore nutriri. Gubernatorem autem Hungariæ annua quatuor & uiginti milia numũ regi pendere, comiti duodecim milia. Idipsum reliquos prouinciarũ præsides facere, omnes comiti uectigales esse. Nihil dubium quin ea mens hominis ad regnum quoq; aspiret: amouendum eum priusquam meditata perficiat. In atrocibus delictis etiam cogitationes plectendas esse. Posse haud difficile comitem eiici, uerum taciturnitate opus. Aperto consilio postquã regi cuncta placent, intromisso comite deliberatio conuẽtus exponitur: promissa pecunia dicitur. Viennã tamen dum exigitur esse petendam, ordinandam ciuitatem, ne quid in absentia regis turbarum exoriatur. Ficta pro ueris plerique referunt. Commendat deliberata comes. Eizingerus Viennam præcurrit, senatũ de mente regis edocet, cuius reditus ciuitati iucundissimus fuit. Nihil prima die actum. Postera summo mane Eizingerus regiam adit, collocatis in proximo diui Augustini templo mille armatis, qui præsto ad signum erumpant, alios tectis armis intrare palatiũ iubet. Conueniunt frequentes consiliarij, regem in cubiculo salutant, proceres exiturum in aulã expectãt. Ex familia comitis nemo intromittitur. Vltimus omniũ adest ipse comes, qui apud concubinã dormierat: nec tã cito uenisset, nisi uocatus ab amicis in palatio nouas res in palatio parari accepisset. Pulsãti fores non patuere, donec furens calcibus insultauit. Vbi ad regem uentũ est, silentium aliquandiu seruatum. Deinde Eizingerũ innuente rege ita loquutũ accepimus: Ab hac hora comes regiam tibi curiã interdictam scito, abi quò libet gentium. Neq; posthac gubernatoris nomen, neq; consiliarij, neq; regij familiaris usurpes. Hæc me tibi dicere rex iussit. Ad ea comes, nihil mutato uultu, forti & constanti animo indignum se cui talia dicerentur respondit. Aemulorum suorum ea esse, non regis: solere principes qui de se benemeriti essent, his meliora referre: se patri Alberto, se matri Elizabet, se ipsi Ladislao summa fide seruiuisse, pro eo prius fudisse sanguinem quàm nasceretur. Bella eius causa difficilima confecisse, fuisse in carceribus, patrimonium profudisse, Imperatoris odium incidisse, ut regnum ei conseruaret, scire se benignũ regem habere, & accepti beneficij memorem. Quæ dicta essent uerba, moribus suis nõ conuenire: Eizingerum ea excogitasse, qui iampridem sibi fuisset infensus, quoniam pro sua libidine expilare regis bona non potuisset. Orare ne plus inimicorum odia quàm sua merita ualerent: ne bonitatẽ regiam aduersariorum malignitas uinceret. Fit silentium loquuto comite: nõ satis certo senatu, an rex in sententia persisteret, & mutatum eius animum ratione comitis uerebantur, inclinaturi quò ille se uerteret, ex cuius nutu pendere uictoriam norant. Eizingerus de statu suo solicitus, nihil cunctandũ ratus, priusq̃ rex comiti responderet: ita inquit, Ego mandãte rege uerba feci, nihil de meo loquutus sum: ipse adest, ipse me iudicet. Dabo merito pœnas, si meam tibi comes, non regis uoluntatem exposui. Effare tandem rex optime, nec nos ultra

ultra suspensos teneto. Tum rex placide, ut cõsueuit, Ex mea, inquit, intẽtione ac uoluntate loquutus est Eizingerus: atq; his dictis subticuit. Vidisses erectas Australium mentes, & iam comiti tanquã uicto eiectoq; insultãtes. Ille ad proceres exiens, quos in aula congregatos diximus, eiectionis suæ contumeliã exposuit, consilium atq; auxilium expetens. Quibus in uoluntate regis omnia sita respondentibus, ad sororẽ regiam se contulit: ab ea præter lachrymas & muliebrem eiulatum nihil extorquet. Et iam undiq; per palatium ire armatos animaduertit. Cedendum itaq; potenti inuidiæ censuit, neq; parũ putauit ex inimica ciuitate saluũ corpus educere. Clientes eius audita rei nouitate, sibi quisq; fuga consuluerant. Tacitus igitur & cõfuso similis cum quatuor tantum comitibus ex aula discedens, in patriam suã concessit. Albertus marchio Brandenburgensis ne populares saxa in eum iacerent, ad portam usq; tutũ iter fugienti præbuit. Verum queis prohibitæ manus fuere, linguæ libertate usi probrosa in abeuntẽ maledicta omnis generis cõgessere. Inconstantis fortunæ singulare documentum. Nam qui paulo ante tutor regis & secundum in Austria caput erat, in quem omnium oculi respiciebãt, qui belli pacisq; munia solus agebat, unico regis uerbo potestate priuatus, inops consilij, & animo confusus abijt.

De coronatione regis Ladislai. Caput LXII.

REx paulo post magnificentissimis apparatibus Bohemiã petijt, atq; in Praga summos consequutus honores, regni coronam accepit, Bohemi in eius sumptus suorũ quisq; censuũ tertiam partẽ contulere. Ex ea pecunia coronationis solennia peracta sunt, supportata curiæ onera, & nonnulla coronæ castra redempta, quæ uel Georgio Poggiebracio, uel amicis eius cõmisere. Mansit ibi non paruo tempore Ladislaus, nec unquam hæreticorũ ecclesias quãuis sæpe rogatus intrauit, neq; sacris eorũ interfuit. Presbyter quidã ex factione Rochezanæ, in sacello arcis rem diuinam facturus, sacerdotali ueste ornatus ad altare conscẽderat. Rex eo in loco sacra quibus interesset, celebrare iusserat. At ubi hæreticũ id muneris occupasse, nec uelle alteri locũ facere didicit: misso magistro militũ, prophanũ sacerdotẽ nisi abiret, rapi extra sacellum, & de proxima rupe præcipitari iussit. Illi charior uita quàm contumacia fuit. Rochezanã in celebritate corporis Christi sacram eucharistiã per urbem deferentem ex fenestra conspicatus, nullum reuerentiæ signum præbuit. Percunctantibus amicis, ut quid sacramentum inhonestasset? Non me latet, inquit, diuinissimum Christi corpus dignius esse, q̃ per me satis honorari possit, nec mea reuerentia gloriã eius auget, neq; dehonestatio decus imminuit. Verũ mihi cauendũ fuit, ne dũ Christũ honoro, sacrilegũ presbyterũ Rochezanam popularibus approbasse uidear, quorum plerunq; mores ex principe pendent. Nec illi me deũ contempsisse putabunt, cuius sacratissimũ corpus in catholici presbyteri manu summis me semp̃ honoribus prosecutũ

uidere,

uidere. Grauis hæreticæ factioni iam mora regis in Bohemia esse cœperat, cuius sacraměta ab eo & à cæteris principibus dietim cōfluentibus cōtemnebant. Et iā qui decepti errabāt, aliorū contēplati mores, suas ineptias cognoscentes, relicta Hussitarum perfidia, ad ecclesiam reuertebantur. Ob quam rem cupientem in Austriam reuerti regem, nullus hæreticorū est aduersatus. Prius tamen quàm rediret, Vratislauiam nobilem urbem reuisit Slesitarum caput. Ibi quum diuinis interesset in æde pontificali, frequentesq; principes conuenissent, Poggiebracius quoq; proximus regi astaret, fama est, eaq; per uulgata, Chilianū quendam parasitum ex his qui stultitiam simulātes alios stultos faciant, Poggiebracium his uerbis compellasse. Quo uultu sacra nostra inspicias plane aduerto: animum non intueor. Fare obsecro, nónne satis nitida tibi nostra uidetur religio? Vidés ne quàm multi & magni principes, & ipse rex noster unum ritum sequantur? Quur non his potius quàm Rochezanæ cōsentis? An plus sapere paucos Bohemos quàm reliquā Christi ecclesiam censes? Quin relicta incōdita plebe, nobilitati te iungis nobilē? Ad quē Poggiebracius: Si tua hæc sunt uerba, inquit, non es quem simulas, tibi tanquam prudēti respondeo. Sin aliena, satisfacere me illis oportet: audi ergo. Ecclesiasticas ceremonias sua quisque pro fide gerit. Sacrificia ea facimus, quę credimus deo grata. Neq; nostri arbitrij est credere quod uelimus. Victa magnis rationibus mens humana, uolens nolensq; capitur: utq; natura instituta est, altera facile trahitur, altera elabitur. Mihi persuasa est meorū sacerdotū religio. Si tuam sequar, homines fortasse fallam, animæ meæ contrarius: deum qui corda inspicit, nequeo fallere. Neq; me tui similem esse decet. Aliud histrioni, aliud uero nobili conuenit. Hæc uel tibi habeto si sapis, uel his referto, qui te submisere. Comes Ciliæ dum hæc geruntur, fractus animo, & omni spe reliqua destitutus, ab eo petere salutem coactus est, cuius saluti fuerat insidiatus. Ad Fredericum igitur confugiens, malo se usum consilio dicit, qui dominum suum reliquerit atq; impugnauerit, recepisse se patrati sceleris pœnam, regia curia deiectum, & in alienis hospitijs auxilia mēdicare coactum. Pœnitere quamuis sero prioris uitæ, dignus tamen cuius Cæsar misereatur, qui non tam nocuisse quàm prodesse possit. Restituturum Austriam, si suo consilio fides sit: nam secum primores prouinciæ sentirent. Petit errati ueniam, & in posterum magna pollicetur, si pristinam in gratiam recipiatur. Cæsar cui uerba dare difficillimum esset, multa se comitis defectione passum damna commemorat, eaq; resarciri expostulat. Neque Austriam sibi promitti sufficere, quæ non esset in comitis potestate: si sua quæ possideret comes traderet, posse reconciliationem sequi. Sin minus, non placere pœnitentiam, quæ non sentiret pœnā. Diu res agitata est. Postremo quū Fredericus facta cuperet, comes uerba tantū offerret, infecto negocio discessū est. Erat per idem tempus inter Franciscū Sfortiā Mediolani ducē, & Rempub. Venetorum

Chilianus histrio

Poggiebraci grauis oratio

Comitis Ciliæ purgatio

Venetorum, graue atq; atrox bellum. Alphonsus Siciliæ rex Venetos adiuuabat:atq; ob eã causam Florentinos Francisci amicos armis premebat,eũq; Senenses sequebantur. Nec dubium erat quin Francisci conditio multo inferior uideretur.Quod quũ ipse aduerteret,externa ex Gallis auxilia accersiuit, conducto grãdi stipendio,Alphonsi æmulo,Renato Lothoringiæ duce,qui paulo ante ex regno Siciliæ fuerat expulsus. Huius aduentu magna fortunæ inclinatio facta est:& Venetorũ exercitus loco pulsi,debiliores uisi sunt.Sensit hæc Ciliæ comes,atq; hunc suæ miseriæ finem sperare cœpit.Missisq; ad Venetos legatis, uenturũ se cum ingentibus Bohemorum copijs auxilio pollicitus est, & finem bello impositurũ,si stipendia darentur.Neq; id erat difficile,nam Bohemi nouarũ rerũ cupidi,& in armis educati, nullo imperio domi teneri queunt,si quis militantibus mercedem offerat.Adhibuerunt aures Veneti.Sed quũ longinqua militia multum auri exposceret,oblatam potius cũ hoste pacem accipere,quàm dubiũ emere bellum uoluerũt. Frustratus ijs comes, postq; foris nullum exilij sui præsidiũ reperit,per amicos reconciliari Ladislao quærit. Neque amplius aduersata fortuna est. Inuisus Baronibus Eizingerus, quorũ auariciæ atq; rapinæ obsistebat, conseruare gratiã regis nequibat: quũ illi modo per seipsos, modo per filios, qui regi diu noctuq; astabãt,Eizingerum criminarentur,& indigne pulsum comitem dicerent,regi propinquũ,& qui sibi regnum restituisset. Libuit igitur ab exilio reuocare comitem.

De reductione Vlrici comitis Ciliæ & restitutione amministrationis sibi factæ. Caput LXIII.

COmes Ciliæ ijs gestis,per amicos clàm regi reconciliatur, reuersurusq; Viennã magno & splendido apparatu,mille ducens equites expeditos armis,adit:uenienti rex obuiam extra urbẽ factus est. Proceres, nobiles,populares,omnes secuti,salutare,amplecti,laudare comitẽ:certare inuicem,contumeliosius eiecerint, an magnificentius reuocauerint. Mira rerum mutatio. Qui pauloante mœstus in exilium ierat, in triumphantis modũ reuertitur. Eizingherus,qui culmem potentiæ consecutus eum deiecerat, quod in alium statuit,in seipsum pati cogitur. Intrante nanq; urbem comite,ipse cũ amicis egreditur,spontaneũ exilium eligens. Lubricus apud reges primus est locus, nec solida potestas,unius uolũtate subnixa.Ferunt comitẽ,Eizingheri cognito recessu, laudasse hominẽ, qui fortunæ ludibrio se subtraxerit: paratam ei turpissimam fuisse mortem, si iudicium expectasset. Vsurũ optimo consilio, si curiales procellas perpetuo declinauerit. Nec etiam sibi ipsi curiæ mores placere,fluxa incertaq; omnia esse,omnibus horis instare pericula,acceptam superiori anno ignominiã menti suæ semper hærere,semper ante oculos esse turpem eiectionem,cõtumeliosum exilium,probrosa uerba: mirari quod nõ peiora pertulerit.Deo gratias agere,qui pristinum sibi statũ reddiderit:satis-

Comitis restitutio

Eizingeri exilium

s factum

factum honori suo esse, nec plura cupere. Mansurũ tamdiu apud regem, donec electionis infamiam gloriosi reditus rumor extinguat: potentiam deinde & regis amicitiã, & populares aures malle se dimittere quam perdere. Non tam fortiter ea fecit, quàm dixit sapienter. Potentiam qui consequutus fuerit, nemo tam facile deponit, quàm damnat. Retinent amici, implicat gloriæ cupido, obstat inimicorũ metus: semper est quod crastinare compellat. Facilius Gordij famosum in Asia nodum quis soluerit, quàm potentiæ regniq́ blandicijs sese explicarit.

De dolo comitis Ciliæ, Ioannem Huniadem ab administratione regni Hungariæ cupientis amouere. Cap. LXIIII.

HVngari postquã regem in Austriam redijsse accipiunt, legatos ad eum euestigio mittunt, utq́ in Hungariam ueniat, suum regnum uisitatum petunt. Ioannes Huniades per idem tempus Hungariam ferè uniuersam in potestate habuit, regiæ arces in manu eius fuere, equestres pedestresq́ copię uni ei paruere. Id nonnullis regni baronibus inuidiosum ac molestum erat, atq́ in primis comiti Ciliæ, qui locum eius optabat, nec post electionẽ ab eo promissum acceperat aurũ. Criminari ergo Ioannem, regi odiosum efficere, illum regem esse, non Ladislaum, uectigalia ad eum cuncta deferri, munitissima regni oppida, arces, equos, arma in potestate eius esse. Nihil dubiũ qn regni coronam quærat, si nequeat per Christianos, conaturum per Turcas, quibus bis magnos Hungarorũ exercitus prodiderit. Palàm Turcis infestũ uideri, clanculũ esse amicum. Bis fidem ab eo uiolatam, reginam Elizabet, introducto rege Poloniæ, contra ius fasq́ repulsam, Polonũ quem accersierat, in bello desertum. Si pergat in Hungariam Ladislaus, eius manu aut ui, aut ueneno periturũ. Id solum quæri, dum regis in Hungariam transitus petitur: qui prouincias ex arbitrio suo regunt, eos sine fraude dolisue superioris præsentiam nõ expetere, insidias proculdubio in caput regis paratas esse. Præueniendum facinus, & in autorẽ uertendum scelus: promittendum in Hungariam iter, prius tamen Ioannem sub specie pacandi regni ad curiam euocandum, uenientem capiendum atque necandum: sic Ladislaum paterno regno perfrui posse. Tutissimũ illud consilium ac salubre uisum: compositis insidijs, Ioannes ad regem uocatur. Ille ab amicis de fraude certior factus (difficulter enim res magnæ silentur) pariturum se regi in Hungaria respondit, iturumq́ quocunq́ iusserit: extra regni fines non esse obnoxium. Mittuntur igitur ad eum primores curiæ cum comite Ciliæ, qui secum in finibus Hungariæ conueniant ad oppidum† Coziæ, conenturq́ Viennam abducere: si nequeant, intra oppidum arte tractum interficiant. Ioãnes ad iactum teli cum duobus milibus equitum constitit, colloquiũ in campis offerens. Comes Ciliæ se regis uicem gerere ait: gubernatori eos adire qui regis mandata perferãt, haud indecorum esse, neq́ se ita ignobilẽ, ut cedere Ioanni debeat, colloquiũ intra oppidum

Marginal notes: Accusatio ᵭ Huniade (manuscript); al's, Gorzæ

oppidũ & quietius & honestius haberi posse. Ioãnes legationẽ ad se missam dicere, legatos ei cedere ad quẽ mittantur: de nobilitate non esse in præsentia certandum. Cæterũ in Hungaria, comites Ciliæ regni gubernatorẽ sequi solitos: postremo munita se oppida minime ingressurum, nisi præsidium intus habeat, æque ut comes. Ita rebus infectis discessum. Noua deinde fraus excogitata. Vicerũt Ioannẽ cõmunes amici: aduentus eius in Viennã promissus, si modo rex principesq́ nominati suis literis securitatẽ facerent. Oblata sunt omnia quæ optauit. Ille ad octo milia passuum Viennæ appropinquauit. Ad quem Lambergius nobilis eques, iussu comitis egressus, properare eum festine iussit: iam enim rex magno comitatu obuiã exisset, & cum eo comes, qui literas publicę fidei afferret. Motus eo nuncio Ioannes, triginta fermè stadia uersus urbem profectus est, inspiciẽsq́ late campos, quum neminẽ exire obuiam cerneret, in propinqua uilla consedit. Tantisper moratũ, comes cum quadraginta tantum equitibus adijt, & ne regem occurrentem moraretur, equum repente ascendere, festinareq́ iussit. Cui Ioannes: Late, inquit, campi patẽt, neq́ ego uel regem uel alium quempiam uideo uenientẽ. Tum comes æstum causatus, regem intra uineas & arbores expectare in umbra dixit. Interrogatus de literis, apud regem eas esse respondit. Intellexit fraudem inesse Ioannes, seq́ uerbis incassum duci. Conuersus ad Lambergium, Recte, inquit, mentitus es mihi. Cui Lãbergius, Quæ iussit comes, ea dixi: si quis error inest, eum argue. Ipse suam causam agat, qui mandauit: mihi parêre necessarium fuit. Rursus Ioãnes comitẽ intuens: Siccine ludificare homines pergis? Fraude me appetis? ego te ui possem perdere. Incideras in foueam quam fodisti, si uellem. Quis prohibere potest, quin ego de te hodie ultionẽ accipiã, dignaq́ tuis factis præmia reddam? Reuerentia regis te saluum facit, illi tuã uitam dono, non tibi: caue posthac meos ante oculos ueneris. Atque ita rursum cõueniendi spes adempta. Multa post hæc inter Hungaros & regẽ agitata sunt: & cum ipso Ioanne pactiones habitæ, arces nonnullæ regi redditę, rex ipse Budam profectus. *Magnanimiter*

De cruce signatis, & pugna eorundem contra Turcas, uictoriaq́ apud Albam in Hungaria. Cap. LXV.

INterea mortuo Romæ Nicolao quinto Pont. Max. qui Eugenio quarto successerat, Calixtus tertius Petri cathedram est adeptus. Qui cognita Mahumetis Turcarum Imperatoris uoluntate, Hungariam sibi armis subijcere cupientis (iam enim Cõstantinopolim Græciæ culmen expugnauerat) Ioannem cardinalem sancti Angeli, uirum industrium ac magnanimum, cum legatione in Germaniam misit, septẽtrionis uires in Turcas concitaturũ. Coactus est exercitus nõ tam armatus quàm fidelis. Vulgus incompositũ, populares, inopes, arma sumpsere, quos æternæ uitæ præmia cõmouerunt: opulẽti homines, præsenti rerum statu contenti, domi mansere. Odiosus plerunque

potentibus sermo diuinus: quibus desunt facultates, leuis in cœlum uolatus. Mahumetes aūt Constantinopolitana uictoria superbus, cōgregatis ingentibus copiis, in Thracia per tribulos in Hungariā properans, centū quinquaginta milia pugnatorum ducere ferebatur. Et inflatus opinione sui, tantoq; tumens exercitu, nil dubitare, qn deuicta Hūgaria, Illyricos penetrare sinus, atq; intima rura, Regna Liburnorū & fontē superare Timaui, rerumq; caput Italiam atq; Romam uno impetu subigere posset. Verū parua urbs, & alioquin ignobilis, tantos eius conatus retinuit, Taurinum appellauere maiores, nostra ætas aliam uocat Albam, ad confluentes Danubii Sauiq; sitam. Hāc primā oppugnare statuit, propter opportunitatē transeundi fluminis. Ioannes Capistranus ordinis Minorū professor, uitæ sanctimonia clarus, ea tempestate Hungaros in arma publicis sermonibus excitabat. Qui ubi appropinquare Turcas accepit, nihil moratus, in Albam se contulit, haud paruam crucesignatorū manum adducens. Ioannes quoq; Huniades contractis raptim copiis, eò profectus est. Cardinalis Budæ remansit, auxilia undiq; ciens. Rex ubi aduenisse Turcas cognouit, nec uires Hungaris esse, quæ tantā uim ferre possent, mobiles gentis animos ueritus, neq; satis tutam Budæ morā arbitratus, sub specie uenationis urbem egressus, in Austriā propere se recepit. Turca interim apud Albā castrametatus, summis uiribus eam urbis partē oppugnare adorit, qua planus patuit aditus, dispositisq; tormentis æneis raræ atq; insolitę magnitudinis, priores muros aperuit. Vacuū haud paruū spatiū intus erat usq; ad murū alterū. Hic crucesignati stationes habuerūt. Parū tecta armis acies, gladiis hastisq; tantū hispida, uerū ferocitate animi, & cœlesti auxilio tuta. Ingressi per muri ruinas Turcæ, atrox cum his præliū commisere. Capistranus ex turri clamitans, Christianos hortari, uexillum crucis ostendere, opem de cœlo promittere, maledicere hostibus, dei præsentiā implorare. Huniades modo huc, modo illuc cum globo militum currere, instaurare ordines, pro fessis ualidos, pro sauciis integros sufficere, Imperatoris ac militis officium exequi. Pugnatū est summa utrinq; ui, modo nostri, modo Turci pedē referre. Hinc uincentiū clamor, inde morientiū exaudiri gemitus. Audaciores, primiq; bellatores confossi gladiis cadere, sup cadauera passim strata belligerari: pulsi extra mœnia hostes, instante suo Imperatore, urgēte, atq; acriter castigante, Turcæ iterū irrumpere, iterū pugnare, Christianos in ultimū discrimen adducere. Postremo Christiana uirtute repulsi, denuo periculi magis q̄ pudoris anxii, oppidū fœda fuga relinq̄re. Rursus sequētibus crucesignatis, extra muros pugnā instaurare. Mox ex proposito fugere, ut q̄ remotissime ab oppido Christianos protraherēt. Interim aciem à latere immittere, quæ reditum in urbem egressis intercipiat: furētes nostri, ac uictoria exultantes, in quod pręcipitarent discrimen nō aduertere, paululū ꝓcessuris, & à fronte & à tergo periculū imminere. Vidit ex muris Capistranus transuersam

Taurini obsidio

Capistrani uirtus

Prælium atrox

uersam hostiũ aciem, insidiasq; cognoscens, reuocare suos cœpit. Quũ parũ exaudiretur, tympanis ac tubis confundentibus uocem, præceps in pugnã dilabitur: atq; inter duas acies, inter tela uolantia percurrens, clamoribus ac signis crucesignatos redire coëgit: apud quos nulla erat Huniadis uel fides uel autoritas, quorũ magna pars Theutonica fuit, Hũgarico infensissima generi. Fraudati magna spe Turcæ in castra redierunt: quũ quatuor & uiginti horis interdiu noctuq;, nunc muros quatientes, nunc manu pugnantes prælíũ protraxissent. Multi ex utraq; parte cecidere, plurimi ex Turcis, & hi quidẽ præstantiores. De cæsis hostibus uaria sententia est. Quidã supra quadraginta milia periisse tradiderunt: nõnulli uiginti milia, alij ad summũ quatuor milia cæsa esse affirmant: quod nobis infra uerum fuisse uidetur. Neque enim in tanto exercitu uideri clades ea occidio potuisset. Maior profecto iactura tantum Imperatorem fugere compulit, qui sequẽti nocte incensis castris ac machinis, cum toto exercitu trepidus abijt. Nec tam audax superbusq; uenerat, quàm timidus dimissusq; fugam arripuit. Traditum est sub papilla confossum salutem desperasse, uulnus eius obsidioni finem dedisse: inter fugiendũ plures quàm in acie periisse. Victoribus ea tantum præda relicta est, quæ nõ potuit ignis absumere, tormenta scilicet ænea, & arietes ferro graues, machinarumq; ingens uis. Huniades & Capistranus huic bello interfuere, uterq; rẽ gestã scripsit, neq; alter alterius mẽtionẽ fecit, alteruter solidã sibi rei gestæ laudẽ usurpauit. Ingens dulcedo gloriæ, facilius contemnenda dicitur, quàm contemnitur. Spreuerat Capistranus seculi pompas, fugerat delitias, calcauerat auaritiam, libidinem subegerat, contemnere gloriã non potuit. Qui summo pontifici bellum atq; exitum belli describens, nulla Huniadis, nulla cardinalis facta mentione, totum suum esse dixit, quod gestum erat, quamuis deum in primis uictoriæ confessus fuerit autorẽ. Nemo est tam sanctus, qui dulcedine gloriæ non capiatur. Facilius regna uiri excellentes quàm gloriam †contemnunt. Verum paulo post & Huniades & Capistranus alter morbo, alter senio obiere. Felices animæ, quibus tam claro peracto prælio, tanto populorum fauore quæsito, ægra relinquere corpora datum est.

Capistrani ambitio

al. partiuntur

De interfectione comitis Ciliæ per Ladislaum Huniadis filium patrata. Caput LXVI.

LAdislaus audita Huniadis morte, suadente Ciliæ comite, in Hungariã rediit, duobus ut sibi uidebatur æmulis liberatus, altero qui fraude, altero qui ui suũ regnũ appeteret. Comiti non minus Huniadis obitus, q; Turcarũ cõflictus cordi fuit, qui sublato aduersario Hungariã iam sibi parere nõ dubitabat. Cæca humanæ mẽtis iudicia, sæpe læta pro tristibus, pro lætis tristia ducunt: futuri nulla homini certitudo. Nemo nouit quid serus uesper uehat, nemo tã superis amicus est, ut crastinã sibi lucẽ promittere possit. Multi dũ se credidere deiectos, in sublime rapti sunt, multos exilia claros fecere, & op-

Humana fragilitas

tata consequutis sæpenumero exitio turpitudiniq; fuerũt. Comiti multo fa lubrius fuerat Huniadem uixisse, qui Hungariam suæ neci destinatam clausisset. Nunc metu uacuus, regẽ in Albam ducit, hostium spolia recogniturũ, & campos uisurum ubi prælia gesta, ubi barbara castra fuere. Eam urbẽ Ladislaus Huniadis filius ualido præsidio retinebat. Qui uenienti regi purpuratus togatusq; portas aperuit, armatorũ circiter quatuor milia ab ingressu prohibuit. Hic dum mora trahitur, rem diuinam spectante rege, consilium de more in abdito conclaui proceres ineunt. Vocatus eò comes, an iret aliquandiu hæsitauit. Exin diploide uix penetranda ferro indutus, proficiscitur. Venientem Ladislaus proditorem compellat, qui patri sæpe necem parauerit, infensumq; sibi regem reddiderit, nunc diem uenisse quo scelerũ pœnas luat. Sunt qui comitem prius arguisse Ladislaum dicant, tanquam regi rebellem, qui eius armatos intrare oppidum uetuisset. Illud constat, comitem arrepto ex manu armigeri gladio, Ladislai caput petentem, nonnullos interiectæ manus digitos amputasse: exorto clamore, Hungaros irrupisse, defendentemq; se magno animo comitẽ, multis confossum uulneribus obtruncasse: nec moratos, ea nouitate regem perculsum adeuntes, occisum regni hostem dixere, digna meritis præmia reddita. Regi nihil timendum esse, cũcta eius imperio parêre: nunc regnum eius incipere, prius apud comitem fuisse. Rex quanquam uehementer cõmotus erat tam atroci facinore, supra tamen quàm eius ferebat ætas, dolorẽ atq; iram compressit: nec dubitauit ui cæsum comitem profiteri. Amicis uero circunstantibus, ferendumq; quodcunque id esset dicentibus: atqui sic necessitas, inquit, exigit. Ferendum est quicquid uitari non potest. Ademptã comiti uitam reddere non possumus. Ille suo fato functus est, nos nunc nostra manent, quæ deus Opt. Max. meliora faxit. Iussitq; defuncti cadauer plaustro impositum Ciliam deferri, atq; in sepulchris maiorum condi.

De laude Ioannis Huniadis per regem Ladislaum pronunciata. Caput LXVII.

IPse autem rex, Alba relicta, comitante Ladislao, Budam repetere statuit: inter equitandum ad oppidum Huniadum peruenit. Ibi coniunx Huniadis obuiam facta est, ob mortem mariti lugubri ueste induta, puellæq; quæ circa eam erant, deiectis in terram uultibus, pullis amictibus mœrorem præ se ferebant. Rex matronam complexus, Indigna sunt, inquit, hæc uestimẽta, quæ ob mortem uiri tui deferas. Ioannes Huniades de morte transiuit ad uitam. Ille Hungariam Christo, mihi regnũ seruauit: Christiani nominis hostes fudit, fugauit, perterruit, pacem Hungaris peperit, salutem cunctis fidelibus aperuit. Fortia eius facta etiam hostes admirati sunt, & uitam & mortẽ posteritas consecrabit. In prælio strenuus, domi mitis: in bello uicit hostes, in ægritudine seipsum superauit. Consilio ac manu suas acies sustẽtauit, per- *[margin: Luctus solatium]*

fregit

fregit hostiles. Vbi adesse extremũ uitæ tempus agnouit, & urgere uim morbi, non est passus dominicum corpus ad se deferri: neq; enim dignum existimauit seruum a domino uisitari, surrexit è lectulo, quãuis labentibus mẽbris: & quũ deficiente uirtute, suis pedibus ire non posset, in ædem se uehi sacram iussit. Ibiq; de more Christiano, si qua extabant humanarum uestigia sordium, confessione detersit, & sacrosanctam accipiens eucharistiam, inter sacerdotũ manus terrena fastidientẽ animam exhalauit. Et quò illũ migrasse credimus, nisi ad eum pro quo tot bella depugnauit? Ad Imperatorẽ suũ perrexit fortis miles, cum Christo regnat, qui pro Christo tot periculis se obiecit. Iampridem debitũ sibi cœlum tenet, non est quur diuinitate fruentẽ lugere oporteat. Congaudere gaudenti æquius censeo. Facessant intempestiuæ lachrymæ, superuacaneiq; luctus, absit omnis mœror atq; inprimis lugubres habitus, pullasq; uestes exuite. Atq; his dictis, purpureas tunicas auro distinctas afferri iussit, easq; uiduæ ac filijs dono dedit. Puellas quoq; pro sua dignitate donatas, mutare habitũ imperauit, totumq; diem lætitiæ dari. Cõuiuia deinde splendide apparata, inter epulas & uina saltatum cantatumq;, quasi celebres nuptiæ per luxum & iocum actæ.

De captiuitate filiorum Ioannis Huniadis, & decollatione Ladislai filij eiusdem senioris. Caput LXVIII.

HIs blandimentis allecti Huniadis filij, nihil iamdudum ex cæde comitis in caput suum uerti posse confidebant. Itaq; posito metu, regem usque ad Budam sequuti sunt, aulamq; in primis æstimati cultiq; frequentabant. Verũ amici comitis regias aures dietim pulsare, illustrẽ principẽ auunculum regium sine causa necatũ conqueri, maiestatẽ grauissime læsam dicere. Inultũ tam atrox scelus relinquendũ non esse, corrigendũ audacem iuuenẽ, ac temerariam audaciam nisi mature coërceatur, in furorem uerti. Nullum inueniri clementem uirum, qui iuuentutẽ crudelitate insigniuerit. Arma in manus nepharij adolescentis periculosa esse, ausurũ proculdubio etiã in regem, qui regi proximũ obtruncauerit. Iam illi regnandi spem factam: patrẽ eius idem concupiuisse, animum seni, nõ uoluntatẽ defuisse: grauiorem ætatem discrimina quæq; metiri: iuuenem quocunq; libuit factu facilimum credere, per æqua & iniqua ad regnum tendere. Occurrendum priusq; malum amplius serpat. In Ladislao & facta & meditata inueniri facinora ultimo supplicio digna. Rex siue ijs motus, siue suapte natura incensus, designata hora qua filij Huniadis ambo in regiam cõcessissent, armata iuuenũ manu portas claudi iubet, adolescentesq; captos in carcerem rapi. Cum quibus & Ioannes episcopus Varadinensis, raræ uirtutis ac facundiæ, & plerique alij comprehensi sunt, tanquam cædis comitis, & insidiarum quæ regi pararentur, conscij. Ladislaus quatuor & uiginti natus annos, egregio corpore adolescens, flauis de more crinibus super humeros passis, reuinctis post tergum manibus, talari atque

Pertinet ad Hunniad

aurea ueste indutus, & eadem fortasse quam sibi paulo ante rex donauerat, in publicum producitur. Erecta ceruice oculis huc & illuc spectantibus, impauidus atque intrepidus ad suppliciũ pergit. Vbi ad locum uentum est, quo ceruix amputanda erat, iussus genua flectere, pauca prius pro sui excusatione locutus, carnifici paruit. Præco cui damnatorũ crimina publicare mos est, impetrato silentio, nihil aliud dixit, nisi eo modo corrigi, qui domino suo infideles essent. Carnifex religata Ladislai coma, ne collum impediret, iussus percutere reum, nutans labansque, uix tandem quatuor ictibus candidã ceruicem abscidit: atque ita nobilis adolescẽs occiso comiti parentauit. Frater eius in uinculis retentus est. Episcopus Varadinensis, multũ instante cardinale sancti angeli, qui tum legatũ apostolicum agebat, Dionysio episcopo Strigonensi, eidem quoque cardinali & pari legatione fungenti, secundum canones iudicandus traditur. De cæteris captiuis suspensum iudicium, qui tamen paulo post effractis carceribus euasere. Rex Budæ nõ diu moratus in Austriã se recepit, Mathiam Huniadis filium coæuum captiuũ ducens. Quum per Strigoniũ iter faceret, uocatum ad se Ioannem Varadinensem præsulem, bono animo esse iussit, his uerbis usus: Quũ essem Budæ, feci quod uoluere barones, neque enim mei iuris eram. Quod te cepi, illorum fuit: quod te supplicio culpaque libero, meũ est. Spectata mihi tua uirtus, nihil de te sinistrũ credere sinit. Abi, & quem gessisti hactenus episcopatum, gere.

De coniuge regi tradenda. Caput LXIX.

IN Austria de coniuge regi tradenda diu agitatum, multæ uirgines offerebantur, tantum coniugium expetentes. Verum nobilissimo regi quæ coire merito posset, nulla dignior uisa est †Magdalena, Caroli regis Franciæ filia, tum propter ætatem conuenientem, egregiam formam, pudicos mores, tum propter sanguinis excellentiã, raramque nobilitatẽ, & maiorũ eius late uulgatã gloriã. Placet legatos mittere qui sponsam petãt: de loco nuptijs eligẽdo contentio exoritur: Hungari Budam, Australes Viennam, Bohemi Pragam tantæ celebritati deputandã aiunt. Diu res trahitur nutante rege. Ob eam caussam Georgius Poggiebracius cum octingentis expeditis equitibus in Austriam usque ad Danubium proficiscitur, magna se habere dictitans, quæ regi pandat. Tranare iussus atque urbem ingredi, Viennam sibi suspectam ait. Rogatus per nuncios quæ uelit pandere, negat se alteri quàm regi arcana dicturum: non esse ab re trans fluuium regem pergere. Eundúm ne fuerit, aliquandiu hæsitatũ. Senatui non placebat tantum licentiæ dare subditis, insolentes eo modo fieri, & maiestatẽ uilescere. Ladislaũ gubernatoris mouebat autoritas, & aliquod subesse arduũ existimabat. Neque latebat eum honestatem utilitati cedere, ac tempori seruiendum esse. Perrexit igitur inermis ad armatum, tria milia equitũ sequuta, togatus magis quàm loricatus exercitus. Tentoria in ulteriore Danubij ripa protensa, dimisso spacio inter bina castra, & taberna-

†al. Margarita

tabernaculum in medio collocatum, in quo rex cum gubernatore cōueniret. Quatuor diebus colloquium productum est: rex per noctē in urbem redijt. Primus cōgressus publicus fuit, in quo salutatio de more facta, & honos regi habitus. In altero atque item altero, duo tantum sermoni testes adhibiti. In quarto semotis arbitris, solus cum rege Georgius tabernaculum introiuit: uerba inter eos habita non sunt prodita. Ex ijs tamen quæ postea sequuta sunt, manifestū, de transitu regis in Bohemiā fuisse tractatū. Vbi sermone sæpius habito, nō coiere uoluntates, indignabūdus Poggiebracius, minabundusq; retro in Morauiam iter flexit. Regi haud salubre consiliū uisum est, dimisisse hominē male pacatum, quē penes regni potestas esset, qui nocere pariter ac minari posset. Misit ergo primos ex curia proceres, qui placatum retraherēt: sin minus, facturū postulata regē promitterent. Inuentus in itinere, nec de reditu uerbū fieri passus est, nec de sententia sua quicquā detraxit. Promissus itaq; in Bohemiā regis transitus, & nuptiarum solennitas Pragæ destinata. Nec dicto fides defuit. Ordinatis Austriæ rebus, etiam ante diem dictā ingenti rex apparatu Bohemiam petijt. Intranti pragam, Rochezana cum sacrilego presbyterorū comitatu pompā ducens, obuiā uenit: & habita oratione, pro fausto fœliciq; reditu cōgratulatus est. Vix admonente Poggiebracio, rex gratias egit: hæreticum ac pestiferum toruis oculis clerum inspiciens. Vbi uero maioris ecclesiæ sacerdotes sacra ferentes occurrerunt, Hos, inquit, dei ministros agnosco: atq; ab equo prosiliens, consalutatis omnibus, sacram crucem osculatus est. Erāt enim Romanæ fidei sectatores, qui pro testamēto dei exiliū longo tempore passi, Sigismundi tandem uocatione sua loca recuperauerant. Hæc Ladislai pietas multorū offendit animos, qui Rochezanæ studebant ineptijs. Suppressum tamen ac dissimulatum odium. Inde duæ legationes missæ, altera ad Imperatorē Fredericū de pace actura, in qua princeps fuit Eizingherus: altera ad Carolum Franciæ regem, eius filiā petitura. In hac primas partes gessit Vlricus Patauiensiū præsul, moribus ac doctrina præditus, quem tradunt octoginta equos albicantes duxisse. In ea legatione septingenti equites profecti sunt, quadrigæ auratæ, matronæ ac uirgines splendido apparatu, quę sponsam ducerent: uestes præterea donaq; tanto matrimonio digna missa. Tertia quoq; legatio ad Calixtū Pont. Max. decreta erat, quæ controuersias de religione dirimeret, regnumq; Bohemorum Ro. ecclesiæ coniungeret. Super his quarta cura regis urgebat animū, comparandi cōtra Turcas ualidi exercitus, quo tandē nostra ætate, scelerata Mahumetis superstitio pelli ab Europa posset. Iam de concordiæ formula cum Frederico cōuenerat, instruebantur regiæ nuptiæ maximo sumptu, splendidissimo apparatu, Imperator & Augusta uocati, ambæ regis sorores cum uiris eam celebritatē accessuræ ferebantur, Saxoniæ, Baioariæ, Slesiæ, Franconiæ, Rheni principes: multi quoq; ex Gallia reguli uenturos se promiserant,

nõ solum nuptias ornaturos sua præsentia, uerumetiam de tuenda Repub. Christiana contra Turcas acturos. Sed hos tantos cogitatus, has spes pulcherrimas, tantum rerum ordinem immatura mors ac repentina regis inter rupit. Incertæ uanęq́ꝫ cogitationes hominũ: futurũ quicqd cæca caligine deus occuluit, ipse sibi gubernacula retinet uniuersi. Nihil sine suo nutu mortales agitant. Sapienter ab eo iusteq́ꝫ cuncta reguntur, sæpe in conspectu eius æquissima sunt, quæ nobis uidẽtur iniqua. Nihil perperã, nihil temere diuina maiestas agit: nos cæci uersamur in tenebris, minimũ est quod cernimus. Ad regimen animæ nostræ liberũ nacti sumus arbitriũ: ad saluãdas animas lux reddita Christianis. De regimine ciuitatum, de mutatione regnorũ, de orbis imperio, minimũ est quod homines possunt, magna magnus disponit deus.

Prouidẽtiæ diuinæ uis

De infirmitate & morte Ladislai regis. Cap. LXX.

LAdislaus igit̃ x. kal. Decẽb. hora circiter xiȷ. noctis, ægrotare cœpit. Sunt qui ulcere pestifero percussũ inguine dicũt, pleriq́ꝫ nullũ pestilẽtiæ signũ apparuisse. Verũ ita mihi res cõscripta est ab his, qui diligẽter quũ medicos, tum cubicularios audiuere. Sed erat in iudicio rex, quod de nobilitate inter Poggiebraciũ & Cernhaorã Morauũ magnis contentionibus agebat̃, ita ut alter alterũ ad duellũ prouocarit. Neq́ꝫ de more suo indutus prodierat, linea tantũ indumenta susceperat, & desuper Persicũ habitũ, quã uocãt schubam. Neq́ꝫ toto auditorio ridere uisus, tristẽ uultũ notauere omnes. Id signũ pręsagiẽtis ægritudinis iudicatũ. Dimisso tribunali, cœnauit inter purpuratos, composito ac graui sermone usus. Post multã noctẽ in cubiculũ ductus, oblatas rapulas, quæ apud Bohemos dulcissimæ sunt, auide comedit, siceràq́ꝫ bibit: sermonesq́ꝫ haudquaq́ꝫ tristes inter cubicularios miscuit. Priusq́ꝫ lecto decũberet, orationem de more ad superos habuit: qua finita, grauatũ se dixit, & stomachũ uehementer dolere. Cui unus ex cubiculariȷs natione Bohemus: Ascende, inquit, stratũ, dolorẽ somnus excludet. Paruit rex, quietiq́ꝫ se tradidit. Quũq́ꝫ ad horã dormiuisset, uocato iterũ cubiculario, uim doloris qui sensim cresceret, intolerabilẽ esse ait. Ille de se iudiciũ faciẽs, nihil somno melius affirmare, sic dolorẽ cessurum dicere. Iam noctis hora xiiȷ. fermè effluxerat, regi nulla quies dabatur. Ne tamen cubiculariȷs molestus esset, dolorem in diem tacitus pertulit. Tum medici accersiti, quod suarum partium erat, desperata salute fecerunt. Georgius & ipse uocatus, percunctari ex rege quur doleret, quid morbi esset, spem bonam præbere, ne sibiȷpsi deesset hortari, peteret quęcunq́ꝫ uellet: omnia in arbitrio suo posita, mandaret parẽre cupientibus. Ad quem rex, Tua mihi Georgi iampridem cognita fides, spectataq́ꝫ uirtus est, ꝑ te Bohemus usq́ꝫ in hanc diẽ me regẽ appellauit. Speraui me potiturũ regno, quod ipse paraueras: nunc contrà superi iubent. Mihi moriendũ est, regnũ in tua manu erit. Duo ex te peto: alterũ, uti prouinciales iuste regas, pupillis, uiduis, imbecillisq́ꝫ rectum iudicium patrociniumq́ꝫ ne subtrahas: alterum,

Schuba

Ladislai pia oratio

terũm, ut qui me sequuti sunt ex Austria, cæterisq́; prouincijs, in patriam suam inuiolatos remittas. Hoc mihi supremum beneficium ne deneges. Prę maturas regis cogitationes Georgius esse respondet. Futurum breui sospitẽ, ex suo arbitrio regnaturũ, desineret ea proloqui quę & sibi incõmoda & alijs forent molesta. Tum rex apprehẽsa manu: Aie, inquit, promitte quod cupio: nam me mori certum est. Si feceris quæ iubeo, deum propitium tibi reddam. Neq; enim ita uixi, ut cœlũ mihi negari putem: pro cœlestibus terrena relin quo, tu caue postulatis aduersere. Non potuit tenere lachrymas Poggiebra cius, deditq́; fidem facturũ quod rex imperasset. Finito sermone, intromissis sacerdotibus, de curatione animæ actum: Christiano more sacramenta exhi bita. Rex ornamenta sua Pragensi ecclesiæ legauit, iussitq́; crines in auri mo dum fulgentes, ne qua superesset uanitas, amputari. Id ministri causas moræ nectentes neglexere. Vbi anima ægra amplius demorari non potuit, sacram candelam petijt, eamq́; manu prehendit, & intuens saluatoris imaginẽ cru cifixi, orationem dominicã dicere orsus ad finem usq; perduxit. Pronuncia tisq́; ultimis uerbis: Sed libera nos à malo: nihil amplius loquutus, non extre ma pati, sed quietem arripere uisus, mortalis uitæ lumen reliquit. O imbecillẽ humanæ naturæ conditionem, ô inanem mortaliũ gloriam, ô cæcas hominũ mentes, quid iactamur, quid extollimur? Quid est quod dignitates, opes, po tentiam tantopere flagitamus? Perpetuo his frui, cui datũ? Ladislaus nobi lissimus adolescẽs, duo de uiginti natus annos, in ipso ætatis flore, in ipso glo riæ culmine, tot regnis, tot gentibus imperãs, tot delitijs atq; opibus affluẽs, inter tot auxiliantium manus, intra sex & triginta horas postquam ægrotare cœpit, extinctus est. *Ladislai mors*

De opinione & causa infirmitatis, & mortis regiæ. Cap. LXXI.

MOrtem eius alij morbo, alij ueneno imputauere. Medici Theutones, quorum potissima corporis cura fuit, in Austriã reuersi palàm dixere, quamprimum ægrotare rex cœpisset, se uocatos, manifesta mortis ac ueneni signa comprehendisse, neq; ausos in aliena terra manifestare quæ uiderant, timuisse potentiã eorũ, quorũ scelere rex perijsset, regi clàm aperuisse omnia: respondisse illum, nõ ignorare toxicũ datũ: silentiũ imperasse, ne regiæ morti suam adijcerent. Senatus Vienensis ubi uulgari eam famam animaduertit, medicorum sermonem prohibuit, ne Bohemorum aduersus se ferociam pro uocarent. Qui uiolentã mortem dicunt, Poggiebracium & Rochezanam cri minantur. Poggiebracium iam tum regi fuisse infensum, quũ ad Danubium usq; profectus, Viennã ingredi noluit, nõ sine causa suspectũ ei regem fuisse. Conscias mali mẽtes metũ implere: queis integer est animus, his omnia tuta uideri: ab eo tempore regiæ uitæ paratas insidias. Rochezanã nunquã regi placuisse, idq́; palàm factũ, quũ sicut ante diximus, sacra ferentẽ contempsit. Nec me latet fama uulgatũ esse, idcirco regem apud Pragã nuptiarũ celebra tionem

tionem decreuisse,ut concurrentibus eò catholicis principibus potenti manu hæreticos comprehenderet, finemq́ tandem Hussitarum insaniæ daret. Id præsensisse Rochezanam & Poggiebracium,necemq́ regi pro sua salute ma chinatos. Mihi quid horum uerius uideatur non facile dixerim,neq́ incerta pro certis ausim affirmare. Aliorum dicta recenseo,& plura scribo quàm cre do. Illud constat,præter Rochezanam,cui regiam mortem nemo non accep tissimã iudicauit,& Georgium, reliquos regni proceres extincto rege in ma gno mœrore fuisse,& publicum toto regno luctũ,qui ad vij.Kalend.Decem bres cõtinuatus est. Tũc regia pompa peractis exequijs, defuncti corpus in sinu proaui sui diui Caroli quarti Romanorum Imp. sepultũ: circumuectio per urbem more maiorum neglecta. Dum hæc scribo,Alphonsi regis Ara gonum,cui præsentem historiam dedicaueram,multis formidatus, pluribus expectatus,mihi quidem acerbissimus nunciatus est obitus:v.Kalend.Iulij, clausisse oculos traditur, Hispaniæ atq́ Italiæ rebus aliam formam prębitu rus,lugẽdumq́ Camenis fatum,& ingens disertis iactura uiris. Vtinam suc cessori par cura uirtutis sit, minorq́ seculo nostro calamitas ingruat q́ time mus. Nos operi quod iam finẽ requirit, summã admoueamus manũ. Geor gius ea die quę inter mortẽ Ladislai & funeris eductionẽ media intercessit,ac cersitis proceribus gubernationem suam non expirasse regis obitu dixit, pro uinciam usq́ ad pentecosten commissam sibi fuisse affirmans. Arma tenenti nemo finitum morte mandantis imperium obijcere ausus,Pragenses guber nationi suæ nihil morati se commisere. Matthias Huniadis filius ex Vienna ductus qua die rex obijt Pragam applicuit,atq́ in potestatẽ Georgij factus est. Nec diu postea rex Hungariæ designatus, magnis sponsionibus dimis sus,è carcere uolauit ad regnum. Aduenę qui Ladislaum sequuti fuerant,suã quisq́ domum petiere.

Regis Arago nũ laus,mors

De Poggiebracio rege Bohemorũ sextodecimo. Cap. LXXII.

EXinde constituta die qua nouus rex eligeret̃,multi tractatus habiti, Ca rolus rex Franciæ,qui filiam Ladislao desponderat, regnũ alteri ex filijs suis petere, aut ei †cõmitti,cui filiam tradere nõ dedignaretur.Casimirus rex Poloniæ sororem defuncti regis sibi nuptam esse aiebat, eiq́ regnũ deberi. Pari ratione Gulielmus Saxoniæ dux utebatur,cui soror natu maior nupsis set.Fridericus Imperator eiusdem regni ordinationem suam esse affirmabat, in qua feudi solennia neglecta fuissent. Nec sine spe Sigismundus & Alber tus Austriæ duces fuere,qui deficiente rege Bohemię sine uirili sobole ex Au stria uocandum ueteri fœdere principem norãt.Rochezana uenenorũ sator, crebris sermonibus usurpare,aut regem suæ professionis eligendum esse,aut si nemo tanto fastigio dignus uideretur, Hebraico more iudices assumẽdos, ueteris legis exempla cõmemorans. Vbi dies constituta illuxit, auditis lega tionibus in conuentu procerum, utilitate regni discussa, Georgius Poggie bracius

a†s,comiti

bracius rex pronunciatur, militiæ domiq́ꝫ apprime clarus, cui ad res gerēdas nec cōsilium nec ætas deesset. Ea res necati regis suspicionem maxime auxit. Ipse ex prætorio primū in ædem beatæ Mariæ ubi Rochezana præsidet, solenni pompa deductus deo gratias egit, ibiq́ꝫ nouello regi publica salutatio exhibita. Mira rerum mutatio, & nouus syderum influxus. Duo potētissima regna eodem tempore rege orbata ex nobilissimo atqꝫ altissimo sanguine ad mediocris generis homines puenere. Sic deo placuit: ludere fortunā dixisset antiquitas. Nos diuinæ prouidentiæ cuncta tribuimus. Vtriusque regis electionem nonnulli calumniantur, uim adhibitam dicūt, neqꝫ iure ualere quod metus extorserit. Nobis persuasum est, armis acquiri regna, nō legibus.

BREVIS DE VITA AENEAE Syluij commemoratio.

SEna urbs Hetruriȩ est, octingentis stadijs à Roma seiungitur. In qua Æneas Syluius ortus, ingenue educatus, bonas literas gnauiter amplexus est, in quibus strenue adeoq́ꝫ feliciter se gessit, ut Delphicam laureā hisce meruerit. Hinc ob eruditionem uitæq́ꝫ integritatem, in patriæ suæ Senæ episcopum electus est. Inde Romanus pontifex eum cardinalitio galero donauit. Postremo in sedem apostolicam exaltatus est, ac Pius papa secundus appellatus. Vixit post ortum seruatoris circiter annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum septimum, quo tempore regnabat Georgius Poggiebracius, Bohemorum rex decimussextus.

LIVTHPRANDI TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE, AD REVERENDVM PATREM RAIMVNdum Liberitanæ ecclesiæ in Hispania episcopum,

PRAEFATIO.



EVERENDO totiusq́ sanctitatis pleno domino Raimũdo Liberitanæ ecclesiæ episcopo, Liuthprandus Ticinẽsis ecclesiæ, suis non meritis, Leuites, salutem. Biennio ingenij paruitate petitionẽ tuam pater charissime distuli, qua totius Europæ me Imperatorũ regumq́ facta, sicut is qui non auditu dubius, sed uisione certus, ponere cõpellebas. Hæ siquidẽ res animum deterruere meum, ne id inciperem, copia (cuius sum penitus expers) dicendi, & detractorum inuidia: qui supercilio tumentes, lectionis desides, ac (secundum eruditi uiri Boetij sententiam) philosophiæ uestis particulam habentes, totamq́ se habere putantes, hæc mihi sunt insultantes dicturi: Tanta maiores nostri scriptitarunt, ut multo amplius lectores q̃ lectiones deficiãt. Illudq́ Comicũ garrient, Nihil dicetur quod nõ fuerit dictũ prius. Quorum latratibus hoc respondeo, quod philosophi more hydropicorũ, qui quo amplius bibunt, eo ardentius sitiunt: quo sæpius legunt, eo auidius noua quæq́ perquirunt. Qui si perplexa facundi Tullij lectione fatigant, apertis saltem nænijs animẽtur. Nam, ni fallor, sicut oculorũ obtutus nisi alicuius interpositione substantiæ solis radijs reuerberatus obtunditur, ne pure, ut est, uideat: ita planè mens Academicorũ, Peripateticorũ, Stoicorumq́ doctrinarũ iugi meditatione infirmatur, si non aut utili comœdiarum risu, aut heroum delectabili historia refocillatur. Quod si priscorum ritus execrabilis paganorum, non solum inquam non proficuus, uerum auditu ipso non parum nocuus, †Thronus memorandus inscribitur, quid istorum Imperatorum facta, Iulij, Pompeij, Hannibalis, fratrisq́ eius Hasdrubalis, ac Scipionis Aphricani insignium Imperatorum, laudibus coæquanda silebuntur? quũ præsertim insit his domini nostri Iesu Christi, dum sancte uixerint, bonitas recitanda: dum quid deliquerint, salubris ab eodem correctio memoranda. Nec moueat quempiam, si eneruatorũ facta regum principum'ue effœminatorum, huic libello inseruero. Vna est enim iusta omnipotentis dei patris scilicet filijq́ & spiritus sancti uirtus, quę hos iuste suis pro sceleribus comprimit, illos dignis meritis extollit. Hæc inquam est uera domini nostri Iesu Christi sanctis facta promissio. Obserua & audi uocem meam, & inimicus ero inimicis tuis: & affligentes te affligam, & præcedet te angelus meus. Per Salomonis quoque os, Sapientia (quæ est Christus) clamat, Pugnabit pro eo orbis terrarũ contra insensatos. Quod quotidie etiam qui stertit, animaduertit.

† Thonus

De Fraxineti

LIVTHPRANDI TICI NENSIS ECCLESIAE LEVITAE, RERVM AB Europæ Imperatoribus ac regibus geſtarum, hiſtoriæ liber primus.

De Fraxineti oppidi in confinio Italiæ ſitu, & eius à uiginti Saracenis piratis occupatione & munitione cum Mauro monte, deq; Saracenorum incrementis per inuidiam & factionem uicinorum Chriſtianorum inter ſe. Caput I.



T AVTEM euidẽs ex innumeris ſubdat̃ exemplum, me tacente loquatur oppidum uocabulo Fraxinetũ, quod in Italicorum prouincialiumq; confinio ſtare manifeſtum eſt. Cuius ut cunctis liquido pateat ſitus (quemadmodũ tuam pater prudentiam latere minime reor, imò me melius ſcire, ſicut ab ipſis qui ueſtri ſunt tributarij regis Abderahamenis, poteſtis cõijcere) mari uno ex latere cingit̃, & in cæteris denſiſſima ſpinarum ſylua munit̃. Quam ſi ingreſſus quiſpiam fuerit, ita ſentium hamis tenetur, & acutiſſimis aculeis perforatur, ut neq; progreſſionis neq; reditus niſi cum magno labore habeat facultatem. Sed occulto, & (quoniam ſecus eſſe nõ poteſt) iuſto dei iudicio uiginti tantum Saraceni lintre parua ex Hiſpania egreſſi, nolentes iſtuc uento delati ſunt. Qui piratæ noctu egreſſi, uillamq; clàm ingreſſi, Chriſticolas, proh dolor, iugulant, locumq; ſibi proprium uendicant, montẽq; Maurũ uillulæ cohærentẽ contra uicinas gentes refugium parant: ſpineã ſyluã hoc pacto maiorẽ & ſpiſſiorẽ ſua pro tutione facientes: ut ſi quis ex ea uel ramũ incideret, mucronis percuſſione hominẽ exiret. Sicq; factum eſt, ut omnis præterq; unius anguſtiſſimæ uiæ aditus demeret̃. Loci igit̃ aſperitate confiſi, uicinas gentes circumquaq; perluſtrant. Accerſitũ complures in Hiſpaniã nuncios dirigunt, locũ laudant, uicinaſq; gentes nihili ſe habere promittunt. Centũ deniq; tantũmodo Saracenos ſecum mox reducunt, qui ueram rei huius caperent aſſertionem. Interea prouincialium qui illic conſederant, uicinorũ inuidia cœpit intra ſeſe diſſidere, alius alium iugulare: ſubſtantiam rapere, & quicquid mali excogitari poterat facere. Sed quia pars partẽ ut inuidia & dolor poſtularãt, ſatis ſibi ſubigere nõ poterant: hos quos prædiximus Saracenos nõ minus callidos quàm perfidos in auxilium rogant, cumq; his ſibi proximum quiſq; conterit. Nec iuuat ſolũmodo proximum trucidare, uerum terrã fructiferã in ſolitudinẽ reddere. Sed uideamus quàm iuſta ſecundũ quendam profuerit inuidia, quam ita deſcribens ait, Iuſtius inuidia nihil eſt, quæ protinus ipſum autorẽ rodit excruciatq; ſuũ. Quę

Fraxinetum captum.

Inuidia

 dum

dum decipere conatur, decipitur: dum extinguere molitur, extinguitur. Quid igitur? Saraceni quum hoc suis uiribus minime possent, alterã alterius auxilio partis debellantes, suasq; copias ex Hispania semper augentes, quos primo defendere uidebant, modis omnibus insequuntur. Sæuiunt itaq;, exterminant, nil reliqui faciunt. Trepidare iam uicinæ cæteræ gentes, quoniam secundũ prophetã horum unus persequebat mille: & duo fugarunt decẽ milia. Ex qua re? Quia deus suus uendidit eos, & dominus conclusit illos.

Quis ea tẽpestate papa, & qui principes terrarũ fuerint, & quid gesserint Leo & Basilius, quẽ Michaël Imperator ex famulo monachi in sociũ assumpsit imperij, & quomodo ab eo interẽptus est, & Christus Basilio apparuit minabũdus, qui in pœnitentiã ædem diuo Michaëli extruxit. Cap. II.

Leo Imp. HAc autẽ tempestate Leo Porphyrogenitus, Basilij Imperatoris filius, Constantini huius pater, qui nũc usq; superest & feliciter regnat, Constantinopolitanæ ciuitatis regebat imperium. Simeon Bulgarorũ rex Simeon fortis bellator Bulgaris pręerat, Christianus, sed uicinis Græcis ualde inimicus. Hungarorũ gens, cuius omnes penè nationes expertæ sunt sæuitiam, quæ miserante deo sanctissimi atq; inuictissimi regis Othonis potentia, ut latius dicturi sumus, mutire nõ audet exterrita, nobis omnibus tunc tẽporis habebat ignota. Quibusdam nanq; difficilimis separata à nobis erat interpositionibus, quas clusas nominat uulgus, ut neq; ad meridianam neq; ad occidentalẽ plagam exeũdi Arnulfi potentia habuerit facultatẽ. Per idem tempus Arnulfus rex potentissimus defuncto Carolo prænomine Caluo, Baioarijs, Sueuis, Francis, Theutonicis, Lotharingis, audacibusq; principabatur Saxonibus, cui & Zuuentebaldus Marauanorũ dux uiriliter repugnabat. Berengarius & Vuido Imperatores ob regnum Italicũ cõflictabant. Formosus papa Formosus Portuensis ciuitatis episcopus Romanæ sedis summus & uniuersalis papa habebat. Sed nũc quid sub unoquoq; horũ gestũ sit prout breuius possumus explicemus. Leo igitur Gręcorũ pijssimus Imperator, cuius supra fecimus mentionem, Constantini scilicet huius Porphyrogeniti pater, undiq; pace habita sancte & iuste Græcorũ regebat Porphyrogenitus unde imperium. Porphyrogenitũ aũt nõ in purpura sed in domo quæ Porphyra dicitur natum appello. Et quoniã res processit in mediũ, quod de huius Porphyrogeniti genesi audiuimus proferamus. Constantinus Imperator Augustus, ex cuius nomine Constãtinopolis est sortita uocabulũ ciuitas, domũ istam ædificari iussit, cui Porphyra nomen imposuit, uoluitq; successurã nobilitatis suæ sobolẽ istic in lucem prodire, quatenus qui suo ex stemmate nascerentur luculenta hac appellatione Porphyrogeniti appellarent. Vnde & hunc Constantinũ Leonis Imperatoris filium ex eius sanguine nonnulli dicunt originẽ ducere. Veritas aũt rei huius, ita se habet. Basilij origo Basilius Imperator Augustus auus huius, Macedonia humili fuerat prosapia oriundus, descenditq; Cõstantinopolim τ῀ πενίας ζυγῷ, quod est paupertatis iugo, ut cuidã

seruiret

seruiret abbati. Igitur Imperator Michael qui tūc tēporis erat, quū orationis gratia ad monasteriū istud in q̄ hic ministrabat descēderet, uidit hūc forma præ cæteris egregia, accitūq; ad se abbatē rogauit, ut se donaret hoc puero. Quē suscipiens in palatio cubicularij donauit officio. Tantæ deniq; post paululum potestatis effectus est, ut alter ab omnibus Imperator sit appellatus. al. ἡγεμόνι

Verū quia omnipotens deus seruos suos iuste uisitat, quacunq; uult censura, hunc Imperatorē Michaēlē sanæ mentis ad tempus nō esse permiserat, ut quo eū grauius premeret in infimis, eo misericordius remuneraret in summis. Nā, ut fert, huius tempore passionis, familiares etiā capitis iusserat damnari sententia. Quos tamen ad se rediens hoc pacto requirebat, ut nisi quos iugulari iusserat redderent, pari ipsi qui hoc effecerant, sentētia damnarent. Hoc igit terrore quos damnari iusserat seruabant. Sed quum hoc sæpius & iterū Basilio faceret, huiusmodi à sibi obsequētibus, proh nephas, accepit consiliū, ne forte insana regis iussio aliq̄ndo ex industria à te nō diligētibus imò odio habentibus impleat, eū tu potius occidito, atq; imperialia sceptra suscipito. Quod sine dilatione, quū terrore cōpulsus, tum etiā regnandi cupiditate deceptus compleuit. Hoc itaq; interfecto factus est Basilius Imp. Denique paruo transacto tēpore, huic dn̄s noster Iesus Christus p uisionē apparuit, dn̄i huius Imperatoris, cuius hic necis extiterat autor, dexterā tenēs, eūq; ita conueniens, Vt quid interfecisti regē, hoc est, dn̄m tuū Imperatorē? Experge factus itaq;, tanti se reū nouit esse reatus: moxq; ad se rediens, quid sup hoc faceret cogitabat. Confortatus itaq; hac dn̄i nostri Iesu Christi per pphetā salubri & uere acceptabili promissione, In quacūq; die peccator ingemuerit, saluus erit, cum lachrymis & gemitibus se peccatorē, se reū, se sanguinis innocentis effusorē esse confitebat. Bono aūt accepto cōsilio, amicos sibi de mammona iniquitatis effecerat, ut quos hic temporalibus subsidijs consolaretur, eorum precibus ab æterno gehennæ incendio liberaret. Fabricauit autē pretioso & mirabili opere iuxta palatiū, orientē uersus ecclesiā quā νέαν, id est, nouam uocant, in honore summi & cœlestis militiæ principis archangeli Michaelis, qui Græce ἀρχιστρατηγός appellatur.

Michaelis Imperatoris mors.

Basilij pœnitentia

De Constantinopoleos nominibus, situ, & circumhabitantibus, deq; uigilia nocturna ibidē constituta à Leone Imp. cuius ut fidem & diligentiam experiret, in habitu iuuenis lasciui illapsus in duas custodias, eas muneribus corrupit, à tertia in carcerem ductus, priores exilio mulctauit, posteriores opibus & honore extulit. Caput III.

NVnc aūt nō pigeat libellulo huic res duas quas eiusdē Basilij filius memoratus Leo Imperator Augustus memoria sua dignas fecit, inserere. Constantinopolitana urbs quæ prius Byzantiū, noua nūc dicit Roma, inter ferocissimas gentes est constituta: Habet quippe ab Aquilone Hungaros, Pizenacos, Chazaros, Russios, quos alio nomine nos Nortmannos appellamus, atq;

mus,atq; Bulgaros nimiũ ſibi uicinos. Ab oriente Bagdas. Inter orientem & meridiem, Ægypti,Babyloniæq́; incolas. A meridie uero Aphricã habet,& notam illã uicinã ſibiq́; contrariã inſulã Creteñ. Cæteræ uero quæ ſunt ſub eo climate nationes,Armenij.ſ.Perſæ,Chaldæi,Auaſgi huic deſeruiunt. Incolę deniq; ciuitatis huius,ſicut memoratas gentes diuitijs,ita & ſapientia ſu perexcellunt. Moris quippe eorũ eſt,ne à uicinis gentibus opprimantur, ſingulis quibusq; noctibus ꝑ totius ciuitatis biuiũ,triuiũ, quadriuiũq́; armatos milites cauſa cuſtodiẽdæ ciuitatis qui eã inuigilẽt ponere. Fitq́; ut ſi poſt crepuſculũ quenq̃ deambulantẽ aliquò cuſtodes offenderint,captus,ꝓtinus,uerberibusq́; cæſus, cuſtodia peruigili cõpedibus in carcere ſtrictus,uſq; in craſtinũ in publicũ producendus ſeruet᷑. Hoc deniq; pacto nõ ſolũ ab hoſtibus, uerũ & à latronibus illæſa ciuitas cuſtodit᷑. Leo itaq; Imp. uigilum fidem conſtantiamq́; probare uolens, ſolus poſt crepuſculum è palatio deſcendens ad primã peruenit cuſtodiã. Quẽ ut uigiles fugientẽ,& quaſi metu declinantẽ uiderũt,comprehenſum quis eſſet interrogauerũt,quó ue pergeret. Qui è multis unũ ſe eſſe,& lupanar petere dixit. Cui mox,cæſum te acriter,inqunt,compedibusq́; ſtrictũ uſq; in craſtinũ reſeruabimus. Quibus reſpondit,nequaq̃ fratres,nequaq̃,accipite quod porto, permittite ire quò uolo. Qui xij. aureis acceptis,eũ dimiſerũt. Inde uero tranſiens ad ſecundam uenit cuſtodiã. Qua quemadmodũ & in prima captus,datisq́; uiginti aureis,eſt dimiſſus. Ad tertiã deinde dũ ueniſſet eſt captus:uerũ nõ ut à prima ac ſecũda datis aureis eſt dimiſſus:ſed ablatis oĩbus, cõpedibusq́; grauiter ſtrictus, pugnis, flagriſq́; uerberatus, cuſtodia uſq; in craſtinũ producẽdus ſeruat᷑. His itaq; diſcedentibus,cuſtodẽ carceris Imp. ad ſe uocãs,Amice mi,inquit, Leonẽ Imp. noſti? Quomodo,infit,noſcere poſſim,quẽ uidiſſe me nõ meminerim? Ad publicũ ſanè quanq̃ raro dum procedere à longe, quia prope nequeo, eum intueor: mirabile quiddã,& nõ hominẽ uidere uideor. Dare aũt te operã quo illæſus exeas,q̃ id percontari tibi cõmodius eſt. Non æque uos,te quidẽ in carcere, illum autẽ in aureo triclinio fortuna fouet. Parua ſunt hæc, grauiora addant᷑ uincula,ne ſit ſpatiũ de Imp. meditandi. Cui ille, Deſine,inquit,deſine,Imp. enim ipſe ſum Leo Auguſtus, qui de palatij dignitate nõ bono omine prodij. Carceris autẽ cuſtos ſperans nõ uera eſſe quæ dixerat, Egon',inquit, hominẽ impurũ, bona ſua cum meretricibus abligurientẽ Imp. credã? Quoniã tete tu neglexiſti,ꝑ te ego deſpiciã matheſim. Mars trigonus,Saturnus Venerem reſpicit,Iupiter quadratus, Mercurius tibi iratus,ſol rotundus,luna in ſaltu,mala fortuna te premit. Imp. uero,ut uera, inquit,probes eſſe quæ dico, dum matutinale dederint ſignum:ante enim nõ auſi ſumus,mecum ad palatium potiori q̃ ego deſcenderim omine uenito: ſi me ut Imp. non iſtic recipi uideris,occidito. Nõ minoris quippe criminis erit me Imp. dixiſſe ſi non ſim, quàm aliquẽ occidiſſe. Si uero te ob id mali quicq̃ pati formides, hoc faciat

Excubiæ

Leo uigilũ fidem explorat

mihi

mihi deus,& hoc addat,si non potius præmiũ pro hac re sumes q̃ suppliciũ. Igitur carceris custos credulus effectus, Dato, Imperator ut dixerat, matutinali signo, eum ad palatiũ usq; comitatẽ. Quumq; eódem uenisset, uenerabiliter sicut à se noscentibus susceptus, comitẽ suum exanimatũ nimia admiratione reddidit. Sanè dum huic omnes dignitates occurrere, laudes reddere, adorare, soccos detrahere, alia atq; alia pro se quemq; facere cõtemplaretur, emori ei satius tunc esse duxit q̃ euiuere. Cui Imp. Contẽplare, inquit, nunc mathesin, & si uere quo huc adueneris omine dixeris, ueram te augurandi scientiam habere probabis. Prius tamen quæso quid morbi sit proferas, quod te tam pallidum reddidit. Cui ille, Parcarum, infit, optima Clotho iam nere desinit: Lachesis uero in torquẽdo amplius laborare nõ cupit, sæuissima aũt harum Atropos solam imperij tui sententiã expectat, ut fila contrahens abrumpat. Palliditatis autem uultus mei causa hæc est, animam à capite descendisse, secumq; in inferiorem corporis partem sanguinẽ perduxisse. Subridẽs igitur Imperator, Recipe, inquit, animã, recipe, & cum hac bis binas aureorũ libras assume, nulliq; de me nisi aufugisse respondeas. His ita gestis, Imperator uigiles qui se captum dimiserant, quiq; cæsum custodiæ manciparant, uenire præcepit. Quibus & ait, Vigilantibus uobis, custodiãq; ciuitati præbentibus, nunquid fures aliquando adulterosq; offendistis? Qui precio eum dimiserant, nil se uidisse responderunt: qui uero cæsum illum custodiæ manciparant, ita responderunt, Præcepit δεσποτεία σου ἁγία, id est, dominatio tua sancta, ut si uigiles post crepusculũ quenquã aliquò deambulantẽ offenderent, captum protinus, uerberibusq; cæsum custodiæ traderent. Tuis itaq; nos parentes iussionibus dominator sanctissime, hac quæ præsentem præcessit diẽ, nocte quendã lupanaria petentẽ cepimus, flagellauimus, carceriq; impositum imperio tuo producendum seruauimus. Quibus Imperator cito inquit, ut in medium proferatur, potestas imperij mei etiã atq; etiam imperat. Nec mora, uinctus ut ducatur, percurrunt. Quem dum aufugisse audirẽt, semiuiui ad palatiũ sunt reuersi. Quod quum nunciassent Imperatori, mox Imperator se exutum, nimisq; cæsum ostendens, Venite, inquit, nolite formidare, ipse ego sum quẽ flagellastis, quẽq; è carcere nũc aufugisse formidatis. Scio enim, & uere credo, quod non Imp. sed Imperatoris inimicum tundere cogitastis. Hos qui non ut Imperatorem me, sed ut latronem, uitæq; meæ insidiatorem dimisere, morte tenus uerberatos, urbe expelli, bonisq; omnibus priuari mea non solum cupit, uerum & iubet autoritas. Vos autem nõ solum meis, sed & horum peruersorũ diuitijs dono. Quod quàm prudenter egerit paternitas tua, in hoc aduertere poterit: quoniam cæteris extũc ciuitatem diligentissime custodire, hũc etiam absentem quasi præsentem sperare necesse erat. Sicq; factum est, ut Imperator amplius de palatio non descenderet, & sui omnia fideliter custodirent.

Parcæ

Animaduersio in uigiles

De altero Leonis Imp. ludo, quo uigiliã unius è xij. corporis sui custodibus remunerauit, cæteris elusis ob somnolentiam. Caput IIII.

Alterum quem ipse gessit ludum, silentio tegi absurdum esse dijudico. Constantinopolitanũ palatiũ ob Imperatoris salutẽ multorum præsidijs militũ custodit: Custodientibus uero uictus censusq́ quotidie non paruus impenditur. Contigit itaq́ duodecim post corporis refectionem in ipso feruore diei una in domo quiescere (Mos quippe Imp. erat cunctis quiescentibus totũ perreptare palatium.) Qui quũ die quadam eódẽ quò duodecim memorati lethæo sese dederant sopori, peruenisset, ligno modico ut nõ incallidus, ostij pessulo proiecto ingrediendi sibi aditũ fecit. Vndecim uero dormientibus, ut ars artẽ falleret, duodecimus peruigil stertere ceu dormiens cœperat, contractisq́ in faciẽ brachijs, totum quod Imperator faceret diligentissime considerabat. Imperator igit ingressus dum obdormire cunctos perspiceret, aureorũ numismatũ libram pectori uniuscuiusq́ apposuit, moxq́ clam egressus ostiũ ut prius fuerat clausit. Eò autẽ hoc egit, quatenus excitati & de lucro gratularentur, ac qualiter hoc acciderit admirarentur. Deniq́ discedẽte Imperatore, qui uigil solus extiterat, surrexit, dormientiumq́ numos aureos sibi assumpsit atq́ reposuit. Postea uero quieti sese reddidit. Imperator igit de hoc ludo solicitus, post nonã, xij. hos quos nominauimus, ad se uenire præcepit, eosq́ ita cõuenit, Si forte uestrum quempiã somnij uisio deterruit, aut hilarem reddidit, ut in medium proferat, mea iubet autoritas: nec minus & si quid nouitatis expergefactus quisq́ uidit ut detegat imperat. Hi itaq́ quemadmodũ nihil uiderãt, nihil se uidisse responderũt. Magis aũt super hoc admirati, conticuere, intentiq́ ora tenebant. Existimans Imp. eos non rei ueritate, sed calliditate aliqua reticere, succensus est, atq́ magis cœpit nõnulla terribilia reticentibus cõminari. Quod qui omniũ cõscius erat ut audiuit, huiusmodi humillima & supplici uoce Imperatorem cõuenit. Humanissime Imp. hi quid uiderint, nescio, ego tamen delectabile atq́ utinã quod persæpe contingeret, uidi somniũ. Vndecim his cõseruis meis & hodie uere, sed omnino mihi opportune dormientibus, uisus sum quasi non dormiens uigilare. Ecce aũt magnitudo imperij tui, quasi occulte ostiũ reserans, clanculũq́ ingressa, librã auri apposuit supra singulorũ pectus. Quũq́ imperiũ tuum quasi repedare, sociosq́ hac uisione stertentes cernerẽ, cõtinuo ceu lætus exurgens, xi. dormientium tuli libras aureorum numismatũ, meoq́ marsupio in quo una erat apposui, quatenus ob transgressionẽ decalogi, ne solũ xi. uerũ ad memoriã apostolorũ mea una adhibita, & ipsæ essẽt xij. Visio hæc pater Auguste, bonũ sit nescio, usq́ modo me nõ deterruit, sed hilarẽ reddidit. O utinã interpretatio alia impio tuo nõ placeat. Nã & me diuinũ & somnij uenditorẽ esse liquido patet. His auditis, magno est cachinno Imp. inflatus, uerum prudentiã eius atq́ solicitudinẽ plus admiratus, protinus infit, Antehac te neq́ diuinum,

Leo uigiles pertẽtat miro astu

diuinum, neq; somnij uenditorem esse audiui. Hanc uero rem nūc ita aperte dixisti, ac si nulla circumitione usus esses: sed quia uigilandi facultatē sine auspicandi scientia habere non posses, nisi diuino esset tibi munere traditū, seu uerum sit ut speramus, imò credimus, seu falsum: fertur enim de quodam, quod dormiens multa reperit, à gallo excitatus nihil inuenerit: tu tamen quicquid uideris, quicquid repereris, tuum sit. His auditis quanta cęteri sint confusione repleti, quantoq; is gaudio sit plenus, eorum quisq; in se personas suscipiens, animaduertere poterit.

De Arnulfi, qui per Hungaros Zuuentebaldum uicit, stolida temeritate, quum genti perniciosæ ad Christianos subiugandos aditum munierit. Cap. V.

ARnulfus interea earū quæ sub arcturo sunt gentiū rex fortissimus, quū Zuuentebaldū Marauanorū ducem quem supra memorauimus, sibi uiriliter repugnātē debellare nequiret: depulsis his, proh dolor, munitissimis interpositionibus, quas uulgo clusas nominari prædiximus, Hungarorū gentem cupidam, audacē, omnipotentis dei ignarā, scelerū omniū non insciā, cædis & omniū rapinarū solūmodo auidā, in auxiliū conuocat, si tamen auxiliū dici potest, quod paulo post eo moriente tum genti suæ, tū cęteris in meridie occasuq; degentibus nationibus, graue periculū imò excidiū fuit. Quid igit? Zuuentebaldus uincit, subiugat, fit tributarius: sed dño solus. O cæcam Arnulfi regis regnādi cupiditatē, ô infelicē amarūq; diē. Vnius homūcionis deiectio, fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus uiduitates, patribusq; orbitates, uirginibus corruptiones, sacerdotibus populisq; dei captiuitates, ecclesijs desolationes, terris inhabitatis solitudines, cæca ambitio paras? Legisti obsecro ipsius ueritatis uerba dicentis, Quid prodest homini, si totū mundū lucraret, animæ uero suæ detrimentū patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quod si te ueri iudicis nō terruit seueritas, ipsa saltem furorē tuū humanitatis temperaret cōmunitas. Eras enim inter homines homo, si dignitate sublimis, nō tamen natura dissimilis. Flebilis heu miserabilisq; conditio, quū illa bestiarū serpentiumq; seu alitū genera, quæ intolerabilis sæuitia ac letale uirus ab hominibus separata esse facit, ut sunt basilisci, qui latine reguli, uel rhinocerotes seu gryphes quæ & aspectu suo cunctis perniciosa esse uident: inter se tamen pro originis ipsius affinitatisq; cōsortio pacata & innoxia perseuerant. Homo autē quum sit ad imaginē & similitudinē dei formatus, legis dei conscius, rationis capax, nō solum proximū non amare potest, sed & odisse plurimum ualet. Videamus igit quid Ioannes nō quilibet, sed uirgo ille egregius cœlestis secreti conscius, cui Christus in cruce matrem uirginē uirgini cōmendauit, super talibus dixerit, Qui odit fratrem suū, homicida est, & scimus quod omnis homicida non habet uitam æternā in se manentē. Sed redeamus ad rem. Deuicto nāq; Zuuentebaldo, Marauą

Hungarorū impietas

Ambitionis mala

Marauanorum duce, Arnulfus pace habita regno potitur. Hungari interim obseruato exitu, contemplaticq; regionem cordibus, malum quod postmodũ in propatulo apparuit, machinabantur.

De Vuidonis (quẽ alij Guidonẽ, alij Hugonẽ uocant) & Berengarij ducũ confœderatione: ita ut mortuo Carolo Caluo, Vuido se Franciæ Romanæ regẽ inungi curauerit: Berengarius Italiæ. Franci aũt iam Odonẽ regẽ constituerant. Et de causa leui, quur Franci Vuidonẽ reiecerint. Cap. VI.

DVm hæc aguntur, rex Galliç Carolus, qui cognominatus est Caluus, prę sentem moriendo mutauit uitã. Cui dum uiueret, duo ex Italia præpotentes principes seruiebant, quorũ alter Vuido, alter dictus est Berengarius. Hi sanè tanto sunt amicitiarum fœdere conglutinati, ut sibi hoc iureiurando promitterẽt, quod si regi Carolo superstites forent, alterius alter ordinationi conniueret, simul ut Vuido quam Romanã dicunt Franciã, Berengarius obtineret Italiam. Sed quum sint nonnulla incerta & instabilia amicitiarum genera, quæ diuersis modis humanũ genus dilectionis societate connectunt, ut quosdã præcedẽs cõmendatio postmodũ amicitiæ inire facit cõmercia, alios negociationis seu militiæ uel artis ac studij similitudo, quæ & sicut ex diuersis uel lucri uel libidinis uel necessitudinũ uariarum societatibus acquiruntur: ita intercedente qualibet diuortij occasione soluuntur. Hoc tamen est, hoc inquam amicitiæ genus, quod multis experimẽtis est sæpissime comprobatũ, nullo modo eos qui amicitiarum fœdus coniurationis iniere principio, indiruptam quiuisse seruare concordiã. Sanè quidẽ callidissimus ille humani generis inimicus, ut homines sui præuaricatores faciat sacramenti, celerius sagaciusq; ad irrumpendã amicitiã laborat. Quod si animos recte sapiẽtũ de uero amicitiarũ genere percontamur, respondebimus concordiã ueramq; amicitiã nisi inter emendatos mores eiusdemq; uirtutis & propositi uiros stare nõ posse. Cõtigit itaq; utrunq; Vuidonẽ atq; Berengariũ Caroli regis funeri deesse. Cuius tamen interitũ Vuido ut audiuit, Romã profectus est, & absq; Francorũ consilio totius Franciæ unctionẽ suscepit imperij. Franci itaq; Odonẽ, quoniã Vuido aberat, regẽ constituunt. Berẽgarius uero Vuidonis consilio, quẽadmodũ ei iureiurãdo ꝓmiserat, Italici regni suscepit imperiũ. Vuido aũt Franciã petit. Quũq; Burgundionũ regna transiens, Franciã quam Romanã dicũt ingredi uellet, Francorũ nuncij ei occurrũt, se redire nunciãtes, eo ꝗ longa expectatione fatigati, dũ sine rege esse diutius nõ possent, Odonem cũctis petẽtibus elegerũt. Fertur aũt hac occasione Frãcos Vuidonẽ regẽ sibi nõ assumpsisse. Nã dum ad Metensem uenturus esset urbẽ, quæ potẽtissima in regno Lotharij claret, præmisit dapiferũ suum qui alimẽta illi more regio prępararet. Metẽsis uero episcopus, dum cibaria ei multa secundũ Francorũ consuetudinẽ ministraret, huiusmodi responsa à dapifero suscepit. Si equum saltem mihi dederis, faciam ut tertia obsonij huius parte sit rex Vuido contentus.

Amicorũ uaria genera

Vuidonis repulsa

tentus. Quod episcopus audiens: Non decet, inquit, talem super nos regnare regem, qui decẽ drachmis uile sibi obsoniũ præparat. Sicq́; factũ est, ut Vuidonem desererent, Odonem autem eligerent. Francorum igitur legationibus non parum rex Vuido perturbatus, nonnullis cœpit cogitationibus æstuare, tam ex Italico regno Berengario iureiurãdo promisso, quàm ex Francorũ, præsertim quod penitus illud se non posse sciuerat adipisci. Inter utrãq; autem æstimationem quoniam Francorum rex esse nequibat, frangere quod Berengario fecerat iusiurandum deliberat: collectoq́; prout potuit exercitu, traxerat sanè & à Francis quandam affinitatis lineam, Italiam'que concite ingressus, Camerinos atq; Spoletinos fiducialiter ut propinquos adijt, Berengarij etiam partibus fauentes, ut infidos pecuniarum gratia acquirit: itaq; Berengario bellum parat. Copijs deniq; utraq; ex parte collectis, iuxta fluuium Teruiam, qui quinq; à Placentia miliarijs distat, ciuile bellum parant, in quo quũ partibus ex utrisq; caderent multi, Berengarius fugam petijt, triumphũ Vuido obtinuit. Nec mora, diebus paucis interpositis, collecta Berengarius multitudine, in Brixiæ latissimos campos Vuidoni bellum parat: ubi quum maxima strages fieret, fuga sese Berengarius liberauit. *Vuidonis perfidia*

Berengarius Arnulfum in auxilium pollicitationibus pellicit in Guidonẽ, qui quum alteram fluuij ripam teneret, & congredi nequirent, Baioarius quidam Arnulfi eques Italos ad certamen insolentius prouocauit, & ab Hubaldo quodã uictus occubuit, Arnulfiq; nothus bello decessit. Berengarius autem Arnulfum rursum promissis onerat, qui rediens multas urbes subiugauit. Cap. VII.

IAm uero Berengarius, quum Vuidoni resistere copiarum paucitate nequiret, potentissimũ quem prædiximus, Arnulfum regem in auxilium rogat, promittens se suosq́; eius potentię seruituros, si uirtutis suæ adminiculo Vuidonẽ superaret, regnumq́; sibi Italicũ uendicaret. Huius plane tantæ promissionis gratia accitus rex Arnulfus filium suũ Zuuentebaldũ quem ex concubina genuerat, ualido cũ exercitu, huius in auxiliũ dirigit, ueneruntq́; pariter omni sub densitate Papiam. Vuido uero ita fluuiolũ qui Papiã alluit, Veruaiolum nomine, tam sudibus q̃ exercitu munierat, quatenus altera alterã ipso medio discurrente, pars partẽ oppugnare nequiret. Vnus & uicesimus dies transierat, quũ sicut prędiximus, altera pars alteri nocere non posset, & Baioariorũ unus quotidie agminibus exprobrans Italorũ, imbelles eos, atq; equitandi inscios clamabat. Ad augmentum etiã dedecoris inter eos prosilijt, hastamq́; uni ex manu excussit, sicq́; lætus in suorũ castra repedauit. Hubaldus igit̃ Bonifacij pater, qui pòst nostro tẽpore Camerinorũ & Spoletinorũ extitit marchio, tantũ gẽtis suæ cupiẽs dedecus uindicare, clypeo accepto, obuiã mox prędicto Baioario tẽdit. Is aũt triũphi præteriti nõ solũ nõ imemor, sed eo factus audacior, ceu de uictoria iam securus hunc contra properat lætus. *Hubaldi uirtus*

Cœpitq́;

Cœpitq́ꝫ uertibilem equum modo impetu uehementi dimittere, strictis modo habenis retrahere. Memoratus uero Hubaldus rectà eum cœpit adire. Quumq́ꝫ in eo esset, ut mutuis se figerent uulneribus, more solito Baioarius equo uersili uarios flexosq́ꝫ per anfractus cœpit discurrere, quatenus argumentis posset Hubaldũ decipere. Verũ quũ hac arte terga uerteret, ut mox rediens Hubaldum ex aduerso percuteret, equus cui Hubaldus insederat, uehementer calcaribus tunditur, & per scapulas antequã reuerti posset, Baioarius lancea ad cor usqꝫ perforatur. Hubaldus igitur freno Baioarij præripiens equum, ipsum in medio fluuioli alueo exutum homine reddidit: sicq́ꝫ suorũ iniuriæ ultor de triumpho ad suos redijt hilarior. Hoc sanè factum non mediocrẽ Baioarijs terrorẽ, Italicis audaciam intulit. Inito quippe Baioarij consilio, nõnullisq́ꝫ Zuuentebaldus à Vuidone argenti acceptis ponderibus in propria remeauit. Igitur Berengarius dum ubi prospera inimico, sibi aduersa prospiceret, cum Zuuentebaldo pariter Arnulfi regis adijt potentiam, orans ac pollicens, ut si ipsum adiuuaret, se totam Italiã, ut ante promiserat, ditioni eius suppositurum. Qui tantæ promissionis gratia excitus copijs collectis, cominus Italiam adit. Cui Berengarius, ut promissioni suæ daret fidẽ credulitatis, arrabonem clypeum portat. Susceptus itaqꝫ à Veronensibus, *Pergamum capitur* ad urbem proficiscitur Pergamum, ubi dum firmissima loci munitione confisi, imò decepti homines ei occurrere nollent, castrametatus ibidem belli fortitudine urbem capit, incolas iugulat, trucidat. Ciuitatis etiam comitem *Ambrosius suspensus* Ambrosiũ nomine, cũ baltheo & armillis, cæterisq́ꝫ preciosis indumẽtis suspendi ante portæ ianuam fecit. Quod factum, cæteris omnibus urbibus, cunctisq́ꝫ principibus terrorẽ non paruũ attulit. Quicunqꝫ enim hoc audierat, utraque auris eius tinniebat. Mediolanenses igitur atqꝫ Ticinenses hac fama perterriti, eius non ausi sunt præstolari aduentum: uerum præmissa legatione, iussioni suæ se obtemperaturos esse promittunt. Othonem itaqꝫ Saxonum potentissimum ducem huius gloriosissimi atqꝫ inuictissimi regis Othonis qui nũc usqꝫ superest, & feliciter regnat, auum Mediolanum dirigit gratia defensionis, rectà ipse Ticinum petit.

De Vuidonis à facie Arnulfi fuga, Arnulfi metrica ad suos concione: postquam urbs Roma capta est. Et de Formosi papæ ab Rom. persequutione & causa simultatis, Sergijq́ꝫ antipapæ postmodum intrusi in eum defunctũ immanitas: & miraculosa Formosi sepultura. Cap. VIII.

Vuidonis fuga DEniqꝫ Vuido huius impetum ferre non ualens, Camerinũ Spoletumq́ꝫ uersus fugere cœpit. Quem sine dilatione acriter rex insequitur, urbes & castella omnia sibi resistentia debellãs. Nullũ siquidẽ castrum fuerat natura etiã ipsa tam munitũ, quod uirtuti huius saltẽ resistere moliretur. Quid autẽ mirum, quũ ipsa ciuitatũ omniũ regina magna scilicet Roma, huius impetũ ferre nequiuerit. Enimuero dum à Romanis ingrediẽdi urbem huic fiducia negaret, cõuocatos ad se milites ita conuenit.

Magna-

Magnanimi proceres & clari marte secundo,
Arma quibus studium fuluo radiare metallo,
Romulidæ sueti uacuis quod condere sceptris,
Sumite nunc animos, uobis furor arma ministret.
Non Pompeius adest, non Iulius ille beatus,
Qui nostros domuit proauos mucrone feroces.
Indolis en huius summam deduxit ad Argos.
Protulit in lucem quem sancta †Ritanica mater,
Bis torta studium pingues captare Siluros
Cannabe, non clypeos manibus gestare micantes.

Arnulfi concio

al. Britãnica

His heroës dictis animos accensi uitam auiditate contemnunt. Clypeis deniq; cratibusq; cateruatim operti muros adire contendunt. Plurima etiam bellorum parauerant instrumenta, quum inter agendũ populo cõsiderante contigit lepusculum clamore eius exterritum urbem uersus fugere. Quẽ dum populus exercitusq;, ut assolet, impetu uehementi sequeret, Romani putantes se impugnari, de muro sese proijciunt. Quod populus cernens, sagmatibus sellisq; quibus equis insederant, iuxta murum proiectis, per eorũ aceruũ muros ascendunt. Populi uero pars quædam, accepta mox trabe quinquaginta pedum procera longitudine, portam quatiunt, & Romam quam Leonianam dicunt, in qua beati Petri apostolorum principis preciosum corpus quiescit, ui capiunt. Cæteri uero qui trans Tyberim erant, hoc timore compulsi, huius dominatui colla submittunt. Hoc in tempore Formosus papa religiosissimus à Romanis uehementer afflictabat, cuius & hortatu rex Arnulfus Romam aduenerat, in cuius ingressu ulciscendo papæ iniuriã multos Romanorũ principes obuiam sibi properantes, decollari præcepit. Causa autem simultatis inter Formosum papã & Romanos hæc fuit. Formosi prædecessore defuncto, Sergius quidã Romanæ ecclesiæ diaconus erat, quem Romanorum pars quædam papam sibi elegerat. Quædã uero pars non infima nominatũ Formosum Portuensis ciuitatis episcopũ pro uera religione diuinarumq; scripturarum & doctrinarum scientia papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, ut Sergius apostolorum uicarius ordinari debuisset, ea quæ Formosi partibus fauebat pars, cum non mediocri tumultu & iniuria Sergium ab altari expulit, & Formosum papam constituit. Descenditq; Sergius in Thusciã, quatenus Adelberti potentissimi marchionis auxilio iuuaretur: quod & factum est. Nam Formoso defuncto, atq; Arnulfo in propria reuerso: is qui post mortem Formosi papa constitutus est, expellitur, Sergiusq; papa per Adelbertũ constituitur. Quo cõstituto, ut impius doctrinarumq; sanctarũ inscius, Formosum è sepulchro extrahere, atq; in sedem Romani pontificatus sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit. Cui & ait, Quũ Portuensis esses episcopus, quur ambitionis spiritu Romanã

Leporis omen

Roma capitur

Papæ & ciuium Ro. discordia

Sergius antipapa

ü uniuer

uniuersalē sedē usurpasti? His expletis sacratis mox exutū uestimentis, digitisq; tribus abscisis, in Tyberim iactare præcepit, cūctosq; quos ipse ordinauerat, gradu proprio depositos iterū ordinauit. Quod quàm male egerit pater sanctissime, in hoc animaduertere poteris, quoniam & hi qui à Iuda domini nostri Iesu Christi proditore ante proditionem salutem seu benedictionem apostolicam perceperant, ea post proditionē proprijq; corporis suspensionem minime sunt priuati, nisi quos improba forte defœdarāt flagitia. Benedictio siquidem quæ ministris Christi impenditur, non per eum qui uidetur, sed qui non uidetur sacerdotem infunditur. Neq; enim qui rigat est aliquid, neq; qui plantat, sed qui incrementum dat deus. Quantæ autem autoritatis, quātæq; religionis papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inuentus, atq; ad beati Petri apostolorum principis ecclesiam deportatus, sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum uenerabiliter salutarunt. Hoc nanq; à religiosissimis Ro. urbis uiris persæpe audiui. Sed his omissis ad narrādi ordinē redeamus.

Miraculum

De Firmi per Arnulfum obsidione, & per astum uxoris Guidonis quæ potionem soporiferam Arnulfo propinandā curauerat, solutione, de causa mali in Arnulfo, eiusq; insolētia & templorū prophanatione. De Arnulfi cōsilio in Berengarium cæcandū. Eiusq; deinde contemptu: de seditione & cæde Ticini, quæ nunc Papia dicit, facta. De Anscarij metu: & Arnulfi tetro exitu. Cap. IX.

REx Arnulfus desiderij sui compos effectus, persequi Vuidonem nō desijt, profectusq; Camerinum, castrum uocabulo & natura Firmum, in quo Vuidonis uxor erat, obsedit. Vuido autem in incertis latuit locis. Præfatum igitur castrum nomine & natura Firmum, uallo circundatur, omnia bellorum instrumenta quibus capi posset preparant. Quumq; Vuidonis uxor magnis undiq; angustijs premeretur, & euadendi spes illi omnis negaretur, causas mortis regiæ uiperina cœpit calliditate exquirere. Accitum nanq; ad se quendam Arnulfi regis familiarissimū magnis eum muneribus rogat, ut se adiuuet. Qui quum se nō aliter posse testaretur, nisi ciuitatem domini sui traderet ditioni: illa etiam atq; etiam magna auri pondera non solum pollicens, uerum in præsentiarum tribuens, orat, ut quodam poculo ab ea sibi collato dominum suum regem potaret: quod non periculum mortis daret, sed mentis feritatem mulceret. Quæ etiam suis ut fidem dictis præberet, ante illius præsentiam hoc unum suorum potat seruorum. Qui unius horæ spatio conspectu huius astans, sanus abscessit. Verum ueridicam Maronis illius sententiam in medium proferamus.

Firmi obsidio

Aen. 3

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Sumptum nanq; letale poculum festinus regi propinat. Quo accepto, tanta hunc

Potio soporifera

hunc cōfestim somni uirtus inuasit, ut totius exercitus strepitū triduo excitatus euigilare nequiret. Fertur aūt quoniā dum familiares hūc, modo strepitu, modo tactu inquietarent, apertis oculis nil sentire, nil loqui potuisse perfecte. Positus tamen in mentis excessu mugitum reddere, non uerba ædere uidebatur. Huius autem rei actio repedare omnes compulit, non pugnare.

Credo autem Arnulfum regem iusta seueri iudicis censura huiusmodi pestem incurrisse. Secundæ enim res dum imperium huius ubique magnificarent, uirtuti suæ cuncta tribuit, non debitum omnipotenti deo honorē reddidit. Sacerdotes dei uincti trahebantur, sacræ uirgines ui opprimebantur, coniugatæ uiolabantur. Neque enim ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum. In his nanque symbola faciebant, gestus turpes, cantus ludicros, & debacchationes. Sed & mulieres eódem publice prostituebantur. Deniq; redeuntem Arnulfum regem cum magna multitudine, paulatim rex Vuido persequitur. Quumq; Arnulfus Bardonis montem conscenderet ibi suorum consilio definiuit quatenus Berengarium lumine priuaret, sicq; securus Italiam obtineret. Cognatorum uero Berengarij unus qui non parua Arnulfo regi familiaritatis gratia inhærebat, huius consilium ut agnouit, absq; mora Berengario patefecit, qui mox ut sensit, lucerna, quam ante Arnulfi regis præsentiam tenebat, alij tradita fugit, atq; Veronam percitus uenit. Omnes extunc Italienses Arnulfum floccipendere, nihili habere, unde quum Ticinū ueniret, non modica orta est in ciuitate seditio, tantaq; istic strages exercitus facta est, ut cryptæ ciuitatis, quas alio nomine cloacas dicūt, implerentur horum cadaueribus. Quod Arnulfus cernens quoniam per Veronam non potuit, per Hannibalis uiam quam Bardum dicunt, & montem Iouis, repedare disposuit. Quumq; Iporegiam peruenisset, Anscarius marchio istic aderat, cuius exhortatu ciuitas rebellabat. Verum hic Arnulfus iureiurando promiserat, nunquam se à loco eodem discessurum quàm præsentiæ suæ repræsentarent Anscarium. Is autem ut erat homo formidolosus ualde, ei omnino similis qui à Marone canitur, Largus opum, lingua melior, sed frigida bello dextra, de castello exijt, & iuxta murum ciuitatis in cauernis petrarum latuit. Hoc eò fecit, quatenus licite possent regi Arnulfo iureiurādo satisfacere Anscarium in urbe non esse. Itaq; iusiurandum istud accepit rex, atq; iter quod cœperat peragens abijt. Profectusq; in propria turpissima ualetudine expirauit. Minutis quippe uermibus quos pedunculos aiunt, uehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem quod præfati uermes adeo scaturirent, ut nullis medicorum curis minui possent. Vtrum uero pro tam immenso scelere, Hungarorum scilicet emissione, secundum prophetam duplici sit contritione attritus, an ut ex præsenti supplicio consequeretur ueniam in futuro, solius dei scientiæ dimittamus: quod & Apostolus dicit, Nolite ante tempus iudicare, quoad usq; ueniat dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarū,

Nemesis

Arnulfi insolentia

Consilium de excæcādo Berengario

Arnulfi contemptus

Clades Ticini facta

Anscarij metus

Arnulfi interitus

& manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a deo.

De Vuidonis obitu, Berengarij in regnum receptione, sed mox Lanthberti filij Vuidonis coronatione, populi in eum fauore & principum odio. Nam Maginfredus Mediolanen. comes in eum grassabatur: sed uictus capite punitus est: & Adelbertus diues in eum mouit. Cap. X.

IVstus autem deus, uxori Vuidonis quæ huic parauarat mortem, parat uiduitatis dolorem. Sicut enim præfati sumus, dum redeuntē Arnulfum rex Vuido euestigio sequeretur, iuxta fluuiū Tarum defunctus est. Cuius obitū Berengarius ut audiuit, uenit festinus Papiam, regnumq; potenter obtinuit: fideles uero fautoresq; Vuidonis, ueriti ne ab eis illatam Berengarius ulcisceretur iniuriam, & quia semper Italienses geminis uti dominis uolunt, quatenus alterum alterius terrore coërceant, Vuidonis regis defuncti filiū nomine Lanthbertum elegantem iuuenem adhuc ephebum minusq; bellicosum regem constituunt. Cœpit deniq; hūc populus adire, Berengarium deserere. Quumq; Berengarius Lanthberto cum exercitu magno Papiam tendenti, copiarum paucitate occurrere nō auderet, Veronam petijt, isticq; securus degit. Non post multum uero temporis Lanthbertus rex quum esset uir seuerus, principibus grauis est uisus. Vnde & legatos Veronam dirigunt, & regē Berengarium ad se uenire, Lanthbertum uero expellere petunt. Maginfredus prætera Mediolanēsis urbis comes quinquennio huic rebellis extiterat, qui nō solum urbem in qua rebellis erat, Mediolanum scilicet defenderat, uerum & uicina circumquaq; Lanthberto loca seruientia depopulabat. Quod factum rex non passus abire inultum, psalmographicum illud persæpe ruminans: Quum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Nam post paululum capitis hunc iusserat damnari sententia. Quæ res terrorē cunctis Italiensibus non minimum incussit. Deniq; hoc eodem tempore Adelbertus illustris Thuscorū marchio atq; Hildebrandus præpotēs comes huic nisi sunt rebellare. Tantæ quippe Adelbertus erat potētiæ, ut inter omnes Italiæ principes solus ipse cognomēto diceretur Diues. Huic erat uxor nomine Berta, Hugonis pòst nostro tempore regis mater: cuius instinctu tā nepharia cœpit ipse facinora. Nam collecto exercitu, cum Hildebrando comite constanter Papiam tendere festinat.

Vuidonis mors

Lanthbertus rex fit

Maginfredi rebellio

Adelbertus diues Lanthberto rebel.

Geminis dominis Italia

De Lanthberti strenua uictoria in Hildebrandum quem fugauit, & Adelbertum quem cepit, & cauillo illusit post multorum stragem. Caput XI.

LAnthbertus interea rex harum rerum inscius, in Marinco iam aliquantis diebus uenationi uacabat. Quumq; Adelbertus marchio & Hildebrandus comes cum diuerso & inualido Thuscorū exercitu Bardonis montē transirent, Lanthberto regi medio in nemore uenanti ut sese res habuerat, nunciatur. Is uero sicut erat animi constans, uiribusq; potens, suos nō passus

est milites

est milites præstolari,sed collectis quos secum habebat centũ ferè militibus,
cursu præpeti eis occurrere festinat. Iamiam Placentiã uenerat, quum iuxta
fluuiũ Sestertionem ad Burgum in quo sanctissimi & preciosi martyris Do
minici corpus positum ueneratur,castra metasse nunciant. Ignorantes igitur
quid superuentura nox pareret, temulẽti post nõnulla inutilia τραγωδείμα
τα,id est,cantilenas,somno sese dedere,stertere: nauseam alij sumptus intem
perantia facere. Rex igitur animi ferox,tum ingenio callẽs,in ipso eos noctis *Strages*
conticinio opprimit,dormiẽtes ferit, oscitantes iugulat. Ventũ est deniq; ad
illos qui ductores huius exercitus erant. Quũq; eis nõ ex multitudine alius,
sed rex ipse præclari huius facinoris nuncius esset, non solum pugnandi, sed
& fugiendi terror ipse abstulit facultatem. Verum Hildebrandus fuga elap/
sus, Adelbertum intra animalium præsepe latitantẽ dereliquit: qui dum re/
pertus,atq; ante regis præsentiam ductus esset:rex eum ilico ita conuenit: Si
byllino spiritu uxorem tuam Bertam prophetasse credimus,quę te aut scien *Salse*
tia sua regem aut asinum facturam se promisit. Verum quia regem noluit,
aut, ut magis credendũ est, non potuit,asinum ne mentiretur effecit: dum te
etiã cum Archadiæ pecuaribus ad præsepe declinare coëgit. Præter eum au/
tem & alij cum ipso nonnulli capiuntur,uinciuntur,Papiam ducuntur,custo/
diæ mancipantur.

De mortis Lanthberti duplici opinione, quarum uerior putatur,
quod ab Hugone Mediolanensi cæsus sit,quod con/
queritur. Caput XII.

HIs ita gestis, rex Lanthbertus iterum præfato in loco Marinco uenatio/
nibus occupatur,quo ab omnium principum decreto quid super captis
agendum esset deliberaret. Sed ô utinam uenatio hæc feras caperet,non re/
ges. Aiunt sane hunc regem,dum sicut moris est, apros effreni confectaretur
equo,cecidisse,collumq; fregisse. Verum assertioni huic fidem præbere absur
dum esse duco. Est enim alia mortis huius quæ mihi uerisimilior uidet, atq;
ab omnibus populis narratur, assertio. Maginfredus Mediolanensis urbis
comes,cuius superius paulo fecimus mentionẽ, dum pro scelere in Rempub.
atq; in regem commisso capitis iudicio damnaretur, unicum possessionis ui/
carium Hugonẽ filium dereliquit. Quem dum Lanthbertus rex tum forma *Hugo Medio*
egregia,tum animi audacia nonnullos superare uideret: non paruum pro pa *lanensis*
tris morte dolorẽ collatis uisus est beneficijs mulcere quamplurimis. Vnde
& eum præ cæteris familiaritatis dilexerat priuilegio. Factũ est autem dum
Lanthbertus rex nominato in luco Marinco uenaretur(est enim ibidẽ miræ
magnitudinis & amœnitatis lucus adeo uenationibus aptus) huc illucq; cun
ctis ut moris est discurrentibus, hoc cum uno scilicet Hugone ipsum solum/
modo inibi remansisse. Quumq; rex aprum in transitu præstolaretur, diuq;
multum remorante longa expectatione lassaretur, paululũ sese quieti dedit,

 uigilia

uigiliæ custodiam huic infido quasi fido committens. Absentibus igitur cunctis, Hugonis mens custodis, imò proditoris atque carnificis collatorum beneficiorum immemor, plurimũ patris mortem animo cœpit reuoluere: non considerauit genitorem suum iustam incurrisse necem, iusiurandum quod fecerat regi uiolare non metuit, uicarium se Iudæ domini nostri Iesu Christi proditoris appellari non timuit. Verum conamine toto uirium, ligno non modico dormienti collũ fregit. Gladio quippe ferire timuit, ne peccati huius autorem res eum manifesta probaret. Eò nanque mens peruersa ita egit, ut non gladij cicatrix, sed ligni manifesta collisio, hæc reperiẽtibus fidem daret equo cecidisse, collique fractione hominem exiuisse. Latuitque res per annos quamplurimos: sed dum processu temporis Berengarius rex nullo sibi resistente, regnum uiriliter obtineret, ipse reatus proprij sicut fuerat autor, extitit & proditor. Impleuitque illud quod propheta canit, Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniqua gerens benedicitur. Sed aliter fecisse minime potuit: propter hæc ipsius ueritatis uerba dicentis, Nihil opertum quod non reueletur: & occultum quod non in publicum ueniat. His itaque gestis quũ Berẽgarius ampliori ac pristina dignitate regia honoraret, Adelbertus marchio & cæteri ad propria destinantur. Iuuat autẽ pater charissime tanti huius obitum regis & deflendo scribere, & scribendo deflere. Inerat nanque illi honesta morum probitas, sancta & formidolosa seueritas, & quem iuuentus ornauerat in corpore splendida, mẽtis canicies decorabat sancta. Planè plus ille reipublicæ quàm respublica decoris ei contulerat. Quod si non cita mors hunc raperet, is esset qui post Romanorum potentiam totum sibi orbem uiriliter subiugaret.

Hugo Lanthbertũ necat

Lanthberti deploratio

LIVTHPRANDI TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE, HISTORIARVM LIBER SECVNDVS.

De Ludouico Arnulfi filio, cuius tempore Hungari Baioariã inuadentes, eam immanissime uastauerunt. In quos Ludouicus bellum parat iuxta Lemannum lacum. Caput. I.



POSTQVAM uitalis calor Arnulfi regis membra deserẽs, corpus reddidit exanime: eius filius Ludouicus rex cunctis à populis ordinatur. Tanti denique casus uiri uicinos Hungaros (sicut nec in toto orbe degentes) latere non potuit. Siquidem leti huius fama fuit ipsis omni festiuitate iocũdior, gratijs omnibus præstantior. Quid igitur? Primo mortis huius, natique eius ordinationis anno, permagno collecto exercitu, Marauanorum gentem, quam uirtutis eorum adminiculo rex Arnulfus subdiderat, sibi uen

ſibi uendicant,Baioariorum etiam fines occupāt,caſtra diruunt, eccleſias conſumunt,populos iugulant, & ut magis magiſq; timeantur, interfectorū ſeſe ſanguine potāt. Ludouicus itaq; rex,gentis ſuæ depopulationem,illorūq; intelligens crudelitatem, ſuorum omnium animos hac formidine inflāmat, ut ſi bello eodem quenquam quod tum acturus eſſet, deeſſe contingeret, laqueo proculdubio uitam finiret.Innumerabilis deniq; illa gentis peſſimę collectio copijs huius obuiam properare feſtinat. Nec uideas ſitientem animā ardentius hauſtum laticis gelidi quàm prælij diem gentem hanc crudelē appetere.Neq; enim haud aliud quàm dimicaſſe iuuat. Vt autem ex libro qui de origine Hungarorum inſcribitur didici,horum matres mox pueris editis, ferro acutiſſimo faciem ſecant, ſcilicet, ut antequam lactis nutrimenta percipiant,uulnerum tolerantiam ſubire cogantur: dant huic aſſertioni fidem uulnera quæ pro deficientium dolore propinquorum,uiuorum corporibus infliguntur:ſanguinem neq; prout ἄθεοι καὶ ἀσέβειοι ἀντὶ τῶν ἀεκόντων, id eſt, Sine deo,ſine pietate pro inuitis fundunt.Iamiā rex Ludouicus collecta multitudine,Auguſtam uenerat,quæ eſt in Sueuorum, Baioariorum,ſiue orientalium Francorum confinio ciuitas,quum inſperata magis,nō autem optata gentis huius nunciatur uicinitas. Sequēti igitur die Lemanni ſecus fluminis campos Martio operi capacitate ſua aptos utræq; acies conuenere.

Hungarorum immanitas

Augusta

Hungari poſitis inſidijs Ludouici copias uincunt & delent,uotiq; compotes,Francorum,Saxonum,Sueuorumq; terras deprædant. Cap. II.

PRius itaq; ac titani croceum linqueret aurora cubile,Hungarorum gens necis ſitiens,belli auida, hos uidelicet Chriſtianos adhuc opprimit oſcitantes:nonnullos nanq; ſpicula priuſquam clamores euigilarūt.Citius enim ab eis ſpiritus receſſit quàm ſomnus. Grauis itaque hinc inde oritur pugna. Verſi terga ſeu in fugam Hungari directis acriter belis, id eſt,telis plurimos ſternunt, Nubibus omnipotens Heloim quum condere phœbi, Lumina Chryſocomi uenerandus cœperit atris. Vertice quumq; polum ſummo clamore remugit. Alios uero cubilibus confoſſos, neq; ſtrepitus neq; uulnera excitarunt. Fulgura crebra uolant ſolio demiſſa tonantis Ignea: mox trepidant qui nigrum in candida uertunt: Conſcia tunc metuunt ſcelerum ſulcare ſuorum Pectora:iudicio pariter ruitura ſuperno. Haud ſecus è uacuis uolitant concuſſa pharetris Spicula ſcinduntur,ualidæ queis tergo loricæ Concutit ipſa ruens ſegetes cum grando ſuperba, Fit ſonitus clangorq; ſimul per tecta ſonorus. Sic galeæ ſtrictis reboant tunc enſibus ictæ. Corpora ſicq; cadunt mutuis confoſſa ſagittis. Iam deſcendens ſeptimam phœbus occupauerat horam, & ſerenus adhuc Ludouici partibus Mars fauebat: quum Turci ſicut non incallidi, poſitis ex aduerſo inſidijs, fugam ſimulant.Quos

ſant. Quos dum regis populus doli ignarus impetu ualidiſſimo inſequeret, omni ex parte prodeũt inſidiæ, quaſi uicti ipſi uictores interimũt. Rex ipſe è uictore ſe uictum eſſe miratur: fitq́ illi non opinatus grauior caſus. Videres equidem ſaltus, agros paſſim cadaueribus ſtratos, riuos & flumina ſanguine permixta rubere: tunc hinnitus equorum, clangorq́ tubarum, fugiẽtes etiam atq́ etiam terrere, perſequentes magis magisq́ hortari. Hungari præterea compotes uoti ſui effecti, Chriſtianorũ hac tam immenſa nece propriæ non ſatisfecere nequitiæ: ſed ut rabiem perfidiæ ſatiarent, Baioariorum, Sueuorum, Francorum omnia deflagrando regna percurrerunt. Nec quiſquam erat qui horũ præſentiã, niſi labore nõ paruo, naturáue munitiſſimis præſtolaret in locis, factusq́ eſt per nõnullos annos populus hic tributarius.

De Adelberti comitis rebellione, & capitali ſententia in eum circumuentum Hattonis archiepiſcopi inſidijs lata. Cap. III.

HVius tempore Adelbertus quidam non fortunæ mediocris, ſed ex primatibus magnus ille heros ſimultatem non modicam in caſtello Bauenburg contra Rempub. exercebat. Sæpe rex Ludouicus cõgregatis omnibus ſuper eum irruerat. Cui nominatus heros non iuxta caſtellum, ut à pleriſq́ aſſolet, ſed procul à munitione præparat bellum. Regis itaq́ milites priuſquam re ipſa huius audaciam mirarentur, regem præeuntes pugnæ prælu dio hunc extra caſtrum illicere atq́ interficere cogitabant: Adelbertus prælu dij huiuſmodi non ſolum gnarus, uerum etiam debriatus, his obuiam tam longe à caſtro proceſſerat, ut non hunc milites eo uſq́ ex aduerſarijs eſſe cognoſcerent, quo ad eorum ceruices iſtius mucro cædis impatiens deſæuiret. Sed quum ſeptennio fermè Adelbertus heros rebellionem huiuſmodi exerceret, ſciens Ludouicus iſtius audaciæ fortitudinẽ haud quaquam ſe niſi tergiuerſatione quadam poſſe deuincere, Hattonem Maguntinæ ſedis archiepiſcopum quid ſibi ſuper hac re faciendum eſſet conſuluit. Qui, ut erat uerſutiæ plenus: Deſine ait, ego te ſecurum meis ſolicitudinibus reddam, ego ut ad te ueniat prouidebo, tu ne redeat curato. Hatto itaque animi confidentia qua nõnullas res ex infortunio ſecũdas effecerat animatus, Bauenburg quaſi Adelberto compaſſurus adijt. Cui & ait, Si non & aliam uitam præter inſtantem putares, tamen iniuſte faceres quod domino tuo rebellis exiſteres, præſertim quum & quod agis, facias gratis: eo enim quo ferocitatem animi uinceres, quantum ab omnibus, & præcipue à rege diligaris non intelligis. Conſulenti itaque mihi, fidem admitte, iuſiurandum accipe, quo ſine animi uacillatione de caſtello exire ualeas & redire. Si ſacerdotij mei promiſſionibus minime credis, iuramento ſaltem ne diffidas, quoniam ut te ſaluum & incolumẽ de caſtello eduxero, ita & reducere procurabo. Adelbertus igitẽ huius melle dulcioribus elogijs delibutus, imò deceptus iuſiurandũ ab Hattone accepit, eumq́ ut ſecum pranderet, protinus inuitauit. Hatto uero tergi

Hattonis uerſutia.

uerſationis

uersationis quã exercere post paululum cupierat, non immemor, eódem se haudquaquam pransurum omnimodis interdixit. Nec mora, Hatto de castello egreditur, cuius Adelbertus dexterã tenens mox eum insequitur. Quẽ quum extra castellum cõspiceret. Pœnitet, infit, me heros egregie quia secundum tuum consultum, præsertim quum longum iter immineat, corpus edulio aliquo non refecerim. Ignorans deniq; Adelbertus quantum incõmodi, quantúmue infortunij hæc scientia habebat. Reuertamur, ait, domine mi, & ne ieiunij maceratione tabescas, cibo saltem paululum te recreato. Conniuẽs itaque eius petitionibus Hatto, per quam eum eduxerat uiam repedauit, & reduxit dexteram tenens. Haud mora, cibus sumitur, atq; ab eisdem die eadem usque ad regem properatur. Clamor in castris oritur, fit tumultus non modicus, quoniamquidem Adelbertus regi aduenisse nunciatur. Rex præterea huius ob aduentum non parum exhilaratus proceres ad se uenire, atque in iudicio residere præcepit. Quibus & ait, Iam ferè septennio Adelbertus quantas strages dederit, quas nobis turbationes egerit, quot rapinarum & incendiorum infortunia nobis intulerit, re ipsa potius quàm fama deferente percepimus. Vnde & sententiam uestram pro hoc tanto scelere quid recompensationis impræsentiarum accipiat expectamus. Qui omnium decreto secundum priscorum instituta regum, maiestatis reus adiudicatus capite truncatur. Verum dum uinctus traheretur ad mortem, Hattonem intuitus: Periurij, infit, reus eris, si me necem incurrere finis. Cui Hatto, Sanum te, inquit, è castro educturum, ita & reducturum promisi: quod me tunc implesse intellexi, quum te è castello eductum, saluum & incolumem mox in castellum reduxi. Tunc se istuc aduenisse dolens, & Hattonis dolum tarde intellexisse suspirans, tam inuitus spiculatorem sequitur, q̃ libenter uiueret si liceret.

Hattonis fraudulentia

Adelbertus capite cæsus

De Hungaris, collecto innumerabili exercitu, Italiam petẽtibus, & exploratoribus eorum quale consilium dederint, & quare territi ab Italiæ ingressu sunt reuersi, sed mox reparatis uiribus Italis occurrerint. Caput IIII.

PAucis uero interpositis annis, quum nullus esset qui in Orientali ac Australi plaga Hungaris resisteret. Nam Bulgarorum gentem atq; Græcorum tributariam fecerãt, ne quid inexpertum his esset, quæ sub meridiano atq; sub orientali degerent climate nationes uisere satagunt: immenso itaq; innumerabiliq; collecto exercitu miseram petunt Italiam. Quumq; iuxta fluuium Brennam defixis tentoriolis, imò centonibus, triduo exploratoribus directis qui terræ situm gentisq; multitudinem seu raritatem considerarent, repedantibus nuncijs huiusmodi responsa suscipiunt. Planicies hæc nonnullis plena colonis, uno ut cernitis ex latere montibus asperrimis atq; fertilibus, altero mari cingitur Adriatico: oppida uero tum nonnulla, tum munitissima: gentis quanq; ignoretur imbecillitas aut fortitudo, immẽsa tamen con-

spicitur

ſpicitur multitudo. Neque enim hanc tam paucis copijs inuadere hortamur: uerum quum nonnullæ ſint res quæ nos pugnare compellant, triumphus ſcilicet aſſuetus, animi fortitudo, pugnandi ſcientia, opes præſertim quarũ deſiderio fatigamur, quę hic tot inſunt, quot toto in orbe nec uidimus nec uidere ſperauimus: nobis tamen conſultis, neq; enim longum arduúmue remeandi iter eſt, quod decem poteſt & eo minus diebus perfici, reuertamur quatenus uere omnibus gentis noſtrę collectis fortiſſime redeamus, ſitq; his tum in fortitudine, tum noſtra in multitudine terror. Nec mora, his auditis, ad propria reuertuntur, totamq; hyemis aſperitatem in fabricandis armis, in acuendis ſpiculis, in docẽdis iuuenibus belli notitiam ducunt. Sol necdum piſcis ſignum deſerens, arietis occupabat, quũ immenſo atq; innumerabili exercitu collecto Italiam petunt, Aquileiam & Veronam pertranſeunt munitiſſimas ciuitates, & Ticinum quæ nunc alio excellentiori uocabulo Papia uocatur, nullis reſiſtentibus ueniunt. Rex igitur Berengarius tam præclarũ nouumq; facinus ſatis mirari non potuit: antehac enim neque nomen gentis huius audierat. Italorum igitur Thuſcorum, Volſcorum, Camerinorum, Spoletinorũ quoſdam libris, alios nuncijs directis, omnes tamen in unũ uenire præcepit, factuſq; eſt exercitus triplo Hungarorum ualidior.

Hungarorum in Italiam irruptio.

Quur rex Berengarius contra Hungaros non ierit, & quur Hungari Italos fugerint, & quomodo fugientes pacem petierint, & de præludio prælij, in quo prius uicerunt Hungari, poſt fugerunt. Et quomodo propter defatigatos equos ad Brennam fluuium à Chriſtianis deprehenſi, pacem ab eis petierunt, quam non obtinuerunt. Caput V.

QVumq; ſibi Berengarius tot adeſſe copias cerneret, ſuperbię ſpiritu inflatus, magiſq; triumphum de hoſtibus multitudini ſuæ quàm deo tribuens, ſolus cum paucis quodã in oppidulo degens, uoluptati operam dabat. Quid igitur? tantam mox ut Hungari cõtemplati multitudinem animo conſternati, quid facerent, deliberare non poterant, præliari penitus formidabant, fugere omnino nequibant: uerum inter utramq; hanc æſtuationẽ fugere magis quàm præliari iuuat: perſequentibus Chriſtianis, Abduam fluuium natando ita ut nimia feſtinatione plurimi ſubmergerentur, tranſeunt.

Hungari denique conſilio non malo accepto per internuncios Chriſtianos rogant, quatenus præda omni cum lucro reddita ipſi incolumes remeare poſſent. Quam petitionem Chriſtiani funditus abdicantes, his proh dolor inſultabant, potiúſque uincula quibus Hungari uincirentur, quàm arma quibus necarentur exquirunt. Quumq; pagani Chriſtianorum animos hoc pacto mulcere nequirent, uetus rati conſilium melius, cœpta ſeſe liberare fuga ſatagunt, ſićque fugiendo in Veronenſes campos perueniunt.

Chriſtianorum primi horum iam nouiſſimos inſequuntur, fit́que eódem pugnæ præludium, in quo uictoriam habuere pagani: ualidiore uero

propin-

propinquantē exercitū fugæ non immemores, cœptum iter percurrunt. Venerūtq; Christicolæ cum idololatris iuxta fluuium Brennam: equi enim nimium defatigati fugiendi copiam negabāt Hungaris. Simul igitur utræq; acies cōuenere, memorati tantūmodo fluuij alueo separatæ. Hungari deniq; nimio terrore coacti, omnem supellectilem, captiuos, arma omnia, equos, singulis tamen quibus cum remeare possent retentis dare promittunt: hoc præterea in honorē suæ petitionis adiungunt, ut si uita tantum comite datis omnibus illos remeare permitterent, se nunquam Italiam amplius ingressuros, filijs suis obsidibus datis. Verū heu Christiani superbiæ tumore decepti, minis paganos ceu iam uictos insequuntur, eisq; continuo huiusmodi apologiam remittunt. Si contraditum nobis, præsertim à cōtraditis iamq; canibus mortuis munus reciperemus, fœdusq; aliquod iniremus, insanos capite non sanus iuret Orestes.

De consilio Hungarorum ex desperatione inito, & uictoria eorū in Christianos per insidias circumuētos, quam uictoriam docet ob Christianorum peccata, non illorum merita adeptos. Cap. VI.

Hac igitur legatione Hungari desperantes, collectis in unum fortissimis, tali sese mutuo sermone solantur. Si hac quæ in præsentiarum cernitur, luce perdita, nihil est, quod deterius prouenire possit hominibus, & quia locus precij nullus, fugiendi spes omnis ablata, colla submittere mori est, quid uerendum est nobis tela inter ipsa ruere, ~~morte~~ mortē inferre? Nunquid non fortunæ & nō imbecillitati casus deputandus noster? Viriliter enim pugnando occumbere, non est mori, sed uiuere. Hanc famam tantam, hanc κληρονομίαν, id est, hæreditatē ut à patribus nostris accepimus, etiam relinquamus hæredibus. Nobis debemus, nobis saltem credere expertis, qui copiarū paucitate nonnunquam plurimos strauimus. Inualidæ plæbis sanè congregatio plurima ad cædē tantū est exposita. Sed & fugientem sæpissime mars perimit: dimicantem fortiter protegit. Hi enim qui nobis supplicantibus non miserentur, ignorant, neque mente percipiunt, quia uincere quidem bonū est, superuincere nimis inuidiosum. Hac itaq; exhortatione utcunque animos recreati, tres in partes insidias disponunt, rectà ipsi fluuium transeundo hostes in medios ruunt. Christianorum enim plurimi longa propter internuncios expectatione defatigati, per castra ut cibo recrearentur descenderant, quos tanta Hungari celeritate confoderunt, ut in gula cibum transfigerent, alijs quibusdam fugam equis negarent ablatis. Eóque illos leuius perimebant, quod sine equis eos esse conspexerant. Ad augmentum sanè perditionis Christianorum non parua inter eos erat discordia. Nonnulli Hungaris non solum pugnam non inferebant, sed ut proximi caderent anhelabant, atque hoc ipsi peruersi peruerse fecerant, quatenus dum proximi caderent, soli ipsi liberius quasi regnarent. Qui dum proximorū necessitatibus subuenire

Audacia ex desperatione

Discordiæ ciuilis exemplū

ſubuenire negligunt, eorumq́ necem diligunt, ipſi propriam incurrūt. Fugiunt itaq́ Chriſtiani,ſæuiuntq́ pagani, & qui prius placare muneribus ne quibant, ſupplicantibus poſtmodum parcere neſciebant. Interfectis deniq́

Hungarorum irruptio. fugatisq́ Chriſtianis,omnia Hungari regni loca,ſæuiendo percurrūt. Neq́ erat qui eorum præſentiā niſi munitiſſimis forte præſtolaretur in locis. Illorū ſanè adeo præualuerat uirtus,quatenus eorum pars quædam Baioariā, Sueuiam,Franciam,Saxoniam,quædam uero depopularetur Italiam. Neque tamen hoc eorum meruerat uirtus, ſed uerus domini ſermo terra cœloq́ du

Hier. 5 rabilior mutari non poterat,quemadmodum per Hieremiam prophetā omnibus nationibus in perſona domus Iſraël cōminatur dicens,Ecce ego adducam ſuper uos gentem de longinquo, gentem robuſtam,gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam,nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quaſi ſepulchrum patens, uniuerſi fortes, & comedet ſegetes tuas, & panem tuum deuorabit, filios tuos & filias tuas comedet, gregem tuum & armenta tua,comedet uineam tuam & ficum tuam, & urbes munitiſſimas, in quibus tu habes fiduciam,gladio conteret. Veruntamen in diebus illis ait dominus deus,non faciam uos in conſummationem.

De Ludouici obitu, & Conradi coronatione, & qui principes ſub eo fuerint,inter quos Henricus dux Saxoniæ,qui regi rebellantes ab eo uicti ſunt, fugiente Arnoldo Baioario in Hungariam. Et quomodo Conradus moriturus,principes omnes de pace inter ſe, & ut Henricū Saxonē regē conſtituant exhortatur,tranſmiſſis ad eum regalibus ornamentis. Cap. VII.

Cōradus rex HAc autē tempeſtate Ludouicus rex moritur, Conradus ergo Francorū ex genere oriundus,uir ſtrenuus, bellorumq́ exercitio doctus,rex cunctis à populis ordinatur. Sub quo potentiſſimi principes Arnoldus in Baioaria,Burcardus in Sueuia,Euerhardus comes potentiſſimus in Francia,Giſilbertus dux in Lothoringia erant. Quos inter Henricus Saxonū,& Thuringorū dux præpotens clarebat. Secundo itaq́ regni huius ſuſceptionis anno memorati principes huic præſertim Henricus,rebelles extiterāt. Quos Conradus rex tam ſapientiæ uigore quàm fortitudinis robore ſuperauit, ſuamq́ ad fidelitatē perduxit. Arnoldus aūt nimio eius terrore coactus, cum uxore & filijs ad Hungaros fugit, fuitq́ ibidem quoad uitalis aura Conradi regis rexerat artus. Septimo denique regni ſui anno,uocationis ſuæ ad domini tempus agnouit. Quumq́ memoratos principes ſe adire feciſſet,ſolūmodo Henrico nō præſente, ita conuenit. Ex corruptione ad incorruptionē,ex mortalitate ad immortalitatem uocationis meæ tempus agnoſco, & ut cernitis præſto eſt:proinde pacem concordiamq́ uos ſectari etiam atq́ etiam rogo. Me hominem exeunte nulla uos regnandi cupiditas titillet,nulla præſidendi ambitio inflammet. Henricum Saxonum & Thuringorum ducem prudentiſſimum regem eligite, dominum conſtituite. Is enim eſt & ſcientia pollens,

& iuſtæ

& iustæ seueritatis censura abundans. His itaq; prolatis, propriã coronã nõ auro quo cuiuscunq; ordinis penè principes pollent, uerum gemmis preciosissimis non solum inquam ornatam sed grauatam, sceptrum & cuncta quæ regalia sunt indumenta, in medium uenire pręcepit, ac prout ualuit, huiusmodi uerba effudit. Hæredem regiæq; dignitatis uicarium regalibus meis ornamentis Henricum constituo, cui ut obediatis non solum consulo, sed & oro. Quam iussionem mox sequitur interitus: & interitum est obedientia prosequuta. Ipso nanq; mortem obeunte, memorati principes coronam, cũctaq; regalia indumenta Henrico duci contulerunt: atq; ut rex Conradus dixerat, cuncta per ordinem narrauerũt. Qui regiæ dignitatis culmen & prius humiliter declinauit, ac paulo post non ambitiose suscepit. Verũ nisi pallida mors quæ pauperum tabernas, regumq; turres æquo pulsat pede, Conradũ regẽ citissime raperet, is esset cuius nomen multis mundi nationibus imperaret. *Cõradi mors* *Henricus fit Imperator*

Hoc eodem tempore Arnoldus cum uxore & filijs ab Hungaria rediens, honorifice à Baioarijs atq; ab orientalibus suscipitur Francis: neq; enim solũ suscipitur, sed ut rex fiat ab eis uehementer exposcitur. Rex Henricus quum obtemperare suis omnes iussionibus, Arnoldumq; solum resistere cerneret, perualido collecto exercitu, in Baioariam tẽdit. Quod Arnoldus ut audiuit, eius non passus est in Baioaria præstolari aduentum. Verũ collectis quibus ualuit copijs, huic obuiam properat. Cupierat sanè & ipse rex fieri. Quumq; in eo essent, ut bellum pariter inire deberent, sicut uir sapiens, & deũ timens rex Henricus cogitãs, ex utraq; parte irrecuperabile posse damnum accidere, Arnoldo quatenus cum solo solus loquatur denunciat. Putans igitur Arnoldus, quod singulari se acciret certamine, ad condictũ solus hora statuta peruenit. Quem sibi obuiam properantem rex Henricus tali est sermone aggressus, Insana domini iussis quid mẽte resistis? Quod populus regem me cupit esse scias, Imperio Christi quo constat machina mundi, Tartarus hunc metuit, hunc phlegeton timuit. Conterit hic nitidos reges dudumq; tremẽdos, Sublimesq; uolens erigit hic miseros. Quo meritas laudes domino per secula soluãt. Tú ne superbe, reus, perfide, dure, ferox Inuidiæ stimulis sæuaq; cupidine tactus, Corpora Christicolũm perdere ualde sitis? Si regem populus cuperet præponere temet. Protinus is fierẽ quem magis is cuperet. Hoc igit̃ quadrifario dicẽdi genere copioso scilicet breui sicco & florido rex Henricus ut erat animo prudens, Arnoldi animum mulcens, ad suos redijt, *Arnoldi rebellio* *Hẽrici ad Arnoldũ oratio*

Arnoldus uero quum suis omnia retulisset, huiusmodi ab eis audiuit ἀπόκρισιν, id est, responsionem. Sapiens prompsit illius sapiẽtiæ ueræ sententiã, quæ ait, per me reges regnant, principes imperant, & prudentes iustitiam decernunt. Qui huic resistit, illum dei ordinationi resistere quis ambigit? Neq; enim in huius electione totius populi posset animus esse unus, si à trinitate summa quæ deus unus est, ante mundi constitutionem non esset electus. Si

x bonus

bonus fuerit, diligendus erit, deusq; in eo laudandus: si uero malus, æquanimiter tolerandus. Subditorum nanque plerunque exigunt merita, quatenus nonnunquam à prælatis grauentur, non regantur. Æquum autem iustumq; nobis uidetur, ut à cæteris non dissentiens hunc regem eligeres. Ipse uero te ut tam fortunatum & prædiuitem uirum hoc pacto bearet, animiq; tui feritatẽ mulceret, ut quod prædecessores non habuere tui, tibi concedat, scilicet quatenus totius Baioariæ pontifices tuæ subiaceant ditioni, tuæq; sit potestatis uno defuncto alterum ordinare. Conniuens igitur Arnoldus huic optimo suorum consilio, Henrici regis miles efficitur, & ab eo ut iam dictum est, concessis totius Baioariæ pontificibus honoratur.

De Arnoldi Baioarij ex Hungaria reditu, & bellico in Henricũ apparatu. Sed suorum exhortatu Henrico deditus, eidem militat. De Hungaris, audita morte Conradi, Saxoniam inuadentibus. Quibus Henricus quamuis infirmus occurrit, & suos exhortatus est, uotumq; uouit. Cap. VIII.

PEr idem tempus dum Conradi regis interitum, atq; Henrici in regni successionem Hungari audirent, tali sese mutuo sermone sunt aggressi. Rex forte nouus nouis uti legibus cupit. Copijs igitur collectis nõ minimis, ascendamus, scrutemurq; debita utrũ Hẽricus rex uelit tributa persoluere. Quod si non ut credimus, regibus dissentit à cæteris, regnum eius cæde atq; immensis depopulemur incendijs: non Baioariorum, sed Saxonum ubi rex ipse est, primo fines occupemus, ut si forte quod nõ speramus congregare exercitum uelit, neq; de Lotharingia, neq; de Sueuia, neq; de Baioaria, ei mature possit occurrere. Sed & Saxonum ac Thuringorum terra facile depopulatur, quæ nec montibus adiuta, nec firmissimis oppidis est munita. Rex Hẽricus grauissima ualetudine detinetur, & Hungarorũ ei aduentus proxime nunciatur. Vix finetenus uerba nunciãtis audierat, quũ directis per Saxoniam nuncijs, post triduum quotquot poterat capitali sententia se adire præcipit. Validissimo igitur per quatriduũ collecto exercitu (est enim Saxonum mos laudandus atq; imitandus, quatenus annum post unum atq; duodecimum, nemini militum bello deesse contingat) & si corporis inualidus uiribus, tamen mentis uigore animatus, prout ualuit equum ascẽdit, atq; collectis in unum copijs, huiusmodi uerbis ad pugnandi rabiem excitauit, Inclyta Saxonum ceu leo frendens Bella per innumera gens erat olim. Restitit hæc Carolo ense cruento. Qui sibimet totum strauerat orbem, Fugit & hic uictus uictor ubiq;. Quod sibi nos rediẽs subdidit omnes, Id domini pietas gessit ob hoc quod Participes uoluit esse salutis. Nũc mala Turcorum nescia Christi Gens inimica deo gaudet in omnem, Ecclesiæ populum ducere ferrum. Proh dolor heroës heus mage quod nũc Subdere nostra uolunt colla tributo. Sumite nunc animos more uirili: Membra secare precor, uiq; ferire Sit furor heus ardens: sancta cupido: Hæc stygias referant munera ad undas, Et calidos numerent

Hẽrici ad milites concio

numerēt igne trientes. Talibus itaq; rex exhortationibus ad pugnam suorum accendi animos uidens, indicto cunctis silentio, hoc iterum diuini munere flaminis tactus adiecit. Priscorum facta regum, sanctorū scripta patrū nobis quid agere debeamus insinuant. Non enim deo difficile paucis plures sternere. Si tamen horum qui id agere cupiunt fides meretur: fides inquam non professionis tantum, sed operis: non solummodo oris, sed etiam cordis. Voueamus itaq;, ac secundum psalmistam uota reddamus. Ego inquā, ego prius, qui dignitate uideor & ordine primus. Simoniaca hæresis deo inuisa, & à beatissimo apostolorū principe Petro damnata, quæ ab antecessoribus nostris hactenus est temere custodita, modis omnibus à nostro sit regno expulsa. Connectet inuicē charitas unitatis, si quos diuisit calliditas dęmonis.

De nuncio, qui Hungaros in Meresburgo esse nunciabat omnia deuastantes. Et de exploratoribus quos Hungari à captiuis moniti mittebāt. Item de pugna cōmissa cum Hungaris. Et de bono consilio Henrici regis & uictoria. Et ubi sit ipsa uictoria depicta. Caput IX.

Rex nonnulla his similia dicere cœperat, quum uolipes nuncius Hungaros in Meresburgo, quod castrum in confinio Saxonum, Thuringorū, & Sclauorum, esse nunciabat. Adiecerat etiam eos non modicam paruulorū ac mulierum habere prædam, uirorū uero immensam fecisse stragem. Condixerat enim à decimo & deinceps anno neminē esse superstitem relicturos: quatenus per hoc terrorem nō paruum adhiberet Saxonibus. Rex igitur, ut erat animi constans, talibus nō terretur, uerum magis magisq; ut pro patria pugnare, ac laudabiliter, si necesse sit, occumbere uelint exhortat̃. Vinctos interea Hungari si impugnari debeant sciscitantur. Quumq; ab his nō aliter posse fieri testaretur: exploratoribus directis, si hoc uerum esse possit exquiritur. Profecti deniq; exploratores, Henricum regem immenso cum exercitu iuxta præfatum oppidū Meresburgum contemplantur. Deniq; uix ad suos poterant repedare, aduentū exercitus nunciaturi. Neq; enim his fuerat alius, uerum rex ipse belli nuncius. Haud mora, bellū incipitur, atq; ex Christianorum parte sancta mirabilisq; uox κύριε: ex eorum turpis & diabolica hui hui frequenter auditur. Dederat autem rex Henricus suis ante belli inchoationem huiusmodi sapiens ac salubre consilium: quum ad martis præludium cœperitis properare, nemo socium uelociori quanquam habeat, attētet equo præire: uerum clypeis altrinsecus operti, primos super scuta sagittarum ictus recipite: deinde cursu rapido, impetuq; uehemētissimo super eos irruite, quatenus non prius uobis sagittarum ictus, secundo possint emittere, quoad uestrorum sibi armorum sentiant uulnera peruenisse. Saxones igitur admonitionis huius saluberrimæ non immemores ordinata æqualiter acie, currunt, nec est qui ueloctori transeat equo tardiorem: uerum clypeis ut rex dixerat, altrinsecus cooperti, sagittarum super clypeos recipiūt ictus innocuos: deinde

ut prudentissimus uir dixerat, super hos cursu præpeti ueniunt adeo, ut eorũ prius uita cum gemitu fugeret, quàm secundo iaculorũ fulmina mitterentur. Fitq; diuini muneris pietate, ut potius hos fugere quàm præliari iuuet. Velox tunc sonipes gaudet pigro queritante. Phalerarũ præterea decor, armorũq; honor nõ Hungaris tutelæ, sed oneri erant. Abiectis quippe arcubus, demissis spiculis, phaleris etiam, quo expeditius equi currerẽt proiectis, fugæ solũmodo operam dabant. Verum omnipotens deus, qui eis pugnandi audaciã abstulerat, fugiendi etiam copiam omnino negabat. Cæsis igitur fugatisq; Hungaris, immensa captiuorũ turba dissoluitur, atq; in lætitiæ cantum uox gemitus permutatur. Hunc uero triumphum tam laude quàm memoria dignũ, ad Meresburgum rex in superiori cœnaculo domus per ζωγραφίαν, id est, picturã notari præcepit, adeo ut rem uerã potius quàm ueri similem uideas.

Vngarorum fuga

De Ludouico quodã, quem Itali super se regnare inuitabant: & cur Adelbertus marchio hoc fecerit, qui gener erat Berengarij. De Adelberti ex bono in malum mutatione. De eodem Ludouico in uerba Berengarij iurante, & Adelberto eundem instinctu uxoris ad rebellionem solicitante. Qui contra iusiurandum reuersurus, Berengarium Verona expulit: & Lucam profectus, honorifice ab Adelberto illic suscipitur. Cuius conspecta potentia, inuidiæ stimulis agitatur, ob quã rem ab eius fide Adelbertus mox discessit. Caput X.

DVm hæc aguntur, Italienses penè omnes Ludouicum quendam Burgundionum genitum prosapia, nuncijs directis inuitant ut ad se ueniat, regnumq; Berengario auferat, sibi obtineat: huius uero tam turpis sceleris autor Adelbertus Iporegiæ ciuitatis marchio erat, cui & idem Berengarius filiam suam nomine Gisilam coniugio copulauerat, ex qua filium genuerat, cui & aui sui uocabulum dederat. Iste est, inquam, iste Berengarius ille, cuius immensitate tyrannidis tota nunc luget Italia, cuiusq; lenocinio à quibuscunq; gentibus premitur, non iuuatur. Sed ut ad rem redeamus, satis nunc dixisse sufficiat. Præterea idem Adelbertus, quod bonis omnibus cauendum est, nequaquam sui similis fuit. Nam dum feruente ætate iuuenilem duceret uitam, miræ humanitatis, miræq; sanctitatis fuit, adeo sane, ut si ei à uenatione redeũti pauper occurreret, aliudq; nõ esset quod illi præstare posset, cornu protinus quod collo eius fibulis aureis dependebat, sine dilatione concederet, rursumq; ab eodem quanti æstimabat acquireret. Tam diræ autem postmodum factus est famæ, ut huiusmodi uera de eo tam à maioribus quàm à pueris cantio diceretur. Et quia sonorius est, Græce illud dicamus, Adelbertus comis curtis μακροσπαθὴς μικροπιστὴς, quo signatur & dicitur longo eum uti ense, & minima fide. Huius itaq; aliorumq; ac nonnullorum Italiensium hortatu præfatus Ludouicus in Italiã uenit. Cui mox Berengarius ut audiuit, obuiam uenit. Quumq; Ludouicus Berengario sibi obuiam uenienti

Adelberti immutatio

uenienti magnas adesse copias, sibi uero paucas cerneret, iureiurando ei hoc terrore compulsus promisit, ut si sese dimitteret, quibuscunque promissionibus accitus amplius in Italiam non ueniret. Fecerat nanque sibi Berengarius pluri- mis collatis muneribus Adelbertum Thuscorum præpotentissimũ marchio nem ualde fidelem, atque ideo Ludouicus tam facile est expulsus. Modica uero temporis transcursa intercapedine, rex Berengarius nominato Adelber to grauis est uisus. Cui rei Berta coniunx sua, Hugonis regis qui nostro post tempore in Italia regnauit mater non modice somitem ministrauit. Vnde fa ctum est ut consulto eodẽ Adelberto marchione, cæteri Italienses principes propter eundem Ludouicum ut adueniret transmitterent. Qui cupiditate re- gnandi, oblitus iurisiurandi uenit concitus in Italiam. Videns itaque Be- rengarius, quod Ludouicus tam ab Italiensium quàm à Thuscorum suscipe retur principibus, Veronam profectus est. Ludouicus uero cum Italiensibus eum prosequi non desistens, Verona etiam illum expulit, totumque regnum sibi uiriliter subiugauit. His ita gestis, bonum uisum est Ludouico, ut sicut circumcirca uiderat Italiam, uideret & Thusciam. Exiens denique Papia, proficiscitur Lucam, ubi decenter miroque paratu ab Adelberto suscipitur. *Berta*

Quumque Ludouicus in domo Adelberti tot militum elegantes adesse co- pias cerneret, tantam etiam dignitatem, totque impensas prospiceret, inuidiæ zelo tactus suis clanculum infit, Hic rex potius quàm marchio poterat appel lari. In nullo quippe mihi est inferior, nisi solũmodo nomine. Quæ res Adel- bertum latere non potuit. Quod Berta ut erat mulier non incallida, audiens, non solum uirum suum ab eius fidelitate amouit, uerumetiam cæteros Italiæ principes ei infideles effecit. Vnde factum est, ut dum è Thuscia rediens, Ve ronam pergeret, degeretque ibidem, nihil hæsitans, nihilque mali suspicans, Be- rengarius dato precio, custodes ciuitatis corruperit, collectisque uiris fortissi- mis, in ipso noctis conticinio ciuitatem ingressus fuerit. *Adelberti magnificentia*

Descriptio Veronensis oppidi, & Athesis fluuij, & pontis super eum. Vbi Ludouicus corruptis à Berengario ciuibus traditus, & regno & lumine pri- uatur: Hungaris Italiam laniantibus. Caput XI.

FLuuius Athesis, sicut Romam Tyberis, mediam ciuitatem Veronã per- currit, super quem ingens marmoreus miri operis, miræque magnitudinis pons est fabricatus: à læua autem parte fluminis quę est Aquilonem uersus, ciuitas posita est, difficili arduoque colle munita, adeo ut si ea pars ciuitatis quã memoratus fluuius dexteram alluit, ab hostibus capiatur, ea tamen uiriliter possit defendi. In huius uero collis summitate preciosi operis ecclesia est fabri cata, & in honore beatissimi Petri apostolorũ principis consecrata, ubi & pro pter amœnitatem ecclesiæ, locique munitionem Ludouicus manebat. Beren garius denique ut præfati sumus, noctu ciuitatem ingressus, clàm Ludouico suis cum militibus pontem pertransiens, in ipso auroræ crepusculo hunc usque

 aduenit,

aduenit. Qui clamore ſtrepituq́ militũ excitatus ſciſcitať quid eſſet, in eccle/ſiam fugit, nulluſq́ eum præter Berẽgarij militum unum ubi eſſet agnouit. Qui miſericordia motus, noluit hunc prodere, ſed cęlare. Timens uero idem, ne ab alijs repertus proderetur, uitaq́ multareť, Berengariũ adijt, eumq́ ita conuenit, Quandoquidẽ tanti deus te habuit, ut tuum proprias in manus tra deret hoſtem, debes & tu eius monita, imò pręcepta magnifacere: inſit enim, Eſtote miſericordes, ſicut & pa. ue. mi. eſt. Nolite iudicare, & nõ iudicabimini: nolite condẽnare, & nõ condẽnabimini. Intellexit itaq́ Berẽgarius, ut uir nõ incallidus, hunc quo ipſe lateret ſcire locũ, eumq́ hac ſophiſtica reſponſione decepit. Putás ne me inſulſe quem mihi dominus tradidit hominẽ imò regẽ uelle occidere? Nunquid & Dauid ſanctus regem Saulẽ à deo ſibi in manus traditũ ſeruauit, nõ quod occidere non potuit, ſed quia noluit? His ſermoni/bus miles inclinatus locum oſtendit, in quẽ confugerat Ludouicus. Qui cap/tus, & ante Berengarij præſentiã ductus, huiuſmodi à Berengario ſermoni/bus increpatur. Quouſq́ tandẽ abutêre Ludouice patientia noſtra? Nũ infi/ciari potes te illo tempore meis præſidijs, mea diligentia circumcluſum, cõmo uere etiã contrà nõ potuiſſe, meq́ miſericordia inclinatũ, quæ tibi nulla debe batur, te dimiſiſſe? Senſiſti'ne inquã te periurum in iſtis eſſe uictum? Confir maſti ſane mihi teipſum nunq́ Italiam ingreſſurũ. Vitam tibi ſicut ei qui te mihi prodidit promiſerã, cõcedo: oculos uero tibi auferri nõ ſolum iubeo, ſed cõpello. His dictis Ludouicus lumine priuatur, & Berengarius regno potiť.

Hungarorũ interea rabies quia per Saxones, Francos, Sueuos, Baioarios, nequibant, totam per Italiam nullis reſiſtentibus dilatatur. Verum quia Be/rengarius firmiter ſuos milites habere fideles non poterat, amicos ſibi Hun/garos non mediocriter effecerat. Sed & Saraceni qui ſicut dixi, Fraxinetũ inhabitabant, poſt labefactionẽ prouincialiũ quaſdã ſummas Italiæ partes ſibi uicinas nõ mediocriter laniabant, adeo ut depopulatis pluribus urbibus, *Aquæ urbs* Aquas uenirent, quæ eſt ciuitas xl. fermè miliarijs à Papia diſtans. Quæ etiã propter thermas miro in tetragonũ modo ad lauandũ ibi conſtitutas uoca/bulum huiuſcemodi ſortita eſt. Tantus timor inuaſerat uniuerſos, ut nullus eſſet, qui horum præſentiam niſi forte tutiſſimis præſtolaretur in locis.

De Maurorum Saracenorũ irruptione in Calabriã, Apuliã, Beneuentũ, qui Garelianũ montẽ, quem alij Garganũ ſcribunt, pro munitione habebãt. Et qua occaſione ab Aphrica exierint domino id permittente. Cap. XII.

EOdẽ tempore Saraceni ab Aphrica ratibus exeuntes, Calabriã, Apuliã, Beneuentũ, Romanorũ etiã ciuitates ita occupauerunt, ut unamquamq́ *ali, Garganũ* ciuitatẽ mediã Romani obtinerent, mediã Aphricani. In monte quippe †Ga reliano munitionẽ conſtituerãt, in quo uxores, captiuos paruulos, omnemq́ ſupellectilẽ ſatis tuto ſeruabant. Nemo etiam ab occaſu, ſiue ab arcturo, ora tionis gratia ad beatiſſimorũ limina apoſtolorũ tranſire poterat, qui ab his

aut non

aut non caperet, aut immodico precio dato dimitteretur. Quamuis enim misera Italia multis Hungarorũ & ex Fraxineto Saracenorũ cladibus premeretur, nullis tamen furijs aut pestibus sicut ab Aphricanis agitabatur. Fert aũt eos hac occasione ab Aphrica exiuisse, atq; Italiam adijsse. Leone atque Alexandro Imperatoribus Augustis hominẽ exeuntibus, Romanus (ut latius sumus dicturi) cum Constantino qui nũc usq; superest, leonis Imp. filio Constantinopolitanũ regebat imperium. Et sicut fieri assolet, primo quo Romanus suscepit imperiũ anno, nõnullæ ei gentes, præsertim ἀνατολικαὶ, hoc est, orientales, uisæ sunt rebellare. Factũ est aũt dum Imp. exercitũ ad expugnandas eas transmitteret, Apuliã & Calabriam binas regiones quæ ei tunc tẽporis seruiebãt, huic rebellasse. Quũq; Imp. maximis orientẽ uersus copijs directis exercitus huc multitudinẽ destinare nõ posset: rogauit primo ut ad sui fidelitatẽ pristinã sponte redirẽt. Qui quũ renuerent, atq; hoc se facturos minime dicerent, ad Aphricanũ mox Imp. dirigit regẽ, eum precio rogans ut se adiuuet, uirtutisq; eius auxilio Apuliã sibi atq; Calabriã subdat. Hac ex legatione rex Aphricanus accitus, innumerabiles ratibus copias in Calabriã Apuliamq; direxit, binasq; has regiones Imperatoris dominatui potentissime subdidit. Sed dum processu tẽporis has regiones dimitterẽt, Romã uersus aciẽ gyrauerũt, montẽq; Garelianũ maxima pro tuitione sibi uendicauerunt, multasq; munitissimas ciuitates debellãtes ui ceperunt. Dñs uero noster Iesus Christus coæternus & consubstantialis patri, sanctoq; spiritui, cuius misericordiæ plena est terra, qui neminẽ uult perire, sed omẽs saluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire, ne pereant, qui solus deus ante mũdi constitutionẽ præuidit, atq; post omnẽ creaturã quasi dñm cæteris utentẽ, ac dominantẽ creauit hominẽ, quẽq; in fine tẽporis per sui sanguinis effusionẽ uerus homo, uerusq; deus nõ duo sed unus redemit, ad amorẽ sui, propriæq; patriç dilectionẽ quosdã beneficijs inuitat, terroribus alios cõpellit, nõ quo sibi, qui nec augmentũ bonitate nostra, ut propheta testat dicens, Quoniam bonorum meorum nõ eges, nec detrimentũ malicia sumere possit, sed ut nobis prosit. Placuit itaque ei quia beneficijs noluimus, huiusmodi nos ad tempus castigare terroribus. Sed ne Saraceni nobis diutius insultarẽt & dicerẽt, Vbi est deus eorũ? conuertit deus corda Christicolarũ, adeo ut amplior eis pugnãdi quàm fugiendi prius esset cupido.

Romanus Cõstantinusq; impp.

Malorũ cõ

De Ioanne Rauennate, qui per nephas summum pontificatum inuaserat, per Theodoram uidelicet meretriculam. Item de quodã iuuene Aphricano, qui ad papam uenit, eiq; consuluit, quomodo cum Aphricanis feliciter pugnare posset, quod eodem duce factum est. Caput XIII.

QVo tẽpore uenerandæ Romanæ sedis Ioannes Rauẽnas summũ pontificatũ tenebat. Hic aũt tam nephãdo scelere contra ius fasq; põtificij culmen obtinuit. Theodora scortum impudens huius Alberici qui nuper

hominem exuit auia (quod dictu etiam fœdissimum est) Romanæ ciuitatis non inuiriliter monarchiam obtinebat. Quæ diras habuit natas Maroziam atque Theodoram sibi non solum coæquales, uerumetiam Veneris exortiuo promptiores. Harũ una Marozia ex papa Sergio, cuius supra fecimus mentionem, Ioannẽ qui post Ioannis Rauennatis obitum sanctæ Romanæ ecclesiæ obtinuit dignitatẽ, nephario genuit adulterio. Ex Alberto autem marchione Albericum, qui nostro post tempore Romanæ urbis principatũ usurpauit. Per idem tempus Rauennatis sedis, qui secundus post Romanũ Archieræum archipræsulatus habebatur, Petrus pontificatum tenebat. Qui dum subiectionis officio debitæ nominatũ Ioannẽ papam qui suæ minister ecclesiæ tunc temporis habebatur, Romam sæpius & iterũ domino dirigeret papæ: Theodora ut testatur uita eius, meretrix impudentissima Veneris calore succensa, in huius speciei decorem uehementer exarsit, secumque hunc scortari non solum uoluit, uerumetiã atque etiam post compulit. Hæc dum impudẽter aguntur, Bononieñ. episcopus moritur: & Ioannes iste loco eius eligitur. Paulopost ante huius diem consecrationis nominatus Rauennas archiepiscopus mortem obijt, locumque eius Ioannes Theodoræ instinctu priore Bononiẽsi ecclesia deserta, ambitionis spiritu inflatus contra sanctorum patrũ instituta sibi usurpauit. Romam quippe adueniens mox Rauennatis ecclesiæ ordinatur episcopus. Modica uero tẽporis intercapedine deo uocante, qui eum iniuste ordinauerat papa, defunctus est. Theodoræ autem Glycerij mens peruersa, ne amasij ducentorũ miliariorũ interpositione, quibus Rauenna sequestratur à Roma, rarissimo concubitu potiretur, Rauennatis hũc sedis archiepiscopatũ coëgit deserere, Romanũque, proh nephas, summũ pontificiũ usurpare. Hoc igitur sanctorũ apostolorum uicario cõstituto, Pœni, ut præfatus sum, Beneuentum Romanasque urbes misere laniabant. Accidit itaque Pœnorũ quendam iuuenem iniurijs lacessitum, Pœnos deserere, & ad Ioannẽ papam aduenire, tactumque diuino spiramine papã ita conuenisse. Sacerdos magne, si saperes, populum terramque tibi subiectã à Pœnis tam grauiter laniari nõ sineres. Elige igitur iuuenes nimia quasi mobilitate uolipedes, qui me Imperatorem, præceptorem, dominũ æquanimiter audiant. Horum neminẽ præter singulas parmas, singulaque pila, ensesque singulos & simplices uestes cum exiguitate obsonij habere permittito. Sexaginta denique huiusmodi iuuentis, sibique traditis aduersum Pœnos properat, latuitque secus angustas, quà Pœnorum iter erat, uias. Quumque circumcirca sæpius & iterum Pœni depopulantes redirent, clamore cum maximo ex improuiso atque insperato ex insidijs prosilientes, eos faciliter trucidabant. Clamor ex ore, ictusque simul à manu processerant. Neque enim Pœni qui quid'ue esset prius scire poterant, quam istorum spicula horũ corporibus inhærebant. Hac denique fama, hocque exercitio nonnulli Romanorum acciti, plurimis in locis Pœnos prostrauerant: callidoque

Theodoræ turpis filiæ turpiores

Ioannes papa nothus

Albericus

Theodoræ libido

Pœni contra Pœnos consilium

callidoq; hoc Aphricani cōsilio attriti, ciuitates penitus rupto inter se fœdere deserebant, solumq; Garelianum montē sibi pro munitione deligebant.

De consilio Landulfi Beneuentanorū principis Ioanni papæ dato, ut Imperatorē in auxilium aduocaret: cuius auxilijs fretus, feliciter cum Saracenis pugnatum est, diuis Petro & Paulo opitulari uisis. Cap. XIIII.

IOanne itaq;, ut præfatus sum, papa cōstituto, Landolfus uir quidam strenuus, bellorū exercitio doctus, Beneuentanorū & Capuanorum omnium princeps clarebat. Pœnis igitur statum Reipub. labefactātibus, Landolfum hūc principem egregium quid super re huiuscemodi faciendum esset quam Aphricani agunt, Ioannes consulit papa. Quod princeps ut audiuit, papam per internuncios ita cōuenit. Res hæc pater palàm magnis est inuestiganda consilijs: mittito itaq; ad Græcorū Imp. cuius & ipsi quæ cis mare est terram sicut & nostrā depopulari nō cessant. Camerinos etiam atq; Spoletinos nostrum ad auxiliū inuitato, ineamusq; protectore deo cum his bellum. Si uincimus, non multitudini sed deo imputetur uictoria: si uero uicerint Pœni, peccatis nostris, & non inertiæ deputetur. His auditis, papa confestim nuncios Cōstantinopolim dirigit, suppliciter Imperatoris auxilia sibi dari deposcēs. Imperator uero ut uir sanctissimus, deumq; timens, copias absq; mora classibus aduehendas direxit. Quumq; per Garelianum flumen conscenderent: affuit & papa Ioannes cum Landolfo pariter Beneuentanorum principe potentissimo, Camerinis etiā atq; Spoletinis. Horrida deniq; inter eos pugna exoritur. Verum dum Christianorum partem Pœni præualere conspicerēt, in Gareliani montis summitatē confugiunt, angustasq; tantum uias defendere moliuntur. Ex parte uero illa qua difficilior erat ascensus, Pœnisq; ad fugiendum aptior: Græci castrum die illa constituunt, in quo residentes Pœnos ne fugerent obseruabant, quotidieq; oppugnantes non mediocriter trucidabant. Græcis igitur Latinisq; quotidie conflictantibus, deo miserante, Pœnorum ne unus quidem superfuit, qui non aut gladio trucidaretur, aut uiuus continuo caperetur. Visi sunt autem à religiosis fidelibus in eodem bello sanctissimi apostoli Petrus & Paulus, quorū precibus Christianos credimus meruisse, quatenus Pœni fugerent, & ipsi uictoriam obtinerent.

Landulfus

Consilium bellicum

Præliū atrox

De Adelberti Thusciæ marchionis obitu, & filij eius Vuidonis præfectura, & matris eius à Berengario captione: & quot suspicati sint Bertham peperisse liberos Adelberto. De rebellione Mediolaneñ. & causa eius. De comite palatij capto, & Lanthberto non opportune commendato, quem Berengarius frustra requisiuit. Caput XV.

HOc in tēpore Adelbertus Thuscorū potēs marchio morit̃. Filiusq; eius Vuido à Berēgario rege marchio patris loco cōstituit̃. Bertha aūt eius uxor cū Vuidone filio, post mariti obitū minoris nō facta est q̃ uir suus potētię. Quæ tū calliditate & muneribus, tū hymenei exercitio dulcis, nōnullos sibi

sibi fideles effecerat. Vnde contigit ut dum paulo post à Berengario simul cum filio caperetur, & Mantuę in custodia teneretur, suas ciuitates & castella omnia Berẽgario minime reddiderit, sed firmiter tenuerit, eamq́ postmodũ de custodia simul cum filio liberarit. Hæc, ut rumor est, tres ex uiro suo genuerat liberos: Vuidonem quem prædiximus, atq; Lanthbertũ, qui nũc usq; lumine priuatus superest. Ermengardã etiã natam suam sibi Aphroditi dulcedine coæqualem, quam Adelberto Iporegiæ ciuitatis marchioni Gisila Berengarij regis filia, Berengarij scilicet regis huius matre defuncta, hymenei consortio copulauerat. Quæ ei filium genuerat nomine Anscarium, qui quantæ uirtutis, quantæq́ audaciæ fuerit, liber subsequens declarabit. His temporibus idẽ Adelbertus gener regius, Iporegiæ ciuitatis marchio, atq; Odelricus palatij comes, qui ex Sueuorum sanguine duxerat originẽ, necnõ & Gilebertus prædiues comes, & strenuus Lanthbertus etiã Mediolaneñ. archiepiscopus, nonnulliq́ alij principes Italiæ Berengario rebelles extiterant. Causa autem rebellionis huius hęc fuit, Dum Lanthbertus defuncto antecessore suo Mediolaneñ. archiepiscopus ordinari debuisset, nõ paruam ab eo rex Berengarius contra sanctorũ instituta patrum accepit pecuniam, quantã cubicularij, quantã hostiarij, quantam pauonarij, ipsi etiam altilium custodes accipere deberent. Lanthbertus igitur archipræsulatus amore uehementer animatus, quęcunq; rex posceret, quanto cum dolore tribueret ex hoc intelligere poteris, quod subsequẽs lectio declarabit. Odelricum palatij comitẽ, quem prædiximus, uinctum tunc Berengarius tenebat. Quumq́ Lanthbertum archiepiscopum cõstitueret, Odelricum ei donec quid de eo ageret deliberaret, commendauit. Is autem pecuniæ multæ quam pro episcopatu erogarat, non immemor, hoc cũ pacto cœpit de eius infidelitate discutere. Paucis deniq; interpositis diebus, rex Berengarius nuncijs directis, Odelricum ad se uenire præcepit. Quos ironica hac responsione conuenisse nõ dubium est. Sacerdotis officio penitus carere debeo, si iugulandum quempiam in manus alicuius tradidero. Intellexerunt itaq; nuncij hunc publicè rebellasse, quem à rege sibi traditum absq; eius licentia nouerant dimisisse. Qui regressi protinus ad regem, Terentianum illud pro responsione dederunt. Huic cõmendes si quid recte curatum uelis.

Berthæ liberi

Anscarij ortus

Rebellionis causa contra Berengariũ.

De Rodulfo Burgundione ad regnũ ab Italis accito, & qualiter Hungari Odelricũ Berengarij aduersarium occiderint, & Adelbertum ac Gilebertum ceperint: sed Adelbertus astu quodam pro gregario milite redemptus, elapsus sit. Caput XVI.

QVo tẽpore Rodulfus rex superbissimus Burgundionibus imperabat. Cui in augmentũ potẽtiæ hoc accessit, ut potentissimi Sueuorũ ducis Burchardi filiam nomine Bertham sibi coniugio copularet. Igitur Italienses nuncijs directis hunc ad se uenire, Berengarium uero expellere petunt.

Inter

Inter agendum autem contigit Hungaros Veronā his ignorantibus aduenisse, quorum duo reges Dursac & Bugat amicissimi Berengario fuerant. Adelbertus deniq; marchio atq; Odelricus comes palatij, Gilebertus etiam comes, plures'q; alij dum in montem Brixianæ ciuitatis, quæ quinquagintā miliarijs à Verona distat, conuenticula ob Berengarij deiectionē haberēt: rogauit Berengarius Hungaros, ut si se amarent, super inimicos suos irruerent. Hi uero, ut erant necis auidi, bellandi cupidi, à Berengario mox præduce accepto, per ignotas uias à tergo hos usq; aduenīūt, tantaq; illos celeritate confodiunt, ut nec induendi sumendi'ue arma spatiū haberent. Captis igitur cæsisq; multis Odelricus palatij comes, qui se uiriliter defenderat, occidit̃. Adelbertus autem marchio & Gilebertus uiui capiuntur. Verum Adelbertus ut erat uir non bellicosus, sed sagacitatis miræ nimiæq; calliditatis, dū irruere Hungaros undiq; cerneret, esset'q; illi omnis spes fugiendi ablata, baltheum, armillas'q; aureas, omnem'q; preciosum apparatum proiecit, uilibus'q; se militis induit uestimentis, ne ab Hungaris quis esset dignosceretur. Captus igit̃ sciscitatus'q; quis esset, militis cuiusdam militem se esse respondit. Rogauit'q; se ad uicinum castellum duci uocabulo Calcinaria, in quo parentes qui eum redimerent, se habere asserebat. Ductus igitur, quia nō agnitus, uilissimo precio comparatur. Emit autem illum suus ipsius miles nomine Leo. al. Giselbertus

De Giliberto humaniter à rege Berengario dimisso: sed perfide ad Rodulfum profecto, quem in Berengariū sic reduxit, ut eum præter Veronā regno spoliauerit: de'q; pugna in Berengariū & Rodulfum. Cap. XVII.

Gilebertus autem quia agnitus flagellat̃, uinctus seminudus'q; ante Berengarij regis præsentiā ducitur. Enimuero dum ante eum sine femoralibus curta indutus† endromade ductus regis ad pedes cōcitus caderet, genitaliū ostensione membrorū ad risum omnes cōmouit. Rex aūt, ut erat pietatis amator, misericordia, quę ei nulla debebat̃, inclinatus ei nō ut populus optauit, malum pro malo reddidit: uerum cōfestim lotum, optimis'q; uestibus indutū, abire permisit. Cui & ait, Iusiurandū à te nullum exigo, fidei tuæ teipsum cōmitto. Si male contra me egeris, rationem te scias deo redditurum. for. endymate — Berēgarij misericordia

Hunc deniq; ad propria redeuntem, regis gener Adelbertus, cæteri'q; qui cum illo rebelles extiterant, accepti immemorem beneficij ad Rodulfum ut adueniat dirigunt. Profectus itaque eōdem Gilibertus ante triginta dies in Italiam eum aduentare coēgit. Qui susceptus ab omnibus nil Berengario ex omni regno præter Veronam dimisit, totum'q; tenuit per triennium uiriliter regnum. Quum duodecim sibimetipsi horis hoc placeat, displiceat hoc, modo diligat illud, mox aspernetur, qui fieri potest, ut omnibus semper æquianimiter placeat? Igitur intra triennium iste rex Rodulfus quibusdam bonus, alijs grauis est uisus. Vnde factum est, ut totius regni media pars populi Rodulfum, media Berengarium uellet. Parant itaque ciuile bellum non ingratitudo — Rodulfi inconstantia

modicum:

modicum,& quoniam Placentinæ ciuitatis episcopus Vuido Berengarij partibus fauebat,duodecim longe à Placẽtia miliarijs iuxta Florentiolam bellũ parant. Tum perquam horrida pugna oritur ciuilis & atra, heu quater ante Kalendas Sextilis: tamen ipse Dum parat horrendos radios emittere phębus, Buccina martis adest,gnato pater ipse perennem, Infert interitum,perimitq; patrem genitura. Proh dolor acer auus letum parat ecce nepoti, Sternendus per eum,furijs pulsatus ab atris. Fratrem qui fodit,fratrem fodit eminus alter. Berengarius ipse ruit medios rex percitus hostes Et properat. fertur ceu cœlo fulgur ab alto Dum coquit arentes cancri graue sidus aristas: Non aliter dirus miserum rex ipse Rodulfus. Deijcit innocuum stricto mucrone popellum.

Prælĩũ atrox

De uictoria quam Rodulfus per Bonifacium cognatum suum obtinuit, & Rodulfi in Italia regno. Et de Flamberto Veronensi,qui Berengariũ occidere tentauerat. Cap. XVIII.

DEderat rex Rodulfus Vualdradam sororẽ suam tam forma q̃ sapiẽtia quæ nunc usq; superest, honestã matronã, coniugem Bonifacio comiti potentissimo,qui nostro tempore Camerinorum ac Spoletinorũ extitit marchio. Hic collecta multitudine, cũ Gariardo comite Rodulfo regi in auxiliũ ueniebat, atq; ut erat uir tam callidus q̃ audax, maluit potius in insidijs positus cum suis rei exitũ expectare, quàm primũ belli impetum sustinere. Iam Rodulfi penè omnes milites fugerant, & Berengarij dato uictoriæ signo colligere spolia satagebant: quum Bonifacius atq; Gariardus subito ex insidijs properantes,hos tanto leuius, quanto inopinatius sauciabãt. Pepercerat Gariardus nonnullis,hasta eos & non ferro percutiens,Bonifacius nulli parcens immensam fecerat stragem. Signum itaq; uictoriæ Bonifacius ceperat, conueniuntq; qui ex Rodulfi parte confugerant, persequentesq; Berengaricos fugam illos inire cogebant. Berengarius uero in incognitum à domino Veronæ perrexit asylum. Tanta quippe tunc interfectorum strages facta est,ut militum usq; hodie permagna raritas habeatur. His ita peractis, regnum sibi rex Rodulfus potentissime subiugauit, Papiamq; concite ueniens, congregatisq; omnibus, Quoniam inquit,superni muneris largitate mihi contigit deuictis hostibus regni solium adipisci:nũc cordi est meum uestræ regnũ fidei commendare,Burgundiamq; patriam ueterem uisere. Cui mox Italienses, Si bonum tibi,inquiunt,uidetur, præsto sumus. Igitur post Rodulfi regis abscessum,malo Veronenses accepto cõsilio,uitę Berengarij insidiari moliuntur: quod Berengarium non latuit:autor autem ac repertor tam sæui facinoris Flambertus quidam erat, quem sibi, quoniã ex sacrosancto fonte filiũ eius susceperat,compatrem rex effecerat. Pridie uero quàm pateretur,eundẽ ad se Flambertum uenire præcepit. Cui & ait.

Flambertĩ perfidia

De pru

De prudenti Berengarij regis ad Flambertum sermone,& poculo aureo quo eum ut placeret donauit. Caput XIX.

SI mihi tecũ hactenus non & multæ & iustæ causæ amoris essent,& quoquo modo quæ dicuntur credi possent,insidiari te uitæ meæ aiunt:sed nõ ego credulus illis. Meminisse autem te uolo,quantæcunq; tibi accessiones & fortunæ & dignitatis fuerunt, eas te nõ potuisse nisi meis beneficijs cõsequi. Vnde & hoc animo in nos esse debes, ut dignitas mea in amore atq; fidelitate tua conquiescat. Neque uero cuiquam salutem ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto,quantæ mihi fuit honos tuus. In quo mea omnia studia,omnẽ operam,curam, industriam, cogitationem omnẽ fixi. Vnũ hoc sic habeto. Si à te mihi seruatã fidẽ intellexero, non mihi tam mea salus chara, quàm pietas in referenda gratia iocunda. His expletis, aureum non parui ponderis poculum rex ei porrexit atq; subiunxit: Amoris salutisq; meæ causa quod continetur bibito,quod continet habeto. Vere autem & absq; ambiguitate post potum introiuit in illum sathanas. Beneficij quippe præsentis & præteriti immemor insomnẽ illam in regis necẽ populos instigando pertulit noctem. Rex autem nocte illa quemadmodum & solitus erat,iuxta ecclesiam nõ in domo quæ defendi potest, sed in tuguriolo quodam manebat amœnissimo. Sed & custodes nocte eadẽ nõ posuerat,nihil suspicans mali.

De Berengarij cæde,perfidia Flamberti peracta,& sanguine eius adhuc in lapide apparente. Et de Milone milite qui Berengarij cædem ultus est. Caput XX.

SE primum quatiens strepit Gallus, quum uigiles facit Mortales,solito sonat Et pulsata deo canit Iam tunc ænea machina: Inuitatq; docens bene Letheum graue spernere. Laudes huic modo reddere: Qui uitam tribuit dedit Et nobis superam bene Sanctam quærere patriam. Hic rex ecclesiam petit, Ac laudes domino canit. Flambertus properans uolat, Quo cum multa simul manus: Vt regem perimat bonum. Rex eorũ uigil inscius Audit dum strepitum,nihil Formidans properat citus Hoc quid uisere sit, uidet Armatas militum manus. Flambertũ uocat eminus. Quid turbæ est ait:en bone Vir quid nunc quid populus cupit Armatas referens manus? Respondit uereare nil. Te non ut perimat ruit. Sed pugnare libens cupit Hac cum parte tuum petit Mox quæ tollere spiritum. Deceptus properat fide Rex hac,in medios simul Tunc captus male ducitur: A tergo hũc ferit impius Romphæa:cadit heu pius, Felicemq; suum deo Commendat pie spiritum. Deniq; quàm innocentem sanguinem fuderit, quàmq; peruerse peruersi egerint, nobis reticentibus lapis ante cuiusdam ecclesiæ ianuam positus sanguinem eius cunctis transeuntibus ostendẽs insinuat. Nullo quippe delibutus aspersusq; liquore discedit. Nutrierat sibi rex Berengarius familiariter lauteq; iuuenem, imò heroem quendã, Milonem nomine, memoria *Lapis sanguine conspersus*

satis ac laude dignum. Cuius si rex fretus consilijs esset, fortunas sibi omnes non tantum aduersari sentiuisset, nisi quia forte & hoc diuinæ prouidētię consilium fuit, ut aliter fieri non posset. Is sanè nocte eadem qua rex Berēgarius deceptus est, adhibitis sibi copijs, nocturnas ei uigiliarū custodias uoluit exhibere. Rex uero promissionibus Flamberti deceptus, Milonem se nō solum custodire non siuit, uerum etiam atq; etiam uehementer prohibuit. Milo autem sicut uir fidelis & rectus, ac beneficij sibi à rege collati nō immemor, quē defendere quia defuit, nō potuit, cito acriter uindicare curauit. Tertia quippe post regis necem die, Flambertum eicq; in tam nephario scelere conniuentes, ui captos, suspendio uitā finire præcepit. Fuerūt sanè in hoc uiro nōnullæ perfectæq; uirtutes, quæ deo propitio suis in locis uita comite silētio nō tegent.

Milonis in regem pietas

LIVTHPRANDI TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE, LIBER TERTIVS, qui Antidosis inscribitur.



PERIS huius titulū pater sanctifice satis te mirari nō ambigo. Ais forte, Quum uirorū illustrium actus exhibeant, cur Antidosis ei inseritur titulus? Ad quod respondeo. Intentio huius operis ad hoc respicit, ut Berengarij huius qui nunc in Italia non regnat sed tyrannizat, atque uxoris eius Vuillæ, quæ ob immensitatem tyrānidis secunda Iezabel, & ob rapinarum insatietatem lamia proprio appellatur uocabulo, actus designet, ostēdat, & clamitet. Tanta enim mendaciorum iacula, tanta rapinarū dispendia, tanta impietatis molimina in me & domum meam, cognationem & familiā gratis exercuere, quanta nec lingua proferre, nec calamus præualet scribere. Sit igit eis præsens pagina Antidosis, hoc est, retributio, dū pro calamitatibus meis τὴν ἀσέβειαν eorū, id est, impietatem præsentibus futurisq; mortalibus denudauero. Nec minus etiā sanctissimis & fortunatis uiris pro collatis in me beneficijs Antidosis erit. Ex memoratis sanè aut memorandis nullus inuenitur aut rarus, hoc uno Berengario scilicet impio excepto, quorū non beneficijs genitores aut genitus uehemēter gratulemur. Deniq; quod in captiuitate seu peregrinatione libellus hic conscriptus dicat, præsens indicat exulatus. Cœptus quippe in Franconouord, qui est xx. miliarijs locus à Moguntia distans, in Paxu insula nongentis & eo amplius à Constantinopoli miliarijs usq; hodie exaratur. Sed redeamus ad rem.

Liuthprandi exilium

Quomodo defuncto Berengario, & Rodulfo ab Italia discedēte, Hungari Italiam dilaniauerint: & de Papiæ conflagratione, quæ metro describitur, & quomodo deo miserante, capta & deleta non sit. Caput I.

REge Berengario defuncto, atq; Rodulfo absente, Hungarorum rabies Salardo duce totam per Italiam dilatatur, adeo ut muros Papiensis ci-

uitatis

uitatis uallo circundaret, ac defixis per gyrum tentorijs, exeundi aditum ciuibus prohiberet. Qui quum his uiribus resistere non possent peccatis promerentibus, nec munere mulcent, Clarus ab infuso discedens sydere phœbus Zodiaci primū solito conscendere sydus Incipit, & gelidas dissoluere colle pruinas, Æolus atq; suos bis binos mittere flatus, Hungrorū furibunda manus quum gaudet in urbem Flatibus Æolijs adiuta infundere flammas. Spiritibus ualidis paruus diffunditur ignis, Nec iuuat Hungarios solis hos urere flammis, Vndiq; conueniunt mortemq; inferre minantur. Confodiunt telis, calidus quos terruit ignis, Vritur infelix olim formosa Papia, Vulcanusq; suos attollens flatibus artus Templa dei patriamq; simul conscendit in omnem, Extinguunt matres pueri innuptæq; puellæ, Sancta cateruatim moritur catechumena plebs, tunc Præsul in urbe sua hac moritur, sanctusq; sacerdos Nomine qui proprio bonus est, dictusq; Ioānes. Quod fuerat longo thecis in tempore clausum, En iacet, hoc aliena manus ne tangeret aurum, Atq; per immēsas dissoluitur igne cloacas. Vritur infelix olim formosa Papia, Cerneres argenti riuos paterasq; micantes, Corpora maiorum passim combusta uirorū. Iaspidis hic precium uiridis rutiliq; topazi, Spernit & sapphyrus, onyx, pulcherq; berillus. Institor heu faciē nullus deflectit ad aurum. Vritur. ut supra. Lucidus immensas seruat, nec fonte carinas Ticinus, sentina simul diffundit igne. Vsta est infelix olim formosa Papia: Anno dominicæ incarnationis D. CCCCXXIIII. iiij. idus Martij, indictione xij. feria, vi. hora iij. Quorum memoriam qui ibidem combusti sunt, uos & quicunq; legeritis faciatis uehementer exoro. Verū pijssimi omnipotentisq; dei ira, cuius propheta misericordiam & iudicium concinit, cuiusq; misericordia plena est terra, usq; ad consummationē non desæuit. Nā & si peccatis promerentibus est exusta, non tamen inimicorum manibus tradita. Impletq; quod rex & propheta canit, Nunq̄d in æternū proijciet deus, aut non apponet ubi con. sit adhuc: aut in finē m. s. absc. à genera. in generationē. aut ob. mi. deus, aut con. in ira. s. misericordias suas. Itemq; & alius propheta dicit, Cū iratus fueris, misericordiæ re. Reliquiæ igitur quæ supererāt, Hungaris non inuiriliter resistebant, adeo ut lætabundi canerent cum propheta. Hæc est mutatio dexteræ excelsi.

Papiæ ustatio

Quod Papia beati Syri eiusdem patroni meritis sit liberata. Et quod idem beatus Syrus Papiam ueniens, in spiritu prophetico eius affluentiam & Aquileiæ casum denunciarit. Et cur Ermegarda post Adelberti mariti sui obitum tam potens extiterit. Caput II.

ACcessit ad hoc, magnumq; iuuamen præbuit sanctissimi patris nostri doctorisq; egregij beati Syri, cuius in præfata urbe requiescūt exuuiæ, intercessio gloriosa. Ac ne eius uaticinium falleretur, prædicta urbs Papia ut caderet est impulsa. Verum misericorditer à domino est liberata. Missus si-

quidē prædicationis gratia à beato Hermagora euangelistę Marci discipulo Papiam beatissimus pater huiusmodi eam prophetiæ spiritus præsagio honorauit. *Vaticinium* Delectare gaudijs urbs Papia, quia ueniet tibi ab æternis montibus exultatio. Non uocaberis minima, sed copiosa in ciuitatibus. Et ut hoc eius uaticinium firmius crederetur, Aquileiæ non ignotæ ciuitatis casum hac eadem hora sermone huiusmodi nūciauit. Væ tibi Aquileia, quia quū inter impiorū incesseris manus, destrueris, nec ultra reędificata cōsurges. Quod ita esse completum uisibus patens ratio manifestat. *Aquileiæ direptio* Aquileia nanq; prædiues, atq; olim ciuitas immensa, ab impijssimo Hunnorum rege Attila capit atq; funditus dissipatur, nec ulterius, ut in præsentiarum cernitur eleuatur. *Papiæ celebritas* Papia uero, ut uir sanctissimus dixerat, copiosa & appellatur & cernitur: non solum quippe uicinas sed & longe positas præcellit opibus ciuitates. Quid alias memorem, quum ipsa insignis, & toto orbe notissima Roma hac inferior esset, si preciosa beatissimorum apostolorū corpora nō haberet? Patet igitur quod hanc intercessio beatissimi patroni nostri Syri eripuit, qui eam tam ueridico ac precioso præsagio honorauit. Exusta deniq; Papia, factaq; per Italiā non modica præda, Hungari ad propria reuertuntur. Hoc eodem tempore defuncto Adelberto Eporegiæ ciuitatis marchione, uxor eius Ermegarda *Ermegardæ libido ac potentia* Adelberti præpotentis Thusciæ marchionis & Bertæ filia totius Italiæ principatum obtinebat. Causa autem potentiæ eius hæc erat, quoniam quod dictu etiam fœdissimum est, carnale cum omnibus non solum principibus, uerum etiam cum ignobilibus commercium exercebat.

Quod regi Rodulfo à Burgundia regresso, Ermegarda paulo post rebellis extiterit, ita ut cum Italiensibus Papiam tenuerit. Et quomodo Rodulfus illuc tetenderit. Et quomodo astu Ermegardæ Rodulfus suos deserens, ad eam noctu ut transfuga uenerit, & quomodo mane à suis quæsitus sit: & recognita, Mediolanum milites eius fugerunt. Item quomodo Italienses Hugonem accesserunt. Caput III.

PEr idem tempus rex Rodulfus è Burgundia rediens in Italiam uenit: defunctoq; Berengario, regnum potenter obtinuit. Post autē aliquot dies Italienses omnes cœperunt inter se diffidere. Zelo quippe non modico propter Ermegardæ pulchritudinem iuxta carnis huius putredinem trahebant, eo quod ea stuprum alijs præbebat, alijs denegabat. Vnde factū est ut prædiues Mediolanensis episcopus, nonnulliq; alij regis Rodulfi partibus fauerent. Cum Ermegarda uero tot simul rebelles aderant, quot ipsam etiā regni caput Papiam non inuiriliter defenderent. Factum est autem, ut rex Rodulfus collectis copijs, Papiam contenderet, castrametatus quinto miliario ab urbe eo in loco, quo Ticinus simul & magnus ille Padus conueniunt, in cuius laudibus Maro sic canit Fluuiorum rex Eridanus. Idem,

Corniger hesperidum fluuius regnator aquarum.

Ermegarda,ut non incallida, Rodulfo regi huiusmodi noctu per memorati alueum fluuij mandata transmisit.Si te perdere uellem, iam longo tempore extinctus esses. Tui qppe omnes te deserere,meq́ꝫ ardēter adire,si meū modo adsit uelle,contendūt.In his enim es locis,in quibus captus uinctusq́ꝫ esses,si eorum iamdudum consilijs paruissem.Talibus rex legationibus non solum credulus,uerumetiam territus, nuncijs remissis, se actur ū quicquid ea consuleret remandauit. Nec mora, sequēti nocte Rodulfus clàm custodibus dimissis omnibus, dimisso tentorio, lecto etiam bene composito,lintrem ingressus suos deseruit,atqꝫ ad Ermegardam quantocyus properauit. Igitur mane facto, magno silentio regis milites tentorium circuibant: uenientibus uero principibus,nō patua inter eos admiratio erat, quur præter solitum rex hora huiusmodi dormitaret. Quūq́ꝫ strepitu ut spadones quondā Holofernem euigilare niterentur, nullum quemadmodū ipse, dabat responsum. Introeuntibus autem tentorium,nihilq́ꝫ reperientibus, raptum hunc alij,interfectū alij clamitabant. Nemo tamen quod transfuga fieret, animaduertere poterat. Verum dum hac admiratione fluctuarent,nuncius uenit qui diceret Rodulfum regem super eos cum aduersarijs eorum uelle irruere. Qui mox animo consternati,tam celeri fuga cœperunt discedere,ut nō hos currere,sed si uideres,diceres transuolare. Quumq́ꝫ Mediolanum,tutum scilicet ad locum peruenissent,consensu omniū Lanthbertus archiepiscopus Hugoni potentissimo & sapientissimo prouincialium comiti mandat,regnū ut Rudolfo auferat, sibiq́ꝫ potenter obtineat. Erat enim longo ex tempore multis argumentis & ipse periclitans,si forte regnum posset obtinere Italicum.Hic enim Berengarius iam nominati regis tempore cum multis in Italiā uenerat. Sed quia regnādi tēpus nondū ei aduenerat,à Berēgario territus est atqꝫ fugatus.

Quomodo Rodulfus in Burgundiam reuersus,Burchardū socerum suum ad auxilium adduxerit. Et qua ratione idem Burchardus sit Mediolanū profectus,& ibidem honorifice susceptus,& de eius morte tractatum. Qui Mediolano rediens, Nouariam uenit:ubi & ab Italiensibus cum omnibus suis occisus est. Et Rodulfus Burgundiam repetijt.Hugo uero comes prouinciæ Pisas appulsus est, unde Papiam uenit, & rex Langobardorum fit. Vuido autem Berthæ filius Thusciæ præficitur. Caput IIII.

RODULFUS deniqꝫ quum infidelitate suorū prænominatos aduersarios superare nō posset, in Burgundiam profectus,Burchardo Sueuorū duci, cuius sibi filiam coniugio copulauerat, denunciat ut sibi in auxilium ueniat. Qui collectis copijs, cum Rodulfo confestim conuenit in Italiam. Quumq́ꝫ peruenissent Eporegiam,Rodulfum Burchardus ita conuenit: Ipse ego ut legationis obtentu Mediolanū proficiscar, nō absurdū uidetur.Hac occasione urbem explorare,atqꝫ eorū potero cognoscere uoluntatem. Profectus itaqꝫ quum iam Mediolanum peruenisset,priusquā urbem ingrederetur,ad beati

precioſiq; martyris Laurentij eccleſiam orationis gratia declinauit: ſed, ut aiunt, non tantū petitionis gratia, quantū alterius rei cauſa. Dicūt enim quia prope ciuitatem eſt eccleſia miro atq; precioſo opere fabricata, eum ibidem munitionē conſtruere uelle, qua non ſolū Mediolanenſes, ſed & plures Italiæ principes coërcere decreuiſſet. Inde uero exiens quum iuxta murum ciuitatis equitaret, lingua propria, hoc eſt, Theutonica ſuos ita conuenit. Si Italienſes omnes uno uti tantummodo calcari, informesq; nō fecero equas caballicare, nō ſum Burchardus: fortitudinem ſiquidem muri huius ſeu altitudinem qua ſe muniri confidunt, nihili pendo: iactu quippe lanceæ meæ aduerſarios de muro mortuos præcipitabo. Hoc aūt eò dicebat, quoniā neminem aduerſariorum ſuæ ibi linguæ gnarum eſſe putabat. Verū ſuo omine non bono quidam iſtic aderat, quanq; pānoſus & deſpectus, eius tamen loquelæ ſcius, qui omniū horum Lanthberto archipræſuli celer factus eſt nuncius: qui ut erat ingenio pollens, Burchardū nō deſpexit, ſed eum alio animo ſuſcipiens, mirabiliter honorauit: ſed & inter cætera quaſi hoc eſſet priuilegiū amoris, conceſſit ceruum, quem is ſuo in brolio uenaret, quod nulli unq; niſi chariſſimis magnisq; conceſſit amicis. Lanthbertus interea Papienſes omnes nonnullosq; Italiæ principes ad Burchardi necem inuitat, eumq; tamdiu tenuit, donec congregatos eſſe omnes ſperaret, qui eum occidere deberēt. Factū eſt igit ut Burchardo Mediolano diſcedēte, Nouariā die perueniret eadem. Quumq; iſtic nocte tranſacta diluculo ſurgeret, Eporegiam tendens ciuitatē, Italicæ ſuper eum irruentes ſubito apparuere phalanges. Quas contra non ut uir bellicoſus properat, uerū mox fugam inceptat. Et quoniā ſecundū beati Iob ſententiā, terminus eius conſtitutus præteriri non poterat, & fallax equus ad ſalutem, in foſſam quæ muros circuit ciuitatis, equus decidens eum proiecit: ubi & ab irruentibus Auſonijs confoſſus lanceis uitam morte commutauit. Sui denique hoc uidentes, quoniam aliò non poterant, intra eccleſiam ſanctiſſimi confeſſoris Gaudentij confugiunt. Auſonij itaq; ut ex Burchardi minis non mediocriter inflammati atq; indignati, eccleſiæ fores frangunt, omnesq; in ea repertos, ſub ipſo etiam altari confodiunt. Quod Rodulfus ut audiuit, Italiam dereliquit, & Burgundiā percitus uenit. Hæc itaq; dū agunt, Hugo Arelatenſiū ſeu prouincialiū comes nauim conſcēderat, & per Tyrrhenū mare in Italiā feſtinabat. Deus itaq; qui hunc in Italia regnare cupiebat, proſperis eum flatibus breui Alpheam hoc eſt, Piſam, quæ eſt Thuſciæ prouinciæ caput duxerat: de qua ſic maro. Alpheæ ab origine Piſæ. Quumq; eodem perueniſſet, affuit Romani papæ Ioannis ſcilicet Rauennatis nuncius. Affuerunt etiā penè omnes Italienſes nuncij, qui hunc ut ſuper eos regnaret inuitabant. Is autē, ut erat longo ex tempore hęc cupiens, percitus uenit Papiā, cunctisq; cōniuētibus regnū ſuſcepit: poſt paululū Mantuā abijt, ubi & Ioānes papa ei occurrēs, fœdus cū eo pcuſſit. Quo tēpore Berta matre Hugonis regis mor-

Petulanter

Burchardi interitus

Alphea

gis mortua, Vuido filius eius quẽ ex Adelberto genuerat,ſicut prædiximus, Thuſciæ marchiã tenebat, qui Maroziã ſcortũ Romanũ ſibi uxorẽ accepat.

De plurimis regis Hugonis uirtutibus libidine fœdatis. De duobus filijs eius. De amicitia eius cum Henrico Imperatore. De patre Liuthprãdi huius operis autoris ad Imperatorem Græcum ab Hugone miſſo. De duobus canibus Imperatori miſſis,qui eum dilaniare parabant. Et de patre, quur tam magnifice ſit ab Imperatore ſuſceptus. Caput V.

FVit aũt rex Hugo nõ minoris ſcientiæ quàm audaciæ, nec inferioris fortitudinis quàm calliditatis,dei etiã cultor,ſanctæque religionis amatorũ amator:in pauperum neceſſitatibus curioſus:erga eccleſias ſolicitus, religioſos philoſophosque uiros nõ ſolũ amabat,uerumetiã fortiter honorabat. Qui & ſi tot uirtutibus clarebat,mulierũ tamen illecebris eas fœdabat. Hic ex Francorũ genere,ex genere Theutonicorũ uxorẽ acceperat nomine Aldã,quæ filiũ ei genuerat nomine Lothariũ. Habuerat ſanè tunc tẽporis ex quadã muliere nobiliſſima uocabulo Vuandelmoda filiũ nomine Hubertũ, qui nunc uſque ſupereſt,& Thuſciæ prouinciæ potens princeps habet. Cuius acta dño propitio ſuis in locis exponent. Hugone igit rege conſtituto,ſicut uir prudentiſſimus quocũque terrarũ cœpit nuncios ſuos dirigere,multorũque regum ac principũ amicitiã quærere:Henrici præſertim famoſiſſimi regis, qui,ut ſupra memorauimus,Baioarijs,Sueuis,Lotharingis,Francis atque Saxonibus imperabat. Hic etiã Sclauorum gentem innumerã ſubiugauit,ſibique tributariã fecit. Primus etiam hic Danos ſubiugauit,ſibique ſeruire coëgit: ac per hoc nomen ſuum multis nationibus celebre fecit. Rex igitur Hugo quũ reges ac principes amicos circũcirca acquireret, ſtuduit nomen ſuũ etiã Archiuis longe à nobis poſitis notũ facere. Imperabat uero his tũc tẽporis memoria ſatis & laude dignus Romanus Imp. liberalis,humanus, prudens ac pius: cui tũ propter morũ probitatẽ,tũ ppter linguę urbanitatẽ genitorẽ meũ direxit nunciũ.

Qui quũ eòdẽ perueniſſet,inter cætera quæ Imperatori Romano rex Hugo miſerat munera,duxit duos canes, quales in eadem patria non ſunt alicui uiſi. Qui quũ ante eius præſentiã adducti fuiſſent,niſi multorũ brachijs conſtricti fuiſſent,eum protinus morſibus laniaſſent. Puto enim quod dũ hunc Græcorũ more cheriſtro opertum, habituque inſolito uiderunt indutum,non hominẽ ſed monſtrum aliquod putauerint. Denique magno cum honore ab eodẽ ſuſceptus eſt Imperatore. Nec tam pro rei nouitate,aut munerum magnitudine, quantũ quoniã dum præfatus genitor Theſſalonicã ueniſſet,Slauorũ quidã qui rebelles Imperatori Romano extiterant,terramque eius depopulabantur,ſuper eum irruerunt. Verum dei actum eſt pietate,ut eorũ principes uiui nõnullis mortuis caperent. Quos dum præſentaret Imperatori,immẽſa affectus eſt lætitia,magnoque ab eo genitor munere donatus:ad Hugonẽ regẽ qui ſe illuc trãſmiſerat redijt lætus. Poſt reditũ uero eius paucis inter

Hugonis laus

Aldã

Hubertũ

Henrici Imp. geſta

Romanus

Liuthprandi pater

poſitis ſolibus languore correptus monaſteriũ petijt, ſanctæq; conuerſationis habitum ſumpſit, in quo poſt dies quindecim mortuus me paruulo derelicto migrauit ad dominum. Nunc autem quoniam Imperatoris Romani mentio facta eſt, quis fuerit, qualitér ue ad imperij culmen peruenerit, hic nõ abſurdum mihi uidetur referre.

De leone ferociſſimo, quem Romanus qui poſtea imperauit, fortiſſime peremit, & de ſocij eius pauore. Cap. VI.

IMperante quoq; Leone Conſtantini huius genitore, Romanus iſte Imperator quanq; πτωχός, id eſt, pauper, ab omĩbus tamen χρήσιμος, id eſt, utilis habebat. Erat autem ex mediocribus ipſis qui nauali pugna ſtipendia ab Imperatore acceperant. Qui quũ ſæpius & iterum εἰς τὴν μάχην, id eſt, in pugna nonnulla, χρήματα, id eſt, utilia faceret, à ſibi præpoſito adeo honoratus eſt, ut primus nauium fieri mereretur. Quadam autem nocte, dum Saracenos exploratum abiret, eſſetq; in eodẽ loco palus, atq; harundinetum non modicũ, contigit leonẽ ferociſſimũ ex harundineto proſilire, ceruorũq; multitudinẽ in paludem demergere, unumq; eorũ capere, ſicq; rabiem uentris mitigare. ῥωμανὸς δὲ τῶν αὐτῶν, id eſt, Romanus aũt eorundẽ ſonitum audiens, timuit ualde. Putauit enim multitudinẽ Saracenorum eſſe, qui conſpectum ſe fraude aliqua uellent perimere. Mane autẽ primo exurgens quũ diligentiſſime omnia conſideraret, conſpectis ueſtigijs εὐθέως, id eſt, cõfeſtim quid hoc eſſet agnouit. Leone itaq; in harundineto cõmorante, Romanus

Græcus ignis

Græcũ ignem, qui nullo præter q̃ aceti liquore extinguit, undiq; per harundinetum præcepit iactari. Erat aũt in harundineto aceruus harundinibus plenus, in quem leo confugiens, illo ab igne eſt ſaluatus. Ventus quippe contraria ex parte flans, ignem ne ad aceruũ uſq; perueniret amouit. Romanus præterea poſt ignis extinctionem, uno tantũ cum aſſecla enſem ſolum dextera, ſiniſtra autem pallium geſtans, locũ omnẽ peragrans luſtrat, ſi forte os ex eo uel ſignũ aliquod reperiret. Iam uero quum in eo eſſet, ut nihil inueniens repedaret, quid hoc monſtri eſſet quod aceruus ille ſit ab igne ſaluatus, ſtuduit uiſere. Quumq; duo prope aſſiſterẽt, ſecumq; rebus ex nõnullis fabularent, leo hos tantum audiuit, quoniamquidẽ ob caligantes oculos παρὰ τῶ κάπνω, id eſt, ob fumũ uidere nõ potuit. Volẽs igitur leo animi ſui feritatẽ quam ab igne cõceperat, in hos euomere, ſaltu rapidiſſimo quà illorũ uoces audierat, inter eos proſilijt. Romanus uero, non ut ſuus aſſecla pauitans, ſed ea potius mente conſiſtens, ut etſi fractus caderet orbis, impauidum ruinæ ferirent, pallium quod manu geſtabat, inter brachia miſit. Quod dum pro homine leo diſcerperet, Romanus hunc à tergo totis uiribus inter cluniũ iuncturas enſe percuſſit. Qui diſſociatis diuiſiſq; cruribus quia ſtare nõ poterat, penitus cecidit. Leone igit interfecto, Romanus ſeminecem aſſeclam ſuũ ſolo ſtratum eminus uidit, quem & uocare uoce præcipua cœpit. Sed quũ nullũ daret om-

nino

nino reſponſum, idem Romanus propter eum aſtitit, pedeq́ pulſans, Surge, inquit, miſer. Qui conſurgens præ admiratione dum leonis immanitatẽ conſpiceret, non habuit ultra ſpiritum. Stupebant autẽ omnes de iſto Romano hæc audientes. Vnde factum eſt, ut tam pro cæteris quàm pro præclaro hoc præſenti facinore nõ multo poſt à Leone Imperatore tãto donaretr̃ honore, ut omnes naues ipſius eſſent in manibus, eiuſq́ iuſſionibus obedirent.

De ijs qui Leoni Imperatori ſucceſſerunt, & Conſtantini morte, ac Romani per ſtratagema & aſtum ad imperium euectione. Cap. VII.

Leo deniq́ Græcorũ pijſſimus Imperator, cuius ſupra fecimus mentionẽ, corporis humani debitum ſoluens, uiamq́ carnis uniuerſæ ingrediens, regni ſui hæredem, Alexandrum fratrem germanum, unicumq́ filium Conſtantinum, qui nunc uſq́ ſupereſt, & feliciter regnat, paruulum, & ut Græci aiunt, ἄλαλον, id eſt, mutum & infantem dereliquit. Quibus ad tuendũ palatium, tutandamq́ rem priuatam, ut iſtic moris eſt, eunuchum officio †Parachimmenon dedit. Focam uero domeſticum maiorem, hoc eſt, terreſtris ducem exercitus fecit. Romanum autem non claro natalium ortu, ſed cordis magnanimitate nobilem, naualis exercitus principem ordinauit. Alexander poſt modicum defunctus, ſoli Conſtantino paruulo imperiũ dereliquit. Deniq́ tempore quo magnus Imperator Leo migrauit ad Chriſtũ, Focas præfatus Domeſticus terreſtris dux exercitus contra Simonem Bulgarorum regem copias duxerat, eiq́ Conſtantinopolim uenire cupienti non inuiriliter repugnabat. Romanus uero ut nõ incallidus, audito Imperatorum, hoc eſt, Leonis atq́ Alexandri interitu, haud longe ab urbe collecto claſſiũ exercitu fugit, atq́ in inſulam paruam iuxta Cõſtantinopolim, ita ut è palatio uideri penè poſſet, ratibus collectis aduenit: ad palatium autem minime transfretauit, laudesq́ iuxta conſuetudinem Porphyrogenito minime decantauit. Quæ res eunucho Parachimmeno, cunctisq́ Conſtantinopoleos principibus ſtuporem timoremq́ non paruum attulit. Internuncijs itaque quid hoc monſtri ſit quod regem non adierit, laudesq́ debitas nõ ſoluerit, ſciſcitantur. His à Romano reſpondetur, quod propriæ uitæ timens palatium declinarit, & adiecit, quod ſi Parachimmenos cæteris cum principibus ſe non adiret, uitamq́ iureiurando promitteret, mox ſe ad Cretenſium Saracenorum regem conferret, regnumq́ Argiuorum ſui auxilij fortitudine debellaret. Quod quàm callide dixerit exitus declarabit. Igitur quod præfati ſumus, principes terrore compulſi, ignorantes quod lateret anguis in herba, omnes hunc fiducialiter adeunt, quod mandauerat gratanter cupientes implere. Quos omnes non malo conſilio accepto proiectos in ſentinam ligat: ſicq́ ſecurus ad urbem magno cum comitatu feſtinat, hisq́ quos ſuſpectos habuerat, palatiũ purgat, ſuæ parti parentes ibi collocat: rectorem, magiſtros, patricios, logotheum, Eparchon, χειτωνίτας cubicularios, protoſpatharios, ſpatharios, ſpatharocan-

Leonis mors ac ſucceſſores

† forte, παρακοιμώμενον

Romani dolo ſæ minæ

tharocandidatos παραθαλασσίους facit. Cæteros ut diximus abdicat. Qui etiam ut cœptum opus firmius patraret, cum Porphyrogeniti matre Zoizo ne nomine, uenerea est dulcedine iunctus. Tota mox ciuitas coronat, & Romanus pater Basileos appellatur.

De Phoca altero ex principibus aulæ, qui audito quod Romanus esset ad imperium euectus, uictoriam Bulgaris sponte concessit cum multa suorum strage fugiens, quocirca à Romano captus oculis priuatur. De Simeone Bulgarorum rege ex monacho, cuius filius Baianus magica arte homines in lupos uertit. Item de Helena seu Irena, quæ Constantino Imperatori nupsit. Cap. VIII.

CVm Bulgaris præterea pugnanti Phocæ Domestico, qui & ipse pater Basileos ardēter fieri cupiebat, in ipso bello iam de hostibus triumphū tenenti quid à Romano actū sit nunciatur, qui mox animo consternatus, nimio dolore compulsus, uictoriæ signū quo hostes insequebat proiecit, terga uertit, fugam suos inire fecit. Reparant itaq; Bulgari Simeonis hortatu animos, & quos prius aduerso marte fugarat, prospero postmodum insequunt, tantaq; tunc Argiuorū strages efficitur, ut longo post tempore campus plenus ossibus uideretur. Omni deniq; cum festinatione iam nominatus Phocas Domesticus Cōstantinopolim redit, palatium ingredi cupit, & arte fieri pater Basileos satagit. Sed quia cōsilij uis expers mole ruit sua, & ut Flaccus dicit: Dij rem temperatam prouehūt in maius, à Romano Domesticus iste capitur, atq; utroq; lumine priuatur. Bulgaris non minima uis augetur, ijsq; Græcos depopulandi uicissitudo dupla rependitur. Tunc etenim Simeonē (*Simeon*) ἡμίαργον, id est, semigræcum esse aiebant, eo quod à pueritia Byzantij Demosthenis rhetoricam, Aristotelisq; syllogismos didicerit. Post hæc autem relictis artium studijs, ut aiunt, cōuersationis sanctæ habitum sumpsit: uerū paulo post regnandi cupiditate deceptus, ex placida monasterij quiete ad seculi procellam transijt, elegitq; potius apostatam Iulianū, quàm beatissimū Petrum cœlestis regni clauigerum imitari. Qui duos filios habuit, unum nomine Baianum, alterum qui nunc usq; superest, potenterq; Bulgaris principatur, nomine Petrum. Baianus autem adeo fertur didicisse magicam, ut ex (*Baiani præstigia*) homine fieri lupum, & quamcunq; uellet aliam cerneres feram. Romanus præterea eodem quo pater Basileos constitutus est anno, filiam suam Helenam Imperatori paruulo suo domino Constantino Porphyrogenito coniugem dedit. Porphyrogenitum autē non in purpura, sed in domo quam Porphyram superius diximus nominatā, appello: ut uidere est libro primo pluribus capitibus. De æde autem sacra quam ædificauit, hoc addi potest, quod ipsam νέαν, hoc est nouam alij uocant: alij uero ἐννέαν, quod lingua nostra nouennalem sonat, appellant: eo quod ibidem horarū ecclesiasticarum machina nouem pulsata ictibus seu uocibus sonet.

De oratione

De oratione Romani ad principes Romanos, postquam Imperator con/stitutus est. De humilitate prosapiæ Romani, qui Christophorum filium suum inique Constantino Imp. filio in imperij aditione prætulit, quam iniu/riam deus morte Christophori ultus est. De Constantini Por/phyrogeniti religione & exercitatione, paceq; cum Bulgaris per Irenam facta.

CAPVT IX.

SEcundo itaq; quo pater Basileos constitutus est anno, Romanos conuo/catos ad se principes ita conuenit: Romanæ dignitatis ἄρχοντες, id est, principes, quoniam uobis consultis nõ solum inquã pater Basileos sum con/stitutus: uerumetiam sanctissimi Imp. fidelitati γλαυκώπιδος Helenæ, id id est, uirides oculos habentis coniunctione sociatus: hic aliquo imperialis or/natus indicio monstrari dignum in corpore reor, quod celebratur à populis ex nomine dignitatis. Iudicatum deniq; à populo, cõmuniq; decretũ est con/silio, ut quia tantæ erat dignitatis, & λευκώλενον filiam suam Helenã Imp. ei copularat, rubricratarum pellium caligis, ut istic Imperatorum moris est ute/retur. Sed ne hoc quidẽ satis ei uisum fuit. Siquidẽ post unius anni synaxin quum amplioris iam potentiæ esset, talibus aggreditur eosdem principes ser/monibus. Quoniam cõmuni uestro iudicio definitũ est imperialibus me uti caligis, περίφαντοι ἥρωες, id est, nobilissimi heroes, uestræ autoritatis bene/uolentiæ quæ contulistis, mihimet uidentur preciosa, diligentius uero consi/deranti risum mouere uidentur: illi enim facile ad risum turbas illiciũt, qui ua/rijs sese depingunt coloribus. Deniq; risum non solũ alijs, sed & mihipsi mo/uent, dum pedibus Imperatorem, capite cõmunem uideor imitari plebem. Namq; comœdiæ mimus quisq; melior. Igitur aut coronã præbete, aut ca/ligas quibus ridiculus populo uidear, auferte. Hoc plane dicto, magis autẽ qua cunctis præerat potestatis autoritate, omniũ iudicio coronã recepit, & ca/ligarum decorem minime perdidit. Huius miretur prudentiã nemo, sed lau/des referat deo cordis ex intimo, Qui erigit elisos, soluit compeditos, cuius in manu calix uini meri plenus mixto inclinans ex hoc in hoc. Is autẽ humili erat prosapia, ex Armeniorum scilicet gente oriundus, neque solum mentẽ conceperat futurum, se regis in aula esse, nedum imperialia sceptra tenere, sed quod prophetissa Anna dicit, Dominus pauperẽ facit & ditat, humiliat & subleuat, suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, ut sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ &c. Regi itaque immortali, inuisibili, soli deo honor & gloria per cun/cta seculorum secula, Amen.

Romani ad principes Ro/ concio

Alia eiusdẽ concio

Deniq; Romano Imperatore cõstituto, Christophorũ quẽ ante imperij di/gnitatẽ habuerat, Imperatorẽ cõstituit. Post impij uero sui ordinationẽ uxor eius filiũ ei peperit nomine Stephanũ. Rursus concepto fœtu aliũ ei peperit nomine

nomine Constantinum. Quos omnes Imperatores constituens, contra ius fasq; & secum Christophorum primogenitū domino suo Imperatori Constantino porphyrogenito præposuit: adeo plane ut procedentes ad publicū ad sanctam Sophiā scilicet, uel ad ἐλαχόρνας, seu ad sanctos apostolos, Romanus cum Christophoro primogenito præcederēt: Constantinus porphyrogenitus, & duo cæteri sequerentur. Quod quàm indigne iustus iudex pertulerit, ultio subsequens declarauit. Nam post modicum Christophorus defunctus est. Constantinus itaq; Porphyrogenitus tum orationi tum lectionibus uacans, totum se domino cōmendabat, opere manuum uictum quæritans, sanè τῶν ζωγραφίαν, id est, picturam perpulchre exercebat. Eodem tempore Simeon cum Bulgaris Argos cœpit uehementer affligere. Quem Romanus filij sui Christophori filia filio illius Petro qui nunc usq; superest, uxore data, ab incœpto furore compescuit, sibiq; fœdere placido sociauit. Vnde & puella mutato nomine εἰρήνη Irene, id est, pax est uocata, eo quod per eam inter Bulgaros & Græcos pax sit firmissima constituta.

Constantini studia

De Vualberto & Gezone Papiensibus, qui seditionē contra Hugonem regem concitauerunt, & de Hugonis concione. Caput. X.

HIs temporibus Vualbertus & Gezo, prænomine Euerhardus, Papiæ præpotentes iudices erant. Causa autem potentiæ Vualberti hæc erat. Quoniam Cumis ditissimo in loco filium suum Petrum episcopum fecit: Razam uero natā suam Gileberto comiti palatij coniugio sociauerat. Ea tamen tempestate uterq; defunctus erat. Ticinensis itaq; qui & Papiensis populus omnis ad hunc conuenerat, causasq; omnes & controuersias ante eum decidebat. Participatione deniq; huius potentiæ memoratus Gezo prænomine Euerhardus quoniam affinitate quadam ei iungebatur, præpotēs habebat: qui nobilitatem suam prauis moribus deturpabat. Fuit enim ambitiosus nimis, cupidus, inuidus, seditiosus, iuris corruptor, præceptorum dei immemor. Quod deus nō passus est abire inultum. Et ne diutius protraham sermonē, Catilinæ omnino similis, qui sicut consulem & Reipub. defensorem Marcum Tullium Ciceronem conabatur occidere, ita & hic regem Hugonem morti molitus est tradere. Quadam enim die dum nihil mali suspicans rex Hugo, Papiæ cum paucis degeret: hic seditione facta, uoluit super eum irruere: sed Vualberto (qui nō tam ferocis animi erat) remorante tardatus est. Nec minus etiam eos rex Hugo suis rhetoricis ac melle dulcioribus eloquijs ab incœpto furore compescuit. Dum enim seditionē super se exortam, atq; in domū Vualberti cōgregatam esse cognosceret, huiusmodi omnes per internuncios sermone conuenit. Quid est uiri fortes, quod tam subito, tamq; insperate contra dominum, imò & regem uestrum cōmoti estis? Si quippiam quod displiceat actum est, consolidetur. Neq; enim sera emendatio reprehendi potest, præsertim si nulla negligentia prætermissa est. His auditis cuncti animi furorem

Gezonis uitia

Hugonis ad seditiosos concio

rorem mitigarunt. Solus Gezo in qua prius fuerat proteruia manens operā dabat, ut omnes super regem irruerent, eumq́ turpissima morte trucidarēt. Verum disponente deo, affectus eius prauus effectū habere nō potuit. Reuersi igitur ad regem nuncij, prout uiderant & audierant, enarrauerunt.

De Vualberti & Gezonis captorum supplicijs, prudentia Hugonis, & uirtute Samsonis, & fabula Tiresiæ, quur cæci uitales sint, & de Hilduini & Ratherij episcoporum ambitione. Caput XI.

VErum rex Hugo hæc omnia quasi pro nihilo mente subdola ducēs, Papia egressus, longe aliò properare festinat, missisq́ circumcirca literis, milites suos ad se uenire præcepit. Quos inter Samson præpotēs comes aduenerat, qui iam dicto Gezoni inimicissimus erat. Is deniq; ut regem uidit, ita eum conuenit. Solicitum te equidē de urbanis rebus cōtra te tumultuose & moleste his diebus actis intueor. Verum si me audis, mihiq́ obtemperas, suis ipsi capientur laqueis. Alteri enim qui melius cōsilium dare possit quàm ego, non facile potest inueniri: tibi certe nemo melius dabit. Vnum tamen peto, ut dum capti fuerint mea opera, Gezo cum omni sua ὑπόστασι, id est, substantia, meis tradaſ in manibus. Quem dum dari sibi à rege audiuit, adiecit, Leo Ticinensis episcopus ciuitatis Vualberto & Gezoni non habetur amicus. Hi sanè quibuscunq; possunt ei modis aduersantur. Scitis deniq; moris esse, regi ab alijs locis Papiam tendenti ciues fortiores extra urbem occurrere. Mandate itaque clàm episcopo, ut dum statuto tempore Papiam ueneritis, & ipsi nobis extra urbem obuiam uenerint, portas ciuitatis omnes serari faciat, clauesq́ sibi ipse retineat, ut dum capere eos cœperimus, nec in urbem confugere, nec ab urbe auxilium possint expectare. Quod & factū est. Nam dum statuto tempore rex Papiam tenderet, & memorati ei obuiam exirent, episcopus libenter ut ei imperatum fuerat fecit. Rex itaque omnes capere, ut Samson consilium dederat fecit. Confestim igitur Gezo Samsoni traditus, utroq; lumine priuatur, & lingua quæ in regem blasphemiam dixerat, ei abscinditur. O factum bene, si sicut cęcus, ita & mutus cunctis extitisset temporibus. Sed ô scelus. Quoniā lingua abscissa loquelam nō perdidit, secundum Græcorum fabulas oculorum priuatione uitam sibi protelauit, quæ multis ad perniciem usq; in præsentem diem esse non desinit. Fabulam uero quur cęci plurimum uiuant, secundum Græcorum ineptiam his inseramus, quæ talis est, ζεὺς καὶ ἥρα &c. hæc est interpretatio, Iupiter & Iuno cōtenderunt de amoribus, uter plures libidines haberet in coitu. Et tunc Tiresian Euri filium quæsierūt. Ille enim in utrasq; naturas transmutatus erat, quia draconē calcauerat. Hic ergo contra Iunonem pronunciauit. Iuno irata cæcauit eum. Iupiter autem donauit ei multos uiuere annos, & quæcunq; diceret, diuinando dicere. Sed redeamus ad rem. Gezone, ut prædiximus, membris defœdato, substantia illius diripitur. Cæteri complures custodiæ mancipantur. Vual-

Samsonis oratio

Gezonis supplicium

Tiresiæ fabula

Vualberti supplicium bertus postridie capite truncatur, thesaurus cuius infinitus diripit. Vxor eius capitur, & ut thesauros occultos tradat, diuersis cruciatibus laniatur. Creuit extunc nō solum Papiæ, sed & per omnes Italiæ fines regis timor. Neq; hūc ut reges cæteros flocci pendere, uerum modis omnibus honorauere. Eodem Hilduini exilium tempore Hilduinus Laudociensis ecclesiæ episcopus propria sede expulsus, ad Hugonem regem, cui affinitatis linea iungebatur, in Italiā uenit. Qui honorifice ab eo susceptus, Veronensem ei episcopatum ad stipendij concessit usum. Factum est autem, ut post paululum Lambertus archiepiscopus moreretur, & hic loco eius Mediolani episcopus ordinaretur. Venerat autē cum Ratherius præfato Hilduino monachus quidam Ratherius nomine, qui ob religionem septemq; liberalium artium peritiam Veronæ episcopus constituitur: ubi & Milo, de quo supra commemorauimus, comes habebatur.

Qualiter Ioannes papa sit captus, custodiæq; in qua moriturus erat traditus. Qua munitione urbs Roma munitur: & quomodo Hugo per Albericū urbe sit eiectus, quod diuinæ dispositioni ascribendum censet, ob peccatum Hugonis regis. Caput XII.

VVido interea Thusciæ prouinciæ marchio cum Marozia uxore de Ioannis papæ deiectione cœpit uehementer tractare, atque hoc propter inuidiam quam in Petrum fratrem papæ habebāt. Quoniam quidem illum papa quasi fratrem proprium honorabat. Contigit itaque Petro Romæ degente, Vuidonem clàm multos habuisse milites congregatos. Quumq; die quadam papa cum fratre, paucisq; alijs in Lateranensi palatio esset, Vuidonis & Maroziæ milites super eos irruētes, Petrum fratrem ipsius ante oculos interfecerūt, eundem uero papam comprehendentes, custodiæ mancipasūt, in qua nō multo post defunctus. Aiunt enim quod ceruical super os eius posuerint, sicq; eum pessime suffocarint. Quo mortuo, ipsum Maroziæ filium Ioannes nothus fit papa nomine Ioannem, quem ex Sergio papa meretrix ipsa genuerat, papam constituunt. Vuido uero non multo post moritur, fraterq; eius Lambertus ipsi uicarius ordinatur. Marozia uero scortum impudens nimis, suos nuncios post Vuidonis mariti sui mortem Hugoni regi dirigit, eumq; inuitat ut se adeat, Romamq; nobilissimam ciuitatem sibi assumat. Hoc autem nō aliter posse fieri testabatur, nisi eam sibi rex Hugo uxorem faceret.

In Maroziæ libidinē

Quid Veneris facibus compulsa Marozia sæuis?
Coniugis ecce tui spectas tu suauia fratris.
Nubere germanis satagens Herodia binis,
Immemor aspiceris præcepti cæca Ioannis,
Qui fratri uetuit, fratris uiolare maritam.
Hæc tibi Moyseos non præstant carmina uatis,
Qui fratri sobolem fratris de nomine iussit
Edere, si primus nequeat sibi gignere natum.

Nostra

Noſtra tuo peperiſſe uiro te ſecula norunt.
Reſpondes ſcio tu, nihil hoc uenus ebria curat.
Aduenit optatus ceu bos tibi ductus ad aram
Rex Hugo Romanam potius commotus ob urbem.
Quid iuuat ô ſcelerata uirum ſic perdere ſanctum?
Crimine dum tanto ſatagis regina uideri,
Amittis magnam domino tu iudice Romam.

Quod recte eſſe actum non ſolum ſenſata, uerumetiã inſenſata animaduertunt. In ingreſſu Romanæ urbis quædam eſt miri operis, miræq́ fortitudinis conſtituta munitio, ante cuius ianuã pons eſt precioſiſſimus ſuper Tyberim fabricatus, qui primus Romam ingredientibus atq; egrediẽtibus eſt: nec eſt alia niſi per eum tranſeundi uia. Hoc tamen niſi conſenſu munitionẽ cuſtodientium fieri nõ poteſt. Munitio autem ipſa, ut cætera deſinam, tantæ altitudinis eſt, ut eccleſia quæ in eius uertice uidetur, in honore ſummi & cœleſtis militiæ principis archangeli Michaëlis fabricata, dicatur eccleſia ſancti angeli uſq; ad cœlos. Rex deniq; ob munitionis confidentiam relicto longe exercitu, cum paucis Romam aduenit. Qui decenter à Romanis ſuſceptus, in prædictam munitionem ad prædictæ Maroziæ meretricis thalamum declinauit. Cuius inceſto dum potitus eſſet concubitu, Romanos quaſi iam ſecurus deſpicere cœpit. Habuerat ſanè Marozia filium nomine Albericũ, quem ex Alberico marchione ipſa genuerat. Qui dũ matris hortatu regi Hugoni uitrico ſcilicet aquam funderet, ubi manus ablueret, ab eo pro correctione in faciem cæſus eſt, eo quod non moderate & prudenter aquam effunderet. Is uero, ut illatam ſibi poſſet ulciſci iniuriam, cõgregatis in unum Romanis, huiuſmodi eos ſermone conuenit, Romanæ urbis dignitas ad tantam eſt ſtultitiam ducta, ut meretricũ etiam imperio pareat. Quid enim fœdius, quid'ue turpius, quàm ut unius mulieris inceſtu Romana ciuitas pereat? Romanorũ aliquando ſerui ſcilicet Burgundiones, Romanis imperent? Si meã priuigni ſcilicet ſui faciem cecidit, quum pręſertim nouus habeatur hoſpes, quid uobis iam inueteratum facturum creditis? An Burgundionũ uoracitatem atq; ſuperbiam ignoratis? Ipſam enim nominis ſaltem ethymologiam diſpicite: Burgundiones ideo dictos, quoniam dum Romani orbe deuicto ex gente hac captiuos ducerent multos, conſtituerũt eis ut extra urbem domos ſuſtollerent, à quibus & paulo poſt à Romanis ob ſuperbiam expulſi: & quoniam ipſi domorum congregationem quæ muro non clauditur, Burgum uocant, Burgundiones quod eſt à Burgo expulſi à Romanis appellati ſunt. Cæterũ ſecundum naturale nomen Galli Allobroges nuncupantur. Ego autẽ πρὸς φρόνησιμ, id eſt, per ſapientiã Burgundiones eos quaſi gurguliones appello, uel quod ob ſuperbiam toto gutture loquãtur, uel quod uerius eſt, quod edacitati quæ per gulam exercetur, nimis indulgeant. Nec mora, his auditis, Hu

Hugonis uecordia

Alberici in Hugonem concio

Burgũdiones unde dicti

Allobroges

gonem regem cuncti deserunt, atq; eundem Albericũ sibi dominum eligũt, & ne spatium quidem milites introducendi suis rex Hugo haberet, munitionem confestim oppugnant. Liquet diuinæ dispensationis esse hoc consilium, ut quod rex Hugo tam nephario turpiter cœperat scelere, id eum omni modo obtinere non posse. Tanto quippe est terrore coactus, ut præsertim se ipsum ea ex parte qua ciuitatis muro munitio inhærebat, deponens eam desereret atq; ad suos confugeret. Expulsus igitur est rex Hugo, & cum præfata Marozia Romanæ urbis monarchiam Albericus tenuit, Fratre Ioanne suo summi atq; uniuersalis præsulatus sedi præsidente.

Hugonis fuga

Qualiter & quur Hugo rex Lambertum fratrem suum ceperit, & consilio Bosonis eum excæcauerit. Et quod rex Hugo iusiurandum à Rodulfo rege acceperit, & Henricum regem sibi amicum muneribus effecerit. Et de Danorum subiectione. Caput XIII.

Bertæ liberi suppositítij

AIunt Bertam Hugonis regis matrẽ Adelberto marchioni uiro suo nullum filium peperisse, sed ab alijs mulieribus clàm acceptos simulato partu Vuidonem & Lambertũ sibi supposuisse, quatenus post mortẽ Adelberti, Bertæ non deessent filij, quorum adiutorio omnem uiri sui potentiam possideret. Hoc autem mendacium mihi ideo uidetur esse inuentum, quatenus incestum suum rex Hugo tegeret, & infamiæ ὕβριν, id est, contumeliam & uituperium euaderet. Ea tamen quæ nunc narranda est, quur hoc dictum sit, uerisimilior mihi uidet assertio. Lambertus qui post Vuidonis fratris sui mortem Thusciæ marchiam tenebat, uir erat bellicosus, & ad quodlibet facinus audax. Quem ob regnum Italicum rex Hugo suspectũ nimis habebat. Timebat enim ne Italienses se desererent, & Lambertũ regem constituerent. Boso denicq; ex eodem patre regis Hugonis frater, insidiarum huic laqueos parauerat, eo quod ipse marchio Thusciæ fieri uehementer ardebat. Cõsilio igitur huius Lamberto rex Hugo cõminando denunciat, ne se fratrem suum amplius dicere audeat. Is uero, ut erat animi ferocis atq; indisciplinati, nõ moderate, ut debuit, sed effrenate ita respondit, Ne inficiari rex possit me fratrẽ suum esse, nos uno ex corpore eundem per aditum in lucem prodisse, duello cupio cunctis cernẽtibus comprobare. Quod rex ut audiuit, iuuenem quendam Teduinum nomine elegit, qui cum eo hanc ob rem pugnam singularẽ commisit. Deus autem qui iustus est, & rectum est iudicium eius, in quo non est iniquitas, ut amphibologiam dirumperet, ac ueritatẽ cunctis ostenderet, fecit ut Teduinus citissime caderet, & Lambertus uictoriã obtineret. Quamobrem rex Hugo non mediocriter est confusus. Consilio autem accepto, eundem Lambertum tenuit, & custodiæ tradidit. Timuit enim, ne si illum dimitteret, regnum sibi auferret. Hoc igitur capto, Bosoni fratri suo Thusciam contradidit. Et non multo post Lambertum lumine priuauit. His temporibus Italienses in Burgundiam ad Rodulfum mittunt, ut adueniat. Quod Hugo rex ut

Bosonis malicia

Monomachia

Lambertus excæcatur

rex ūt cognouit,nūncijs ad eundem directis,omnem terram,quam in Gallia ante regni susceptionem tenuit,Rodulfo dedit: atque ab eo iusiurandum,ne aliquando in Italiam ueniret, accepit.Nec minus etiam Henricum,quem supra memorauimus, regem fortissimum multis collatis muneribus amicum sibi effecerat: cuius ex hoc apud Italos nomen maxime tunc clarebat, quod Danos nulli ante subiectos, solus ipse debellaret,ac tributarios faceret. Est enim gens indomita,sub Septentrione iu oceano degens,cuius sęuitiam multarum sæpe gentium nobilitas luxit. Hi aliquando classibus per Rheni fluminis alueum conscendentes,ferro & igne cuncta misere laniarunt. Ipsas insuper nobilissimas ciuitates Agrippinam,quæ nunc Colonia uocatur,atque Treueros non longe à Rheno positas, nonnullasq; alias in regno Lotharij debellantes ui ceperunt,cunctisq; ablatis,ea quę secum deferre nō poterant, combusserunt. Thermas etiam Grani palatij atq; palatia combusserūt. Verum his omissis,ad narrandi seriem redeamus. *Dani deuicti* *Aquasgrani, nunc*

De Arnoldo duce Baioariorum in Italiam irrumpente,& Hugone illi occurrente,& Baioariorū strage,& Arnoldi fuga. Et de Verona Hugoni restituta.Et de Ratherio capto, & opere quod ipse in carcere de se composuit. Caput XIIII.

ARnoldus Baioariorum & Carentanorum dux, cuius superius fecimus mentionem,quum non multum ab Italia longe distaret, collectis copijs quatenus Hugoni regnum auferret, aduenit. Qui Tridentinam ea ex parte primam Italiæ marchiam pertransiens, Veronam usque peruenit. In qua à Milone comite atque Ratherio episcopo libenter,ut qui eū inuitarant, suscipitur.Quod rex Hugo ut audiuit,collecto exercitu,ei obuiam tendit. *Arnoldi in Italiā irruptio*

Quumq; eódem peruenisset, &ᵀcaballicatas,ut uulgo aiunt,circumcirca dirigeret,Baioariorum quædam pars non minima de castro uocabulo Gauseningo egrediens,cum Italiensibus pugnare cœpit.A quibus grauiter confossa,uix ex ea uel qui hoc cęteris nunciaret,euasit.Qua ex re Arnoldus dux nō parua est confusione repletus. Vnde factum est, ut consilio accepto, Milonem comitem uellet capere: atque Italia derelicta, fecit illum in Baioariam ducere,quatenus reparato exercitu,cum eo iterum redire posset, quod Milonem non latuit. Qui diuersis cogitationibus æstuans,quid ageret penitus ignorabat. Hugonem regem plane ut meruerat adire timebat: cum Arnoldo uero in Baioariam duci,non solum mortem, sed infernum putabat. Hac itaque in ambiguitate quoniam regem Hugonem cito misericordia nouerat inclinari,Arnoldum fugere, & ad eum deliberat tendere. Arnoldus uero quo citius potuit,in Baioariam est regressus. Munitionem autem quæ in eadem ciuitate erat prius oppugnans,fratrem Milonis, militesq; eius,qui eam defendere conabantur,secum in Baioariam duxit. Quo discedente Hugoni *id est,equitatus*

Ratherij exilium regi mox ciuitas redditur, & Ratherius eiusdem ciuitatis episcopus ab eo captus, Papiæ exilio relegatur. In quo faceta satis urbanitate de exilij sui ærumna librum componere cœpit. Quem si quis legerit, nonnullas ibi hac sub occasione res expolitas inueniet, quæ legentium intellectui non minus placere possunt quàm prodesse.

LIVTHPRANDI TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE, LIBER QVARTVS.

Pro procemio quarti libri dicit se deinceps quæ uidit scripturũ, quomodo uidelicet Hugo Lotharium filium suum regem constituit, & Romam cum exercitu perrexit, ubi Aldam filiam suam Alberico per dolum despondet, uoto tamen non potitur. Caput I.



HACTENVS quæ dicta sunt sacerdos sanctissime, sicut à grauissimis, qui ea creuerant uiris audiui, exposui: cæterum quæ narranda sunt, ut qui interfuerim, explicabo. Ea siquidem tempestate tantus eram, qui regis Hugonis gratiam uocis mihi dulcedine acquirebam. Is enim εὐφωνίαν magnopere diligebat, in qua me coæqualium puerorũ nemo uincere poterat. Igitur rex Hugo dum prospere sibi cuncta prospiceret, filiũ suum Lothariũ, quem ex Alda uxore sua genuerat, cunctis conniuentibus, post se regem posuit. Quo constituto, qualiter Romam, ex qua eiectus turpiter fuerat, posset acquirere cogitabat. Collecta itaq; multitudine, proficiscitur Romam. Cuius quanquã loca & prouincias circumcirca misere deuastaret, eamq; ipsam quotidiano impetu impugnaret, ingrediendi eam tamen effectum obtinere non potuit. Sperans deniq; calliditate sua Albericum posse decipere, ei denunciat, ut filiam suam Aldam Lotharij regis nati sui germanam sibi coniugio tollat, sicq; pace habita, ut suus ipsius filius securus permaneat. Albericus igitur, ut uir haud fatuus, filiã ipsius sibi coniugio iunxit. Romam autem, quam nimis ardebat nõ tradidit, seq; ei minime credidit. Verè tamen Albericum rex Hugo inescasset & cepisset, nisi illius hoc cauisset astutia militum, qui aliquando pacem cum ipso habere non cupiebant. Si quem enim rex suorum uellet corripere, ad Albericũ mox studuit fugere, à quo ob regis metum gratanter susceptus Romæ uixerat honoratus.

Lotharij inauguratio

Alda

De Saracenis, qui Fraxineto relicto, Aquas uenerunt, ubi cõmissa pugna, omnes perierunt. Et de prodigioso sanguinis fluxu apud Genuam, quæ eodem anno ab Aphris capta est. Cap. II.

DVm hæc aguntur, Fraxinetum Saraceni inhabitantes, collecta multitudine, Aquas (qui est locus quinquaginta miliarijs à Papia distans) usq; peruene-

peruenerant. Horum πρόβωλος, id est, prædux Sagitus Saracenus pessimus, impiusque extiterat. Deo tamen propitio pugna commissa, ταλαίπωρος, id est, miser cum omnibus suis interijt. Per idem tempus in Ianuensi urbe, quæ est in alpibus Coccijs octingentis stadijs à Papia distans, supra Aphricanum mare constituta, fons sanguinis largissime fluxit, subsequuturã cunctis patenter ruinam insinuans. Eo quippe anno Pœni cum multitudine classium illò perueniunt, ciuibusque ignorantibus, ciuitatem ingrediuntur: cunctos, pueris exceptis & mulieribus, trucidantes: cunctosque ciuitatis & ecclesiarum dei thesauros nauibus imponentes, in Aphricam sunt reuersi.

Genua

Prodigium futuræ cladis

De Manassis Arelatensis episcopi cauillo, & friuola ratione, qua se ad exemplũ diui Petri episcopatus sedem mutasse dictitabat. Et de arguta Liuthprandi in eum responsione. Caput III.

HOc in tempore Manasses Arelatensis ciuitatis episcopus, agnita regis Hugonis potentia, à cuius ipse sanguine affinitatis lineam traxerat, deserta commissa sibi ecclesia ambitionis spiritu, multas uiolaturus, imò laceraturus ecclesias Italiam petijt. Hugo autem rex se regnũ securius obtinere sperans, si affinitate sibi coniunctis regni officia largiretur, contra ius fasque Veronensem, Tridentinam, Mantuanam, cõmendauit illi, seu quod uerius est, in escam dedit ecclesias. Ac ne his quidem contentus, Tridentinam adeptus est marchiam: quo honore impellente, quum miles esse inciperet, episcopus esse desinit. Libet autem pater ἅγιε, id est, sancte, aliquantulum immorarier, suaque ipsius ipsum sentẽtia quur hoc ageret, deo largiente, propria iugulare. Beatus, inquit, Petrus, Antiochena dimissa ecclesia, ad Romanã urbem, quæ potentiæ magnitudine cunctis tunc nationibus imperabat, postmodũ transuolauit: ubi quum disponente deo sanctam toto orbe uenerandam fundaret ecclesiam: discipulo suo beato euangelistæ Marco pristinam Antiochenam simul cõmendauit: ita tamen ut Aquileiensem & ipse primo instituerent, atque Alexandrinam concite peteret. Quod ita factum esse neminem eorum, qui actus apostolicos legerit, nescire cognouimus. Sed ut nobis respondẽtibus ô Manasses, uera te super his nõ sentire cognoscas, ex nominis tui etymologia parentes tuos uidentes fuisse intelligis. Manasses quippe obliuiosus seu obliuio domini interpretatur. Quid enim uerius aut apertius parẽtes tui hoc nomine uaticinari potuerunt? Ita inquam es oblitus tui, ut nec hominem quidẽ te esse reminiscare. Diabolus quippe scripturas nouit: & tamen ut peruersus est, peruerse eas interpretatur: & quum his utitur, ad perniciem, nõ ad salutẽ utitur. Scis'ne hunc quũ tentationum iaculis dominum & redemptorem nostrum Iesum Christũ ausu nephario sauciare conaretur, his propheticis male usum uerbis? Quoniã angelis suis mandauit de te, ut in manibus tollãt te, ne unquam offendas ad lapidẽ pedem tuum. Hoc sane ita esse scriptum, ac de

Manassis ambitio

Manasses quid

de eo dictum,nullus fidelium ambigit. Sed quàm fraudulenter uera hæc Leuiathan ille proferat:ipsius,qui non solum mortalium, sed & angelorum sensus exuperat,responsione animaduertere poteris: Non tentabis, inquit, dominum deum tuum. Vides igitur quod & tu ueris quidem,sed fraudulentis assertionibus uteris, quemadmodũ & apostata Iulianus respondisse dicitur Christianis,quos auiditate rapinę censu proprio defraudauit:Nolite,inquit magister uester,possidere aurum neq; argentũ. Et illud, Facilius est introire camelum per foramen acus,quàm diuitẽ intrare in regnum cœlorum. Et itẽ, Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Cedò igitur,quid peruersius ille, quid'ue fœtidius te dixisse credendum est? Quod enim Petrus ad iusticiam,tu transfers ad culpã. Credo enim te actus apostolorũ nõ intellexisse,aut quod credibilius est, minime legisse. Ibi planè sic scriptum reperies:quoniã fideles uendebant prædia sua,& ponebant precium ante pedes apostolorũ,quibus erãt omnia cõmunia,nec quisq; aliquid suum esse dicebat:diuidebatur autem singulis prout cuiq; opus erat. Si igit quod in humano censu est preciosius,tibiq; anima tua charius, Petrus aurũ, quasi quiddam pestiferum,tangere noluit,qua ratione eum Antiochena deserta:ad Romanam asseris ecclesiam transuolasse? Si latras illum, quod omnino falsum est, quæsiuisse censum: ego animarũ lucrum & gloriosum comprobo martyriũ. Prædictũ quippe ipsi à magistro,imò creatore & redẽptore omniũ fuerat: Quoniã quum esses iunior,cingebas te,& ambulabas ubi uolebas:quũ autẽ senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis. Hoc autem dixit,significans qua morte clarificaturus esset deum. Deniq; & alio in loco post resurrectionem Petro se quò iret interroganti, respondisse dominus dicitur: Romã, iterum crucifigi. Venit igitur Romam Petrus,non ambitione inflammatus, sed martyrio animatus,non quærens aurum,sed animarum lucrum. O felicem,imò beatum,si talem te tua conscientia testaretur. Nec inficiari quidem potes te Veronensem episcopatum uendidisse, quod Petro non cuilibet,sed apostolo illi nunquam didicimus contigisse. Quare non solum spirituali, uerumetiã corporali honore sensus alienatione te priuatum esse cognouimus. Hæc autem interim dicta ad propositũ redeundo sufficiant,quoad largiente deo latius differere suis in locis qualiter Mediolanensem usurpaueris cathedram ueniamus.

Iuliani cauillum

De Berengario, & eius uxore, & fratre Anscario. Et de Theobaldo marchione,qui Græcos à se in prælio captos castrauit. Et de muliere,quæ festiuo commento marito uirilia seruauit. Caput IIII.

EO tempore Berengarius ille, cuius tyrannidem nunc luget tota Italia, Eporegiæ ciuitatis marchio habebatur. Cui rex Hugo neptem suam nomine Vuillam, quam ex Vuilla uxore sua Boso Thusciæ prouinciæ marchio regis frater genuerat, coniugem dedit. Anscarius uero Berengarij frater.

frater, quem ex Adelberto Ermegarda regis Hugonis genuit soror, uirium audacia, potentiaq; clarebat. Theobaldus etiam heros quidam proxima regi Hugoni affinitate cōiunctus, Camerinorum & Spoletinorum marchio erat. Hic in auxiliū Beneuentani principis contra Græcos qui eum uehementer oppresserant, abijt. Quibus quū bellum inferret, uictoria est potitus. Contigit deniq; multos Græcorum iam non arua, sed castra obtinentium hunc cepisse. Quibus dum uirilia amputaret, talia στρατηγῷ, id est, qui eis præerat, nunciauit. Quoniāquidē uiro sancto Imperatori spadonibus nil preciosius esse cognoui, hos studui paruulos sibi uerecunde transmittere: plures quamprimum, deo propitio, transmissurus. Ludibrium autem, imò sapientiam, quam quædā tunc mulier gessit, his inseramus. Dum enim quadam die Græci cum ipsius terræ hominibus extra castrum quoddā ad pugnam aduersus Theobaldum memoratum exirent, nōnulli ab eodem sunt capti. Quos quū eunuchizaret, eosq; in castellum dirigeret, mulier quædam mariti succensa amore, eius pro membris nō parum solicita, sparsis crinibus de castello exijt furibunda. Quæ, quum cruentis unguibus ora discerperet, atque ante Theobaldi tentorium clamosis uocibus fleret: Quid causæ est, inquit, mulier, quod tam sonoris uocibus quereris? Quæ, quia stulticiam simulare loco, prudentia summa est, ita respondit, Nouum inauditumq; facinus est heroës, ut bellum non repugnantibus mulieribus inferatis, nostrarum nulla ex Amazonū sanguine prosapiam ducit: Mineruæ quippe solum operibus deditæ, armorū penitus sumus ignaræ. Cui quum Theobaldus diceret, Quis unquam sani capitis heros præter q̄ Amazonū temporibus, bellum mulieribus intulit? Ea respondit, Quod cedò crudelius mulieribus bellum inferre, quid'ue incommodius his potestis auferre, quàm ut ea uiris certetis ὀρχίδια, id est, testiculos amputare, in quibus nostri corporis refocillatio, & quod omnium potissimū est, nasciturae spes extat prolis? Dum enim eos eunuchizatis, non quod illorum, sed quod nostrum est tollitis. Nunquam armentorum seu ouium copia, quam mihi ante hos dies abstulistis, uestra me castra adire coëgit. Animalium quæ mihi fecistis dispendia laudo, iacturam hanc tantam, tam crudelem, tam irrecuperabilem, modis omnibus horreo, fugio, nolo. Sancti dei omnes talem à me auertite pestem. His auditis, nimio sunt omnes cachinno commoti, totiusq; in eam populi fauor excreuit, ut non solum uirum suū integrum, uerumetiam cuncta quæ sibi animalia ablata fuerant, recipere mereretur. Quæ quum his receptis abiret, directo Theobaldus post eam nuncio, interrogauit, quid uiro suo auferret, si ad pugnam amplius contra se de castello exiret. Oculi, inquit, sunt illi, nares, manus & pedes. Si hoc egerit, illi quę illius sunt auferat: quæ mea sunt, suæ ancillulæ derelinquat. Verum quia fauorem populi prima sibi loquutione adesse per risum & mariti donum intellexit, hæc postmodum per directum nuncium remandauit.

Anscarius

Theobaldi in Græcos sæuitia

Muliebre stratagema

Scite

De Bosonis qui consilio uxoris perfidus extiterat, ab Hugone captiuitate, & uxoris eius Vuillæ ab Italia eiectione. Et de balteo precioso impudenter à seruo in loco pudendo comperto. Caput V.

Boso Hugoni fratri rebellis capitur

PEr idē tempus regis Hugonis frater Boso Vuilla uxore sua cupidissima stimulante aduersus regem noua quædā & peruersa molitus est agere. Quod Hugonem minime latuit. Qua ex re captus, custodiæ est continuo traditus. Causa deiectionis eius hæc fuit. Dū Lamberto, quē supra memorauimus, lumine priuato, idem Boso marchiam Thusciæ obtineret, coniunx eius Vuilla φιλαργυρία, id est, amore pecuniæ cœpit flagrare: adeò, ut totius Thusciæ prouinciæ nulla nobilium matronarum, quanti uis se precij ornamentis excoleret. Hæc quum prolem uirilem nō haberet, quatuor habuerat natas, Vuillam, Bertam, Gislam, Richildam. Harū Vuilla Berengarij huius, qui nunc superest, uere marita, hoc effecit ne genitrix sua omnium mulierum esset nequissima. Vt autē non per longas ambages eius acta ponamus, uno turpissimo descripto, quæ & quanta fuerit in cæteris animaduertere poteris.

Vuillæ auaritia

Balteus Bosonis

Vir eius Boso miræ longitudinis & latitudinis, aureū habebat balteum, qui multarū & preciosarum splendebat nitore gemmarū. Hunc quū Boso caperetur, super omnes gazas eius diligenter rex iussit inquiri: sumptisq; diuitijs, uxorem eius quasi prophanam, & sceleris totius auctricem turpiter de regno Italico præcepit expelli, atq; in Burgundiam, de qua oriunda fuerat, duci. Verum quū diligenter omnia perscrutati, balteum non reperirent, cætera nuncij reportantes, ad Hugonē sunt reuersi. Tum rex, Reuertētes, inquit, phalerarū eius omnem apparatū, puluinar etiam, quod equitando premit, euertite. Et si nec ibi quidē balteum poteritis reperire, uestimentis omnibus eam exuite, ne alicubi super se possit occulere: noui enim q̄ callida, quàmq; sit cupida. Igitur illis redeuntibus, regisq; iussioni parētibus, quum requisitis omnibus, nil inuenissent, uestimentis eam omnibus nudauerūt. Hoc deniq; tam turpe facinus atq; inauditum, quū auertentibus oculis proborū nemo conspiceret, seruorū quidam directo obtutu, purpuream secus natium speroidem, id est, curuaturā uidit dependere corrigiam, quam impudenter arripiens, fœditerq; trahens è secretiori parte corporis, eam sequutus balteus est egressus. Seruus itaq; idem nō solū inuerecundus, sed eo ipso facinore turpi hilarior redditus: ha ha he ait, q̄ peritus obstetricandi miles. Rufus puer est natus heræ, quæso ut sit superstes. O me fortunatū, imò omnibus feliciorē, si tales saltem duos uxor mea mihi pareret natos, hos Cōstantinopolim dirigerē nuncios: quoniamquidem ut institoribus narrātibus agnoui, huiusmodi libenter Imperator suscipit. Talibus præterea Vuilla confusa sermonibus, lachrymis effusis, latentem sub corde cunctis aperit dolorem. Seruus autem, ut seruorum proprium est, eius deiectione nō solum non inclinatus, uerumetiā animatus, hæc ad exaggerandum doloris uulnus adiecit.

Scurriliter

Vuilla

Vuilla quid insanis? aurum quur condere cæcis
Incipis in membris? proh non audita cupido,
Allecta à furijs, gemmas in corpore condis?
Matribus insolitum tales producere partus,
Hinc tibi nulla decem tulerant fastidia menses.
Alma parens tales nobis haud desine fœtus
Ædere, qui nati superent te ætate parentem.
Talia cunctanti collum percusserat unus
Impiger, ac uerbis illum culparat amaris.

His ita peractis, balteus regi adducitur, eaq; in Burgundiam destinatur. Veruntamen quæ abscondit, an qui eum inquirere iussit, fœdius egerit, mihi quidem uidetur amphibolum. Liquet tamen, quod uterq; auri gemmarũq; nimia sit cupidine animatus.

De morte Rodulfi regis Burgundionum, cuius uxorem rex Hugo duxit: & filiam filio suo tradidit. Et quomodo ob pellices uxoris uxorem suam despexerit. Cap. VI.

BVrgundionũ præterea rex Rodulfus mortẽ obijt, cuius uiduã nomine Bertam rex Hugo, Alda Lotharij regis filij sui matre defuncta, maritali sibi coniugio sociarat. Sed & filio suo regi Lothario Rodulfi & ipsius Bertæ natam nomine Adelheidã, tum forma honestissimã, tum morũ probitate gratiosam coniugẽ tulit. Quod Græcis omnibus nõ uidetur idoneũ, scilicet, ut si pater matrẽ, quũ sint duo unũ, uxorẽ accipiat: filius filiam non sine reatu ualeat sibi coniugio sociare. Hugo deniq; multarũ concubinarum deceptus illecebris, præfatã coniugẽ suam Bertam maritali non solũ non cœpit amore diligere, uerum modis omnibus exectari. Quod q; deus iuste punierit, suis in locis ponere nõ pigebit. Verũ quũ nõnullæ essent cõcubinæ, in tres supra cæteras turpissimo ardebat amore, Bezolam uilissimorũ Sueuorum sanguine cretã, ex qua & natum genuit nomine Bosonẽ. Quẽ in Placentina post Vuidonis obitum episcopũ ordinauit ecclesia. Rozã deinde Vualberti superius memorati filiam decollati, quæ ei miræ pulchritudinis peperit natam. Tertiã Stephaniam genere Romanam, quæ ei filium peperit nomine Theobaldũ, quem postmodum in ecclesia Mediolanensi arhidiaconum ea ratione constituit, ut defuncto archiepiscopo, eius ipse uicarius poneretur. Quid aũt fuerit, quod effectũ deus habere hæc non siuerit, uita comite, scribẽdus ordo nũ dabit. Sed & has tres ob turpis impudicitiæ facinus, dearum nominibus, Bezolam uidelicet Venerẽ: Rozam Iunonẽ, ob simultatem & odiũ perpetuũ: quandoquidem ea secundum pulchritudinẽ carnis, hæc speciosior uidebat. Stephanam uero Semelen appellabat. Et quoniam non rex solus his abutebatur, earum nati ex incertis patribus originem ducunt.

Concubinæ Hugonis

De morte

De morte Henrici regis,& ubi sit sepultus,& de prudentia eius,qui filium suum Othonem regem constituit,qui Otho ante regni susceptionem sororẽ regis Anglorum duxerat. Caput VII.

Henrici mors EO in tempore rex Henricus in castello, quod est inter Thuringorum & Saxonum confinia,& dicitur Himeleuna, grauissima ualetudine correptus,migrauit ad dominum. Cuius corpus in Saxoniam deportatum, in nobilissimarum ac religiosissimarum monasterio puellarũ,quod in ipsius regis prædio,uocabulo Quintelingaburch situm liquet,intra ecclesiã cum immẽsa est ueneratione repositum. Vbi & uenerabilis eius coniunx,regniq; consors, *Mathildis* ex eadem gente nomine Mathildis, ultra omnes quas uiderim & audierim matronas, pro delictorum expiatione celebre exequiarũ officium, uiuamq; deo hostiam offerre non desiuit. Hæc ante regni susceptionem uiro suo filiũ *Otho I* peperit,quem uocauit Othonem. Iustum inquam,cuius mundi partes Aquilonaris & occidua potentia reguntur,sapientia pacificantur,religione lętant̃, iustiq; iudicij seueritate terrentur. Post regiam autem dignitatem duos peperit,unum quem patris nomine uocauit Henricum,facetia satis ornatum,consilijs prouidum,uultus nitore gratiosum,oculorum uigilantia placidum. Cuius pro recenti funere non mediocres lachrymas adhuc fundimus. Tertium deinde Brunonem nomine,quem pater sanctus,quoniam Nortmanni Traiectensem destruxerant omnino ecclesiam, ob eiusdem recuperationẽ uoluit militare. Verum istorum actus suis in locis latius explicemus. Quantæ fuerit prudentiæ,quantæq; rex Henricus scientiæ,hinc probari potest,quod optimum & potissimum,& religiosissimum natorum suorum regem constituit. Imminebat enim rex prudentissime obitu tuo totius populi casus, si tantus regiæ dignitati non subiret uicarius. Qua ex re in amborum laudem hos pangimus uersus,

Ipse qui quondam superare gentes
Impias bello solitus cruento,
Nouimus nunc rex dederis popello
Morte quàm magnas propria ruinas:
Turba certatim uiduata charo
Rege iam cesset lachrymare:quando
Alter exurgit similis cluenti
Filius patri uenerandus orbi
Rex Otho:gentes ditione magna
Qui premet,pacemq; feret beatam.
Quicquid Henrici perijt recessu,
Præstitit claro populis hic ortu,
Blandus & mitis,patiensq; sanctis,
Pestifer duris,rabidusq; sæuis.

Bella

Bella nonnullis tibi sunt gerunda:
Ex quibus nomen referens in astra
Cuncta calcabis pedibus per orbem:
Quæ premit tardus radians bootes:
Et quibus nomen dedit hesper almus:
Lucifer rursus uocitatus idem,
Surgit eoo properans corusco,

Duxerat idem rex Otho ante regni susceptionē ex Anglorum gente nobilissimā regis Adelstani fratris filiam sibi uxorem nomine Otgit:ex qua & filium genuit nomine Liutolphum. Cuius ob recentem iacturam quoties memoriam agimus,lachrymis sinum replemus.O si nunquam natus,aut nō tam mature esset defunctus.

De Henrico peruersorum consilio Othoni rebellante.& exclamatione autoris in eum, Caput VIII.

QVo in tempore regis eiusdem frater Henricus quorundam peruersorū instinctu eidem est nimiū aduersatus. Is enim qui post creationis suæ mox clarissimā dignitatem, creatori suo se similem facere uoluit, per auditores suos talibus Henricum contra fratrem, imò regem & dominum sermonibus instigauit. Recte ne patrem egisse rere,in regia tibi dignitate genito,nō in eadem genitum proponendo?Planè non discretionis hoc censura ponderauit,uerum passionis magnitudine aberrauit.Ergo age,neq; tibi deerūt copiæ,fratrem deijce,regnum accipe,sitq; tibi regnandi facultas,cui accidit deo largiente & in eadem dignitate natiuitas.

Regnandi tibi quid iuuenum tam dira cupido
Optime Saxigenum prohibet deus?
Haud pater Henricus dedit his:quia sceptra mouebat
Astripotens bonus ipse deus pius,
Quo sine,nec regnum capitur,nec tempora sistunt.
Quicquid in orbe deus geritur iubet,
Per quem iura duces cernunt,regesq; triumphant.
Fraternas acies nunc nunc male
Conflictare cupis,fallax,crudelis,inique,
Impie Leuiathan Beemoth paras
Antiquum renouare tua iam fraude duellum
Crimine pro cuncto pœnas lues,
Hic reprobum numeris culpans quod peccat in æuo
Improbe supplicium referes simul:
Et quæcunq; malis debentur flammea cunctis
Vincula,parta tibi misero: neq;
Ignicomas erebi iuste demersus ad undas

Perpetuo tecum arsuros trahes
Christicolas: quia siqua sacro baptismate loti
Debita post traxere, dei manet
Gratia, quæ lapsos erexit sanguine gratis.

De Euerhardo, qui Henricum adhuc regi Othoni fratri suo fidelem cepit, & in Franciam abduxit. Item qua ratione Euerhardus dictus Gilibertum à regis fidelitate seiunxerit, & quomodo Gilibertus & Euerhardus Henricum carcere emiserint. Caput IX.

TAnti huius ac tam perniciosi facinoris illex Euerhardus extitit comes: huius enim primæ rebellionis tempore Henricus fratri suo regi & domino, prout, debuerat, adminicula dederat, nisuq́ꝫ omni aduersarios fatigabat. Verum quia in curia non solum temporalibus rebus, sed etiam æternis deditis, atq; in ipsa internæ contemplationis uisione cõstitutis, lapsum nonnunquam parat, & quod, ut Vegetius Renatus in libro Rei militaris ait: necessario amplior securitas, grauius solet habere discrimen: Henricum in quodam oppido manentem, incautiusq́ꝫ se tuentem, prædictus Euerhardus collecta multitudine obsedit, ac priusquam ei frater rex adminiculari posset, expugnauit, secumq́ꝫ illum & gazam non paruam in propria transportauit. Rex igitur tantum fratris, imò suum cupiens dedecus uindicare, præfatum Euerhardum, sibiq́ꝫ conniuentes toto cœpit conamine persequi. Euerhardus sanè Gilibertum Lotharingorum ducem à regis fidelitate seiunxerat, cuius adiutorio regi non modice resistebat. Quanquam idem Gilibertus regis sororẽ haberet uxorem, maluit tamen suscipiẽdi regni spe animatus regi obsistere, quàm eum, ut debuerat, contra suos æmulos adiuuare. Sed quum se regi nec sic conspicerent posse resistere, non incallido secundum hominem, sed fatuo secundum deum accepto cõsilio, huiusmodi uerbis Henricũ conueniunt. Si consilijs nostris te parêre nobis iuramento promittis, non solum quia captus es te dimittimus: sed quod maius est, si tamen rex uelis fieri, nostrum te dominum constituimus. Hoc autem non eò dicebant, ut facerent: sed ut eius auxilio regem debellarent.

Vegetij locus

Qua calliditate Euerhardus Henricum & Gilebertum in acquirendo regno decipere uoluerit, & quomodo id iactanter coniugi dixerit. Caput X.

HAbuerat planè rex nonnullas maximas & fortissimas copias, & earum duces Hermannum scilicet Sueuorum ducem, fratremq́ꝫ eius Vdonẽ, atq; Conradum cognomine Sapientem. Qui quanq́ꝫ affinitatis linea Euerhardo iungerentur, maluerũt tamen iuste, si necessitas incubuisset, iusto cum rege occumbere, quàm cum consanguineo iniuste triumphare. Henricus igitur præmissa iam promissione deceptus, proprijs mox collectis copijs, totis uiribus ipsos adiuuare, regemq́ꝫ cœperat debellare. Verum quia scriptum est,

Sapienter

Mentita

Mentita est iniquitas sibi, libet paululum immorari, & quemadmodum tūc mentita sit iniquitas sibi, explicare. Euerhardus haud prius Gilebertum à regis fidelitate seiungere ualuit, donec regē eum se facturum esse promisit. Gilebertus autem arte hac Henricū decipere uoluit, ut dum suo adiutorio regē deuinceret, ipsum deponeret, sibi regni solium obtineret. Verū Euerhardus longe aliter disposuerat. Voluit enim regē posse deuincere, regnoq; priuare utrosq;, sibiq; usurpare, quemadmodū ex uerbis ipsius, quæ paulo antequā moreret, uxori suæ dixit, conijcere possumus. Quam dum foueret in sinu, Iocundare inquit, in gremio comitis, breui lætatura in amplexibus regis. Quod nō ita accidisse, & iniquitatē sibi mentitā esse, tēpestas indicat præsens. in Euerhardū

De admirabili uictoria, quam rex Otho orando obtinuit, & de Henrico in brachio uulnerato in eo prælio. Caput XI.

IGitur ut præfati sumus, huiusmodi Henricus promissione animatus, imò deceptus, collecto exercitu, cum Gileberto pariter atque Euerhardo, regi præparat bellum. Quos contra rex properat lætus, non eorum multitudine territus, sed dei pietate confisus. Sed ut scias quàm facile est deo in paucis plures uincere, & quod quisq; in abundantia uirtutis suæ nō saluabitur, audi antiquum à domino renouatum miraculū. Regis milites supra Rhenum ad locum uocabulo Bierzuni peruenerant, Rheniq; alueum transire cœperant, ignorantes quod Henricus cum præfatis comitibus tanta uicinitate eis iam esset proximus. Perpaucis deniq; è nauibus egressis, uix equos ascendere, seseq; armis induere poterant, quum prænominatorū legiones non nunciant properantes, sed intuitu ipso cernunt præsentes. Tali igitur sese mutuo sunt sermone aggressi: Fluminis huius, ut cernitis, magnitudo socios nostros nobis succurrere, nosq; etiam quamuis uolentes, redire non sinit: nec clàm nobis est, quàm ridiculum nostris præsertim sit nationibus, fortes uiros se hostibus tradere, & non resistendo mortem fugere, uitamq; sempiternis opprobrijs comparare. Quanq; enim euadendi (quæ nunquam hostibus obest) oblata desperatio, & supplicandi opprobrium sempiternum pugnandi nobis fiduciā præstent: ea tamen est quæ nos præsertim ueritatis scilicet & iustitiæ causa pugnare compellit. Si enim terrestris domus nostra resistendo iniustitiæ dissoluatur, æternam non manu factam recipiemus in cœlis. His itaq; dictis accensi, hostes inter præcipiti cursu transeunt. Rex deniq; suorum tantā constantiam non sine diuino instinctu considerans, quoniā fluuio intercedente, corporali præsentia subuenire suis nō poterat, recordatus populi domini, qui repugnantes sibi Amalechitas orationibus Moysi serui dei deuicerat, protinus de equo descendit, seseq; cum omni populo lachrymas fundens ante uictoriferos clauos manibus domini nostri Iesu Christi affixos, suæq; lanceæ impositos, in orationem dedit, quantumq; iusti uiri secundum iusti uiri sententiam Iacobi tunc ualeret oratio, res manifesta probauit. Eo nanq; orante,

quum ex suis nullus occumberet, hostes sunt omnes in fugam conuersi, nonnulliq; eorum quur fugerent penitus ignorabant: quoniam quidem prę paucitate sese insequentes hostes uidere non poterāt. Cæsis igitur plurimis, Henricus est uehementer in brachio percussus, & quanquam loricæ triplicis fortitudo ad carnem usq; ensis aciem non admitteret, pondere tamen percussionis acerbæ brachium est adeo in liuorem conuersum, ut nullis medicorum curis ita mederi posset, quin subsequente anno dolorem permagnum sentiret. Vnde & paulopost huius facinoris occasione ipsum fassi sunt hominem exuisse. Sed quia lanceæ ipsius sanctæ memoriam fecimus hic, qualiter ad eum peruenerit, inseramus.

Henrici brachium contusum

De lancea dominica per Henricum inuenta, & ad Othonem perlata. Caput XII.

BVrgundionum itaq; rex Rodulfus, qui nonnullis annis Italicis imperauit, lanceam illam à Samsone comite dono acceperat. Erat enim excepta cæterarum specie lancearum, nouo quodammodo opere, nouaq; elaborata figura, habens iuxta limbum medium utrobiq; fenestras. Hæ pro pollicibus perpulchre duæ acies usq; ad decliuum medium lanceæ extenduntur. Hanc igitur Constantini magni sanctæ Helenæ filij uiuificæ crucis inuētricis fuisse affirmant, quæ media in spina, quam limbum superius memoraui, ex clauis, manibus pedibusq; domini & redemptoris nostri Iesu Christi affixis, cruces habet. Henricus itaq; rex, ut erat domini timens, totiusq; religionis amator, audito Rodulfum tam inæstimabile donum habere cœleste, nuncijs directis tentauit, si præmijs aliquibus id posset acquirere, sibiq; aduersus uisibiles, inuisibilesq; hostes arma inuictissima, triumphumq; perpetuum præparare. Quod quum rex Rodulfus modis omnibus se nunquam facturum ediceret: rex Henricus quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnopere curauit. Omne quippe regnum eius cæde atq; incendijs se depopulaturum esse promisit. Quia uero quod petebatur munus erat quo cœlestibus terrea deus coniunxerat, lapis scilicet angularis faciens utraq; unum, Rodulfi regis emolliuit cor, iustoq; regi iusta iuste petenti cominus dedit. Neq; enim pace præsente, simultati locus erat. Nam & eo qui his crucifixus est, à Pilato ad Herodem properante, facti sunt amici in illa die, qui prius inimici erant adinuicē. Quanto aūt amore rex Henricus præfatū inæstimabile donū acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc præsertim claruit, quod nō solū eo donantem se auri argentiq; muneribus, uerumetiam Sueuorum prouinciæ parte non minima honorauit. Deus autem, qui quo quisq; quid animo peragat intuetur, non muneris quantitatis, sed bonæ uoluntatis inspector ac retributor, quanta ob prælibatam rem mercede æterno in seculo pium donauerit regem, indicijs quibusdam hoc etiam in tempore prodidit, dum contra se insurgentes hoc uictorifero præeunte signo semper hostes terruit atque fugauit.

gauit. Hac igitur occaſione, imò dei uoluntate ſanctã rex Henricus adeptus eſt romphæam, quam filio, unde inpræſentiarum nobis ſermo eſt, decedens cum regno hæreditario dereliquit. Qui quanta donum inæſtimabile uenera tione coluerit, uictoria non ſolum indicat præſens, uerumetiam diuinorum, ut prompturi ſumus, admiranda largitio munerũ. His itaq; perterritis atque fugatis, rex rediјt non tantum de uictoria lætus, quantum de diuina miſera tione magnificus.

Probat autoritate ſanctæ ſcripturæ uictoriam Othonis nõ fuiſſe fortuitam, ſed deo ita diſponente proueniſſe. Caput XIII.

LIbet autem paululum immorari, & quod non fortuitu, ſed deo diſpo nente hæc ita acciderint enarrare. Quod luce nobis clarius conſtabit, ſi domini ac ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti apparitionem, quæ poſt reſurrectio nem mulieribus & diſcipulis facta eſt, in medium proferamus. Fidem Petri, dilectionem Ioannis ſupra pectus domini in cœna recumbentis, Thomas firmiter nouerat, eoſq; ad ſepulchrum cucurriſſe, nihilq; præter linteamina inueniſſe audierat: angelorũ etiam uiſiones, qui eum uiuere aſſererent, mulie ribus apparuiſſe cognouerat. Sed eſto, forte mulierum infirmitatem conſide rans, mulieribus nõ credebat. Cedò, inquam, ſancte Thoma, ſi duobus diſci pulis ad caſtellum Emaus properantibus, quibus non ſolum apparuit, ſed etiam ſcripturas quæ de ſe erant, aperuit, imò etiam ſecundum conſuetũ mo rem panem benedixit, & fregit, ac dedit, non credis: omnibus tamen condiſci pulis, quibus ianuis clauſis apparuit, quid fidem nõ adhibere contendis? Me miniſti ne, inquam, eundem dominum & præceptorem tuum, cui te commo riturum promittebas ante paſſionem, hæc omnia prædixiſſe? Ait nãq;, Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabunt omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagella bitur, & conſpuetur: & poſtq; flagellauerint, occident eum: & tertia die reſur get. Quur itaq; eum dubitas reſurrexiſſe, quum gẽtibus traditum, flagellatũ, conſputum, crucifixum, ſicut prædixerat, uideas? Haud ab re eſt quod domi num tuum manibus proprіјs tractare contẽdis. Ipſe dominus nanq; rex no ſter, qui operatus eſt ſalutem in medio terræ, qui nouit omnia antequã fiant, multos præuidens hoc errore perituros, ut eſt miſericos & clemens, Infer, ait, digitũ tuũ huc, & mitte manũ tuam in latus meũ, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Confitere Thoma ſancte, & tua dubietate omne noſtrũ exclude am phibolũ. Dominus, inquit meus, & deus meus. O ambiguũ omni laude di gniſſimum. O dubium cunctis ſeculis prædicandum. Si tu nõ dubitares, ego non tam firmiter crederem. Si mulierum credentium, ſi condiſcipulorũ fidẽ, hæreticis, qui non uero corpore dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe la trabant, diceremus, multa nobis argumẽta diabolica calliditate opponerẽt. Sed quum dubitantem Thomam corpus tractaſſe, uulnerum cicatrices teti

 giſſe,

gisse, ac mox dubitatione remota, deum & dominum exclamasse audiūtq; qui prius erant multisoni, mox ut pisces uidentur insoni, cognoscentes quia & uera caro est, quæ tractari potuit, & deus, qui ianuis clausis intrauit. Et quod Thomas dubitauit,nō fors,sed dei omnipotentis dispensatio fuit. Sic itaq; sic rex pijssime insperata ob militū paucitatē uictoria diuinæ consilium prouidētiæ fuit,uolens mortalibus indicare quàm charus deo esset, qui orando tam immensum cum paucis triumphū obtinere promeruit. Forte enim, imò certe & tu prius ignorabas quàm charus existeres: quod pòst te cognoscere fecit,quū tanta uictoria honorauit. Sancti etenim uiri quid uirtutis habeant,& quanti in conspectu diuini examinis existant,nisi probauerint ignorant. Quod in facto Abrahā filium immolare cupientis,ex uerbis angeli dicentis colligere possumus:ait enim,Ne extendas manū tuam super puerum, neq; facias illi quicq;,nunc cognoui quod timeas dn̄m, id est,teipsum & posteros cognoscere feci. Nouerat enī dn̄s etiā anteq; filiū īmolare uellet,quanta Abraham patriarcha sanctus cum charitate diligeret: sed is qui diligebat q̄ perfecte diligeret nō nouit, donec per dilecti filij immolationē apertissime cognouit. Possumus & hanc ex beati Petri promissione approbare: Dn̄e,inquit,tecum paratus sum & in carcerē & in mortem ire. Cui dn̄s,Dico,ait,tibi Petre,nō cantabit in hac nocte gallus,donec ter abneges nosse me. O sancte Petre,melius q̄ tu nouit te,qui fecit te. Tu profiteris quemadmodum putas uerā fidem: sed qui priusq; fiant om̄ia nouit,ter se negaturū te esse prædixit. Huius quippe sententiæ nō immemor,quū postmodū te an se diligeres interrogaret,magis ipsi credens q̄ tibi,amorē tuū hac temperata responsione declarasti dicens,Dn̄e tu omnia nosti,tu scis quia amo te. Conscientia quidem mea plus diligo te q̄ me,nisi quia te diligendo diligo me. Vtrum aūt ut existimo,ita seueritas habeat,ipse quàm ego melius nosti,q me ut essem fecisti, & ut te diligerē amore iustissimo inflāmasti. Bone itaq; rex,non ob tuā hoc, sed ob infirmorum actum est fidem,qui uictoriā non nisi multitudine putāt consistere,& humanas res nō nisi fortuitu prouenire. Scimus enim quia si cū duodecim legionibus transires, ac uictoriam obtineres, nō eam dn̄o,sed tibi imputares. Et hæc ratio est, quod cum paucis orando uoluit te deus uincere: ut & in se sperantes ad amorem sui magis accenderet, & te quantum diligeret,nescientibus indicaret. Sed his omissis,ad alia festinemus.

De ijs qui in Alsatia Othonem regem fraude Frederici archiepiscopi desecuerunt:& de animoso Othonis ad suos responsio. Caput XIIII.

Brisacum EST in Alsatiæ partibus castellum Brisecgaune patrio uocabulo nuncupatum,quod & Rhenus in modū insulæ cingens,& naturalis ipsa loci asperitas munit. In hac itaq; suorum Euerhardus posuerat multitudinē militum, quorum terrore non solum sibi magnā partem præfatæ prouinciæ uendicabat:uerumetiā circumcirca regis fideles misere laniabat. Rex deniq; bonus,

non quæ sua,sed quæ suorum erant considerans,collecto exercitũ, in Alsatiã ut præfatum castrum obsideat proficiscitur. Quũq; eódẽ peruenisset,Frederici qui cum eo tunc aderat,Moguntiæ sedis archiepiscopi exhortatione,episcoporũ quamplurimi defixis noctu per gyrũ amissis tentorijs cœperũt regẽ deserere,clàmq; ad ciuitates proprias cõfugere: Frederico cum eodẽ subdole permanente. Quod regis milites cõsiderantes,huiusmodi regẽ sunt aggressi sermone,Cõsule rex saluti tuæ,loca hæc deserẽs, & Saxoniã petẽs. Nec clàm te est quod Henricus frater tuus bellum tibi inferre conat᷑, qui si tam paruas tecum esse copias senserit,ita repentinus irruet,ut nec fugiendi quidẽ locus sit. Melius est igit᷑ reparato exercitu redire, quàm aut mori misere, aut turpiter fugere. Quibus rex imperterritus,ut quondã suis Iudas cognomẽto Machabeus, Nolite,ait,nolite talia loqui. Et si appropinquauit tempus nostrum,moriamur omnes in uirtute,& non inferamus crimen gloriæ nostræ. Melius est enim pro uera iusticia mortẽ subire,quàm eam fugiendo turpiter uiuere. Deniq; si illos dei ordinationi resistẽtes auxilium à multitudine sola,& nõ à deo sperantes iniuste præliari, mori,& ad inremissibiles erebi pœnas descendere iuuat,nihilominus nos imò acrius pugnare delectet,qui & præliari pro iusticia securi, & si sors carnis uniuersæ acciderit,securius possumus mori. Nã pro iustitia pugnatores ob copiarum paucitatẽ ante pugnæ experimentũ terga dare,deo diffidere est. His dictis non solum eos à fugæ proposito reuocauit, uerumetiam ut uehementer pugnarent animauit.

Militũ ad regẽ cohortat.

Responsum Othonis

De animoso & prudenti responso Othonis, quo confutauit impudentiã comitis abbatiã in præmiũ auxilij petentis. Cap. XVI.

VNum autem unum pater egregie uelim diligenter attendas,quod quũ audieris,plus eum animi passiones quàm hostes uicisse miraberis. Huiusmodi uincere aduersarios permittente deo nonnunquã & peccatores possunt:inconcussam autem animi tenere uirtutem,prosperis scilicet non extolli, & aduersis nõ frangi,perfectorum solummodo est. Audi igitur in tanta hac fluctuante procella, quo fidei supra petram qui Christus est, sit ardore fundatus. Comes quidam tunc prædiues cum eo erat,cuius multitudo militum regis aciem condecorabat. Hic itaq; uidens quamplurimos ex regis acie desertores ac transfugas fieri, non interiorem , sed exteriorem considerans hominem,tacitus hæc secum uoluere cœpit, Quicquid à rege in hac turbatione constituto petiero,sine dubio impetrabo,præsertim quum & acre nobis bellum immineat, ac se ne deseram timeat. Nuncijs itaque directis regi supplicat,ut abbatiam quandam Lauresheim dictam,prædijs ditissimã sibi concedat:cuius possessionibus qd᷑ sibi deerat, militibus suis ministrare pręualeat. Rex aũt columbina nõ solũ,sed ut erat uiperina calliditate suffarcinatus,non hoc qd portẽderet minime aduertere potuit:unde & huiusmodi nũcijs apolo-

Affectuum uictoria

geticum dedit: Illi quid super hac re sentiam, uerbis ipse potius explicabo q̃ nuncijs. Quod qui hos direxerat audiens, immẽsa est affectus animi lætitia, sperans se quod poposcerat impetrasse. Vnde & moræ impatiẽs, regẽ adijt, eũq; sententiã super hac re promere postulauit. Cui rex populo circũstante, Obedire, inquit, magis oportet deo quàm hominibus. Quis enim sanum sapiens ignorat te hæc non humilitate petitionis, sed cõminationis autoritate dixisse? Scriptum est enim, Nolite sanctum dare canibus. Quod quamuis à doctoribus spiritualiter intelligendum esse prædicetur, ego tamen satis me dare canibus sanctum censeo, si monasteriorũ prædia quæ à religiosis uiris deo sunt militantibus tradita, tulero, & seculo militãtibus dedero. Tibi uero tam procaciter iniusta petenti sub testimonio totius populi nec hoc nec aliud unquam te à me accepturum esse testificor. Si cordi tibi est cum cæteris infidelibus auolare, quanto citius, tãto melius. His auditis, quia facies speculum est mentis, cordis uerecundiam uultus rubore nudauit, concitusq; regis ad pedes corruens, se peccasse, se grauiter deliquisse cõfessus est. Perpende itaq; qua constantia dei athleta non solum uisibiles, uerumetiam inuisibiles conterat hostes. Antiquus etenim hostis non ei se nocuisse putauit, dum tot fortissimos principes contra illum surgere persuasit, fratrem etiam qui ei regnũ auferret instigauit, quoniam hæc exteriora esse damna cognouit: quin & præfatum comitem ad expetendam sanctorũ hæreditatem incitauit, quatenus rex eo uelocius offensam dei incurreret, quo seruorũ dei stipẽdia suis iniuste militibus traderet. Verũ quia nequiuit, nunc quantũ rex sanctus ob tentationis huius constantiã deo pro se pugnante creuit, in mediũ proferamus.

Quomodo deo pro Othone rege pugnante, Gilebertus & Euerhardus apud Andernacum sint occisi. Caput XVI.

DAuid sanctus ex persona domini dicit, Si populus meus audisset me, Israël si in uijs meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorũ humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam. Quod in rege hoc dominum audiente, atq; in uijs eius ambulante esse completũ, quam prompturus sum ratio declarabit. Euerhardus atq; Gilebertus audito rege in Alsatia esse, quoniã neminem qui eis resisteret uerebantur, permagno collecto exercitu, Rheni alueum ad Andernacũ pertranseunt, regisq; fideles circumquaq; demoliri procedunt. Vdo sanè Hermanni ducis Sueuorũ frater, necnõ & Conradus cognomento Sapiens, quos superius regi diximus esse fideles, ipsius in partibus erant, sed quia eorũ copiæ istorũ copijs impares extiterãt, his occurrere trepidabãt. Verũ iubẽte deo, nõ locutionis, sed inspiratiõis modo, hos cũ multis spolijs redeuntes ponè sequunť. Quũq; paululũ ꝓcessissẽt, quidã eis flẽs & eiulãs obuiã uenit sacerdos. Qui rogatus ab eis quò iret, cur fleret? Ab istis, inq̃t, prędonibus ego uenio, q̃ paupertatis meæ ærumnã uno

quod

quod ſolum poſſederam iumento ablato, dilatarunt. Quod quum præfatus Vdo ac Conradus audirent,an Gilebertum atq; Euerhardũ uiderit examuſſim ſunt ſciſcitati. Quo reſpondente, quoniã cum præda cunctis penè trans Rhenum miſſis,ipſi ſoli cum eorum electis militibus(quod nec bene uertat) capiunt cibum,tanta celeritate ſuper eos irruunt,ut ſi uideres, nõ eos currere, ſed diceres tranſuolare. Quid plura?Euerhardus gladijs occidit̃, Gilebertus Rheni undis ſubmergit̃, quas quoniã exorbere præ multitudine nõ potuit, anima recedente defecit. Cæterorũ uero nullus aufugit,qui non aut uiuus caperetur,aut gladio truncaretur. Vides igitur quemadmodum ſuper regẽ tribulantes dominus manum miſerit,quem in uijs ſuis ambulantẽ cognouit.

De nuncio qui Othoni cædem Gileberti & Euerhardi nunciauit, quum templum peteret:& de pietate eius, Cap. XVII

DVm hæc aguntur, rex in Alſatia horũ inſcius,mori potius quàm aduerſarios fugere eſt paratus. Accidit itaq;, ut quemadmodũ ei moris erat, mane primo,quoniam eccleſia longe aberat,ſuper equum conſideret,eoq; ſe munitũ orationibus iret, dum directis procul oculis, obuiare ſibi ſub nimia celeritate hominẽ uidit:quem ilico nuncium eſſe intellexit,eo quod ſubſequuturam lætitiã quodam præludio hilaritatis oſtendit. Hoc igitur indicio,quia ſecunda eum nunciare qui aderant intelligũt,arrectis auribus ut eum audiãt currunt. Quibus moderata huius proceſſio,capillorum ac ueſtium compoſitio,honeſta ſalutatio annuerat. Vidit rex populum anhelare,& quod dicẽdi moram nuncius faceret, grauiter ferre. Age ait,ad quod miſſus es fare,præpoſtero ordine rem prius exprime,circumſtantium metus adime,eorumq; animos gaudio exple:dehinc per longa exorſa, & rhetorum procœmia ſalutationibus nos demulce. Non qualiter,ſed quid dicas præſens tempus expectat. Malumus enim ruſticana ſimplicitate lætari, quàm Tulliana eloquẽtia periclitari. His auditis,Euerhardum atq; Gilebertum hominem exutos eſſe primo impetu nunciauit, uolentemq; qualiter hoc acciderit proſequi,rex manu compeſcuit, ac mox de equo deſcendit, ſeſeq; cũ lachrymis deo gratias agẽs in orationem dedit. Qua expleta, ſurrexit,atque itinere quò cœperat,deo ſe commendaturus ad eccleſiam tendit. *Scitè*

Quomodo Otho rex Bertholdo Baioariorum duci amico ſuo res lætas denũciauit,& nuptias ſororis aut filiæ eius obtulit: & de Frederici epiſcopi inani contra regem factione. Cap. XVIII.

HOc in tẽpore Bertholdus Baioariorũ dux,Arnolfi ducis frater,uir ſtrenuus,regis partibus toto fauebat conamine. Volens itaq; rex,ut quemadmodum tribulationis præteritæ, ita & lætitiæ præſentis fieret particeps, ſequenti die quanta erga eum dominus beneficia egerit, nuncijs directis, aperuit. Cui etiam in augmentum lætitiæ,quoniam coniugali minime connubio tenebatur, demandauit: ac iuramento promittere fecit, ut ſi ſororem

ſuam,

ſuam ſcilicet Gileberti uxorē habere poſſet, eā illi coniugio copularet. Quod ſi minus procederet, ipſius Gileberti ex eadem ſorore genitam quam penes ſe habuerat ferè iam nubilem maritali ei coniugio traderet. Quo audito, Bertholdus immenſo eſt gaudio affectus, elegitq; nondum nubilem potius filiam expectare, quàm matrem quæ iam nupſerat tollere. Fridericus deniq; Moguntiacenſis eccleſiæ archiepiſcopus, cuius conſilio nōnulli epiſcoporum regem dimiſerant, ut quàm occulte geſtabat, infidelitas cunctis pateret, decē fermè diebus ante prænominatorum interitum regem deſeruit, ac Moguntiam concitus uenit, in qua nihil moratus, Metenſem urbem adijt. Diſpoſuerat enim regis frater Henricus redeuntibus Euerhardo atq; Gileberto, cum eodem Frederico illic exercitum congregare, ſicq; regi in Alſatia degenti bellum maximum præparare. Quumq; illò perueniſſet nominatus archiepiſcopus, inſperate & nō opportune ei nuncij occurrerūt, qui iam prælibatos principes morte intercedente non uiuere dicunt. Is autem animo conſternatus, quid faceret penitus ignorabat.

De eiuſdem Frederici archiepiſcopi captiuitate. Et de ſorore Henrici, prohibente ne in munitiones quaſdam contra regem ſe recipiat. Et quomodo Henricus tandē ad miſericordiā regis fratris ſui ſe ſubmiſerit. Cap. XIX.

Rex interea Alſatiā deſerens, Franciam occupabat. Cuius ob metū Moguntię ciues redeuntem archiepiſcopū intra urbis mœnia nō ſuſcipiunt. Vnde factū eſt ut nō multo poſt à regis fidelibus captus, & ante eius pręſentiam adductus, cuſtodiæ ſit in Saxoniam traditus, in qua aliquandiu cōmoratus, miſeratione regis dignitati priſtinæ eſt reſtitutus. Henricus denique regis ſui atq; fratris terrore compulſus, in caſtellum Capræmons uocabulo non ſolum ingenijs hominū, uerum natura ipſa munitū ingredi uoluit: quod eius ſoror uidua ſcilicet Gileberti prænoſcens, non ſolum ne id facere poſſet prohibuit, uerum huiuſmodi ſermonibus eum conuenit. Proh, non tete miſeriarum mearum tædet, quas interempto Gileberto marito perpetior: ni etiā meis in munitionibus te occludēdo regis iram ſuper regionem uelut aquam effundas? Non feram, non ſinam, nō patiar, non tanta mihi uecordia innata erit, ut ex meis incommodis tua compares commoda. His Henricus auditis, quum aliud quid faceret ignoraret, aſſumptis ſecum quorum auxilio iuuaretur quibuſdam epiſcopis, die quadam nudis pedibus regis ad pedes ignorante ipſo peruenit, ſupplexq; miſericordiam implorauit. Cui rex, Indignū, inquit, facinus tuum miſericordiam non meretur. Verum quia uideo te humiliatum coram me, non inducam malum ſuper te. Iuſſit itaq; rex eum ad palatium ſuum quod in Francia in loco qui dicitur Inglinheim cōſtitutum eſt, proficiſci, ſolertiq; illum uigilantia cuſtodiri, quoad iræ remota paululū ægritudine, quid ſuper eum faceret conſilio ſapientium definiret.

Liuthprandi

LIVTHPRANDI TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE, LIBER QVINTVS.

Qualiter Hermannus Sueuorũ dux Liuthulfo filio regis Othonis Idam filiam suam coniugem obtulerit. Et de eclypsi solis ante uictoriam Radamiri in Hispania: & de apparitione cometæ. Item qualiter rex Hugo Romam uexauerit. Caput I.



ACTVM est ut post mortem Euerhardi atque Gilberti, necnon & Henrici fratris regis inclusionem, concurrẽtibus undiq; ad regem cõgratulationis causa proceribus, ueniret etiam uir ditissimus Sueuorum dux Hermannus, qui post congratulationis satietatẽ talibus est regem aggressus sermonibus, Non clàm domino meo est, tum prædiorum latitudine, tum pecuniarum immensitate prædiuitem me absque liberis esse, nec est præter unam paruulam natam, quæ mearum rerum me redeunte hæres existat. Placeat itaque domino meo regi filium suum paruulum Liuthulfum mihi adoptare filiũ, quatenus unicæ filiæ meæ maritali commercio sociatus, me migrante, mearum fiat hæreditate rerum magnificus. Hoc itaq; quia placuit regi consilium, quod poposcerat sine dilatione compleuit. Hoc in tempore ut ipse pater bene nosti, sol magnam & cunctis terribilẽ passus est eclypsim sexta feria hora diei tertia. Qua etiam die Abdaram rex noster à Radamiro rege Christianissimo Galitiæ in bello superatus est. Sed & in Italia octo cõtinuis noctibus miræ magnitudinis cometa apparuit, nimiæ proceritatis igneos ex sese radios fundens, subsequuturam non multo post famẽ portendens, quæ magnitudine sua misere uastabat Italiam. Eadem tempestate Hugone rege turpiter expulso, Albericus, ut præfati sumus, Romanæ ciuitatis monarchiam obtinebat. Quem rex Hugo quotannis grauiter opprimebat, gladio & igne quæ poterat uniuersa cõsumens, adeo ut ciuitates præter Romam in qua ipse consederat, omnes auferret. Sed & ipsam sine dubio tum depopulando tum ciues muneribus corrumpendo conquisiuisset, nisi occulta & iusta iusti dei sententia illi prohibuisset.

Hermanni oratio

Eclypsis

Cometa

Fames

De Berẽgario & Anscario fratribus, quorũ posterior marchio Camerinorum & Spoletinorũ ab Hugone cõstituit. Item de Sarlio seu Harlio, quẽ rex Hugo contra Anscariũ noua molientẽ miserit: & de Anscarij uerbis. Item de bono consilio Vuiberti, & malo Archodi regi dato. Cap. II.

PEr idem tempus Berengarius atq; Anscarius in Italia fratres clarebant. Vno quidem patre Adelberto scilicet Eporegiæ ciuitatis marchione, sed non una matre progeniti. Berengarium namq;, uti præfati sumus, Gilla Berengarij regis filia: Anscarium autem Ermegarda Adelberti Thusciæ prouinciæ marchionis, quam ex Berta regis Hugonis filia habuerat, peperit.

Quorum

Quorum Berengarius consilijs prouidus, ingenio callidus: Anscarius uero ad quodlibet facinus promptus. Quem & rex Hugo nimis suspectũ habuerat, ne se occideret, ac regnum sibimet obtineret. Consilio itaq; accepto, quia Theobaldus marchio hominem exierat, Spoletinorum eum ac Camerinorum constituit marchionem, quatenus eo securius uiueret quo longius hunc ab sese esse sequestratũ cognosceret. Quò dum profectus esset, uti animi impatiens erat, quicquid ex rege mali mens ei cogitando suggesserat, rerum signis continuo declarabat. Quod regem Hugonem minime latuit. Igitur quod remedium huic ægritudini dare posset excogitans, Sarlionẽ ad se Burgundionum ex gente progenitum aduocat. Cui & ait, Camerinorũ ac Spoletinorum hominum non est mihi fides incognita. Est enim calamo similis, cui si inuisus fuerit homo, perforabit manum suam. Vade itaq; atq; accepta à me pecunia, mentes eorum corrumpe, ab Anscarij dilectione eos amoue, tibiq; coniunge. Te nemo est qui possit facere, tum melius, tum commodius. Habes enim illius Theobaldi nepotis mei defuncti optimi marchionis uxorem, cuius auxilijs fretus cunctus ad te ueniet populus. Profectus itaq; est, & eo annitente haud secus atq; rex prædixerat, Camerinorum ac Spoletinorũ populus egit. Congregata itaq; multitudine, ad eam in qua Anscarius erat, ciuitatem properare festinat. Quod quũ audisset Anscarius, antesignanum suum nomine Vuibertum talibus adorsus est uerbis,

Sarlius imbellis multorum fisus in armis
Pugnaturus adit: cui fortes pectore & armis
Occursare decet, bellumq; inferre cruentum.
Lecta manus iuuenum bellis exercita multis
Post huc tendentem quæ me comitata patronum
Protinus adueniet fuluo decorata metallo.

His auditis, Vuibertus, ut erat uir non audacia solum, uerumetiam scientia fretus, Mane ait, copias prout potis es cõgregato. Pergraue est enim cum paucis innumeris occurrere. Sed & si quibuscum res agitur animaduertis, heroës sunt, haud segnius atq; nos bello assuefacti. Iam Anscarius Vuiberto recta sibi consulenti, conniuere decreuerat, directisq; usquequaq; nuncijs, congregare exercitum cupierat, quum Archodus Burgundionũ sanguine ortus, Vuibertum sibi consulentem dictis increpabat amaris. Chremeti, inquit, similis es, qui ob Thrasonis metum Thaidi de occludendis ædibus consilium quo aduocatos sibi à foro duceret, dedit: quem quũ Thais prohiberet, quod cum salute tua ait cauere possis, stultum est admittere. Malo ego uos prospicere, quàm ulcisci accepta iniuria. Optime Vuibertus inquit, Thrasonis fecisti memoriam militis, qui prius ore desæuiens, quum ad rem ueram uentum esset: Syriscum in dextro cornu, Simalionem in sinistro constituens, ipse sibi locum post principia elegit. Burgundiones enim garrulos esse, uoraces ac imbelles,

Terentij locus festiue adductus

belles,nullus qui eos nouerit ambigit.Sed & quàm fortiter sępe feceris,quas fugiendo declinasti,cicatrices indicant corporis.

De prima pugna inter Sarlionẽ & Anscarium,in qua Vuibertus letaliter uulneratus est,& Archodus fugit. Item de secundo prælio,in quo Anscarius strennue pugnãs,Hattonem comitem hasta occidit,ac postmodum de equo per dolum decidens,ab hostibus occisus est. Caput III.

HVIusmodi Anscarius atq; Vuibertus excitati dictis, ubi Sarlionem cũ multis esse audiunt,quàm mox cum paucis properare contendunt.Sex Sarlio acies habuerat,quarum tres contra Anscarij unam, in qua ipse Anscarius erat direxerat.Ipse uero fluuio interiecto rei spectans euentum cum tribus remanserat. Verebatur enim,quod nec tanta eum multitudo quiret defendere,si suos in eum Anscarius posset obtutus inducere.Haud mora,bellũ incipitur,in quo Archodus quia fugerat non uidetur.Vuibertus morte tenus uulneratur,quoniam quidem mori satius quàm fugere duxit.His itaq; omnibus ab Anscario debellatis,duas in eum iterũ Sarlius mittit acies, una solummodo secum retẽta. Quumq; Anscarius quis suorum occumberet inquirere uellet,nõ suo tantum q̃ aliorũ sanguine cruentatus Vuibertus ei occurrit,cui & ait,Duæ contra nos acies perpulchre armis instructæ adueniunt, quas te potius declinare q̃ expectare etiã atq; etiam rogo. Archodus, ut ipse bene nosti,pugnę huius incẽsor qualiter aufugerit uides.Ego uero positus in extremis,nõ cogito iam de pugna, sed misericordẽ dominum rogo pro anima,ne mihi imputet quæ ob dilectionẽ tui hodie cõmerui crimina, multa hominũ neci dando corpora.His expletis expirauit. Collectis itaq; Anscarius quos potuit, duabus phalangis occurrens,eas inter furibundus insilijt, stragemq; innumerã dedit. Comes quidẽ Hatto nomine duabus illis præerat aciebus, qui hac occasione & fiducia Anscario occurrit, quoniã confracta iam lancea, solam in manu eius uiderat hastã. Quem dum intuitus esset Anscarius, Tu ne es,infit, qui contempto crucis & sanctorũ iuramento, periurus in nomine dei tui me tuũ dominũ deseruisti, & ad uulpem Sarliũ transfuga ac desertor abijsti? Esse aliquos manes & subterranea regna,in quibus periuri puniantur, Cocytũ & Stygio ranas in gurgite nigras, qui usq; modo somniasti, re ipsa experiere. Hæc dicens, hastam quam sine ferro gestabat, per os illius ualide iaciẽs, sanguine crebroq; resperfam per occipitium duxit:enseq; abstracto,quoniã multi super se irruerant,dimicare uehementer cœpit.Quũq; nullis sibi adminiculantibus, omniũ penè hostium solus impetũ sustineret, huc illucq; discurrens,sonipes quo insederat, adeo in scrobem cecidit,ut collo sup posito, cruribusq; & pedibus sursum erectis, eousq; super Anscariũ iaceret, donec ab irruentibus hostibus missilibusq; directis occideretur.Quo mortuo, Sarlius marchia secure potitur,& rex Hugo gaudio immenso afficitur.

Fortiter

Vuiberti mors

Anscarij interitus

B De missis

De missis ab Hugone Constantinopolim ad Imperatorē pro nauibus & igne Græco contra Saracenos. Item de Berēgarij fuga, qui acceperat regem Hugonem oculis suis insidias parare, & se uelle excæcare: & de uxoris eiusdē fuga. Item de imprecationibus autoris in montes qui illis peruij fuerūt. Item qualiter Hermannus dux Berengarium suscepit, & Othoni regi commendauit. Caput IIII.

DVm hæc aguntur, montana quibus ab occidua seu septentrionali parte cingitur Italia, à Saracenis Fraxinetum inhabitantibus crudelissime depopulantur. Quamobrem Hugo rex consilio accepto, nuncios Constantinopolim dirigit, rogans Imperatorem Romanū, ut naues sibi cum Græco igne transmittat, quas chelandria patrio sermone Græci cognominant. Hoc autē eò fecit, ut dum terrestri itinere ipse ad destruendum tenderet Fraxinetum, eam partem qua mari munitur, Græci obsiderent nauigio, eorumq́ naues exurerent, ac ne ex Hispania uictus eis aut copiarum subsidia prouenirēt, diligentissime prouiderēt. Interea Berēgarius memorati frater Anscarij atq; Eporegiæ ciuitatis marchio occulte quædam in regem cœpit moliri. Quod dum regi compertū foret, simulata beneuolentia, dissimulataq́ ira, dum ad sese ueniret, luce eum priuare disposuit. Filius uero eius nomine Lotharius, rex & ipse paruulus, & necessariarum sibi rerum adhuc ignarus, quoniā consilijs his interfuit, celare quemadmodum puer haud potuit, uerum destinato ad Berengarium nuncio, quod pater illi suus facere uellet aperuit. Hoc itaque Berengarius ut audiuit, Italiam quàm mox deseruit, ac per montem Iouis in Sueuiam ad Hermannum ducem properauit. Vxorem uero suam Vuillam per aliam uiam ad eandem prouinciam uenire præcepit. Quæ itinere digressionis suæ per montē auium fœta partuiq; uicina, qualiter montes tam aspetos atq; inuios transire pedibus potuerit, satis nequeo mirari: nisi quia fortunas omnes aduersas mihi fuisse certo scio. Sed ô quod sibi decipulam Lotharius præparauerit, futuri ignarus uidere non potuit. Dum enim Berengario consuluit, qui regnum & uitam auferret sibimet præparauit. Imprecor itaq; mala plurima non Lothario qui leuitate peccauit pueritiæ, idq; amare postmodum pœnituit: uerum montibus illis crudelibus contra insuetū omnibus morem facile eis iter præbentibus. Itaq; libet mihi in eorum contumeliā nūc exclamare. Improbe mons auiū tali Neq; tu nomine dignus: Cōseruas quianam pestem, Nunc quam perdere possis. Inuius esse soles etiam, Cum sol igneus ardet Tēpore quo Cererē messor Curua falce reposcit Tempore quo radijs phœbi Cancri sydus adurit. Pessime nunc es inaudito Rigidæ tempore brumæ Peruius: atq; utinam possent Mea nūc uota ualere, Protinus in barathrum uulsus Alijs montibus isses. Ecce Berengarium seruat, Sinit & tramite recto Mons transire Iouis, mirum Haud suetos perdere sanctos, Et seruare malos, uocitant Heu quos nomine Mauros. Sanguine qui gaudent hominum.

Berengarij fuga

In montes

minum, Iuuat & uiuere rapto. Quid loquar? ecce dei cupio Tete fulmine aduri Conscissusq; chaos cunctis Fias tempore cuncto. Igitur Hermannus Sueuorum dux uenientem ad se Berengarium benigne suscepit, eumq; cum magno honore ante piissimi regis præsentiam duxit. Quem quanta rex deuotione susceperit, quantis'ue muneribus eum donauerit, quantumq; honorauerit, stilus meus se scribere posse diffidit. Verum quantū poterit designatis, cuius sanctitatis, quantæ humanitatis rex fuerit, quantæq; etiā Berengarius improbitatis extiterit, facile prudens lector animaduertere poterit.

De legatione Hugonis ad Othonem, ut Berengariū non suscipiat: & de pecunia illi frustra oblata. Item de legatione Romani Græcorum Imperatoris postulantis nepoti suo Hugonis filiam coniugem. Caput V.

REx Hugo audita Berengarij fuga, nuncios suos regi Othoni direxit, promittens se secundum uoluntatis eius deliberationem auri argentiq; copiam ei daturum, si Berengarium non susciperet, eiq; adminicula non conferret. Quibus rex apologeticum huiusmodi dedit: Berengarius nō ob dominij uestri deiectionem, uerum, si potis est, ob reconciliationē, nostram adijt pietatem, siqua in re adminiculari illi penes dominium uestrum potero, gazas mihi ab illo promissas nō suscipio, uerum illi meas libentissime tribuo: Berengario uero seu cuilibet nostræ pietatis clementiam imploranti, subsidium nō præbere, summę dementiæ est. Perpende itaq; quāta eum rex pius charitate dilexerit, qui promissum non solum non accipere, sed propriā pro illo uoluit dare pecuniam. Dum hæc aguntur, Cōstantinopolitanus Imperator cum regis Hugonis nuncijs suos dirigit, mandans naues & omnia quæ desideraret se ei daturum, si nepoti suo filiam suam coniugem daret. Constantinum autem Leonis Imperatoris, non ipsius Romani filium dico. Tres enim cum Romano hoc imperabāt simul, eius uidelicet duo filij, Stephanus atq; Constantinus, & Constantinus Leonis Imperatoris filius. Rex itaque Hugo audita hac legatione, directis iterum nuncijs, Romano denunciat, se legitimam ex coniugio natam non habere: sed si ex concubinarum filiabus uellet, egregiam ei forma posse præstare. Et quoniam Græci in Geneseos nobilitate nō quæ mater, sed quis pater fuerit inquirunt, Imperator Romanus naues continuo cum Græco igne præparauit, munera maxima misit, atq; ut illam nepoti suo coniungeret mandauit. Quoniam meus uitricus uir grauitate ornatus, plenus sapientiæ regis Hugonis fuerat nuncius, pigrum non sit mihi inserere, quod eum de Imperatoris sapientia & humanitate, & qualiter Russios uicerit, audiui sæpius dicere.

Othonis responsio

Græcorum mos

De Nortmannis Russis: & de pugna nauali Romani cum Ingero rege Russorum seu Nortmannorum, quem mirabiliter uicit, inijciendo ignem.

CAPVT VI.

Nordmanni Rußi GEns quædam est sub Aquilonis parte constituta, quam à qualitate corporis Græci uocant Russos, nos uero à positione loci uocamus Nordmannos. Lingua quippe Teuthonũ Nord aquilo: man autẽ mas seu uir dicitur, unde & Nordmannos Aquilonares homines dicere possumus. Huius *Inger* deniq; gentis rex Inger uocabulo erat, qui collectis mille & eo amplius nauibus Constantinopolim uenit. Quod Romanus Imperator ut audiuit, quoniam naualem exercitum suum directum contra Saracenos, & ad insularum custodiã habuit, æstuare cœpit cogitationibus: Quumq; cogitationibus non paucas insomnes noctes duceret, & Inger cuncta mari uicina diriperet, nunciatũ est Romano xv. semifracta se habere chelandria, quæ populus ob uetustatem sola reliquerat. Quod ut audiuit τοὺς ναυπηγοὺς, hoc est, nauiũ fabricatores ad se uenire præcepit, quibus ait, Properãtes sine dilatione ea quæ remanserunt chelandria præparate. Sed & argumentum nõ solum in prora quo ignis projicitur, uerumetiã in puppi, insuper in utrisq; lateribus ponite. Compositis itaq; secundũ iussionẽ suam chelandrijs, sapientissimos in eis uiros collocat, atq; ut regi Ingero occurrant denunciat. Profecti deniq; quũ in pelago eos impositos rex Inger aspiceret, exercitui suo præcepit ut uiuos illos caperet, & nõ occideret. Deniq; miserator & misericors dominus, qui se colentes, se deprecantes, se adorantes, non solum protegere, uerumetiam uictoria uoluit honorare, uentis tunc placidum reddidit mare. Secus enim ob ignis *Ignis nauali prælio ejectus* emissionẽ Græcis erat incõmodum. Igitur in Russorum medio positi ignem circumcirca projiciunt. Quod dum Russi conspiciunt, è nauibus cõfestim sese in mare projiciunt, eliguntq; potius aquis submergi, quàm igni cremari. Alij tunc loricis & galeis onerati, nunquã uisuri ima pelagi petunt: nonnulli uero natantes, inter ipsos maris fluctus uruntur, nullusq; die illa euasit, qui fuga sese ad terram non liberauit. Russorum etenim naues ob paruitatem sui ubi aquæ minimum est transeunt, quod Græcorũ chelandria ob profunditatem sui facere nequeunt. Ingenti Inger confusione postmodum ad propria est reuersus. Græci uero uictoria potiti, uiuos secum multos ducentes, Constantinopolim regressi sunt læti. Quos omnes Romanus in præsentia Hugonis nuncij uitrici scilicet mei decollari præcepit.

Vt Hugo Fraxinetũ tendens, Græcos eò cũ nauibus miserit, qui quũ Fraxinetũ destruere potuerit noluit, sed cũ Saracenis fœdus icit. Cap. VII.

REx itaq; Hugo congregato exercitu, classibus per Tyrrhenũ mare directis ad Fraxinetum, terrestri ipse eò itinere pergit. Quò dum Græci peruenirent, igne projecto, Saracenorũ naues mox omnes exurunt. Sed & rex Fraxinetum ingressus, Saracenos omnes in montem Maurum fugere compulit: in quo eos circumsedendo capere posset, si res hæc quam prompturus sum, non impediret. Rex Hugo Berengarium, ne collectis & ex Sueuia & ex Francia

ex Francia copijs super se irrueret, sibiq; regnum auferret, maxime timuit. Vnde non bono consilio accepto, ad propria Græcos mox remisit: ipséque cum Saracenis hac ratione inijt fœdus, ut in montibus qui Sueuiam atque Italiam diuidunt, starent: ut si forte Berengarius exercitũ per eos ducere uellet, transire eum omni modo prohiberent. Eo uero loco cõstituti quàm multorum Christianorum ad beatorum apostolorũ Petri & Pauli limina transeuntium sanguinem fuderint, ille scit solus numerum, qui eorum nomina tenet scripta in libro uiuentium. Perquam inique tibi rex Hugo regnum defendere conaris. Herodes ne terreno regno priuaretur, innocentes multos occidit: tu ut obtineas, nocentes & morte dignos dimittis: atq; utinã ea ratione nocentes illi uiuerent tunc, ne postmodum innocentes interimerent. Puto, seu quod uerius est, credo, te non legisse, imò nec audiuisse, qualiter iram domini incurrerit rex Israël Achab, dum regem Syriæ morte dignũ fœderatũ dimitteret Benadab. Vnus enim de filijs prophetarũ dixit ad Achab. Hæc dicit dñs, Quia dimisisti uirũ dignũ morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro pop. eius. Quod & factum est: uerũ quantũ tibi in hac re obfueris, stilus noster suis in locis opportunius enarrabit.

Hugonis cum Saracenis fœdus

In Hugonẽ

3. Reg. 20

De Amedeo Berengarij milite astuto, qui explorator in Italiam uenit, & de Hungaris ab Hugone in Hispaniam ablegatis. Cap. VIII.

TEmpore quo Berengarius ab Italia fugit, quendã secum Amedeum nomine militem duxit apprime nobilem: &, ut postmodum claruit, non Vlysse calliditate ac temeritate inferiorem. Fortissimus rex Otho quũ nõnullis impeditus rebus, tum quotannis ab Hugone rege muneribus immẽsis delinitus, Berengario copias parare non posset: ipse quem præfatus sum Amedeus Berengariũ ita conuenit, Nec clam te est, inquit, domine, quod inuisum se imperio duro rex Hugo cunctis Italicis effecerit: præsertim quum & cõcubinarum filijs ac Burgundionibus dignitates sit largitus, nec ullus inuenitur Italicus, qui nõ aut expulsus, aut dignitatibus omnino sit priuatus. Et quod in regem non aliquid moliuntur, hæc causa est: quoniam quidem quem sibi constituant principem, non habent. Si itaq; nostrũ aliquis mutato habitu, ne agnosceretur eò tenderet, eorumq; uoluntatem inquireret, consilium procuIdubio nobis bonum exculperet. Cui Berengarius, Te, inquit, tum commodius, tum nemo potest facere melius. Igitur Amedeus mutato habitu, cum pauperibus qui orationis gratia Romã tendunt, Romã quasi profecturus, Italiam petijt, principes cõuenit, & quid unusquisq; cordi haberet inquisiuit: neque enim eodem se omnibus habitu ostendebat: nunc niger alijs, subniueus alijs, maculosus alijs uidebatur. Verum fama malum quo non aliud uelocius ullũ Mobilitate uiget, cum in Italia esse auribus regis indicauit. Quẽ dum diligenter iuberet inquiri, ipse prolixam & pulcherrimam barbam pice adeo defœdauit, capillos subaureos nigredine immutauit, faciẽ deturpauit,

Explorandi ratio

Amedei calliditas

debilem finxit, adeo ut inter pauperes regis in præsentia comedentes se regi nudum ostenderet,& uestem ab eo qua indueretur acciperet,& quicquid rex de Berengario & ipso loqueretur audiret. Hoc deniq; modo cunctis diligentissime perscrutatis, non eodē modo quo uenerat cum oratoribus est regressus. Præceperat enim rex clausarum custodibus, ne quempiā transire permitterent, nisi prius quis esset diligenti inuestigatione inquirerent. Quod Amedeus audiens, per inuia quædam & aspera nulli custodita pertransijt, atq; ad Berengariū cum ea qua uoluit legatione peruenit. Hoc in tempore rex Hugo datis decem numorū modijs pacem cum Hungaris fecit, quos ab Italia acceptis obsidibus expulit, atq; in Hispaniā dato eis præduce direxit. Quod uero & ad Hispaniam & ad ciuitatem ipsam in qua rex morabatur, Cordubam non uenerint, hæc causa fuit, quoniam triduo per inaquosam & asperam uiam ducti, quum timerēt se siti perituros, præduce sibi ab Hugone concesso morte tenus uulnerato, celeriori cursu reuersi sunt.

De Berta Hugonis ex concubina filia Cōstantinopolim missa nuptum Romano iuniori. De fortitudine palatij Constantinopolitani: & qualiter Stephanus & Constantinus filij Romani, patrem suum è palatio & imperio eiecerint. Caput IX.

Berta HAc etiam eadem tempestate idem rex Hugo Bertam filiam suā quam ex meretrice Bezola ipse genuerat, per Sigefredū uenerabilē Parmēsis ecclesiæ antistitē Constantinopolim direxit Romano paruulo Constantini porphyrogeniti filio copulandā coniugio. Tenebatq; summū imperiū Romanus maior eiusq; filij duo Constantinus & Stephanus, quibus post Romanum præstabat Constantinus Leonis Imperatoris filius, cuius paruulus ex Helena Romani maioris filia natus iam nominatā Bertā, quam mutato nomine Græci Eudoxiam dixerant, uxorem duxerat. His itaq; quatuor imperantibus, Stephanus atq; Constantinus fratres ignorante Constantino Leonis Imperatoris filio aduersus Romanū patrem suum quædam dolosa machinabantur. *Impietas in parentes* Tædebat enim eos patris seueritate opposita quæcunq; uellent facere non licere. Vnde & malo mox accepto consilio quatenus patrem deijcerent pertractabant. Constantinopolitanū palatium nō pulchritudine solum, uerumetiā fortitudine omnibus quas unq; uiderim munitionibus præstat, quod etiā iugi militū stipatione nō minima obseruatur. Moris itaq; est hoc, post matutinum diluculum mox omnibus patere: post tertiam uero diei horam emissis omnibus dato signo quod est mis, usq; in horam nonā cunctis aditū prohibere. In hoc igit Romanus aureo triclinio quæ præstantior est pars potentissime degens, cæteras partes palatij genero Cōstantino filijsq; suis Stephano & Constantino distribuerat. Hi denique duo, ut prædiximus, nō ferentes patris iustā seueritatē, in cubiculis suis multis copijs congregatis, diē constituerunt, quando patrē deijcere, soliq; ipsi possent regnare.

Quumq;

Quumq; dies aduenirer optata, cunctis de palatio iuxta more egressis, Stephanus & Constantinus facta congressione super patre irruunt, eumq; de palatio omnibus ignorantibus deponunt, & ad uicina insulam in qua cœnobitarum multitudo philosophabat, tonso ei, ut moris est, capite, ad philosophandu transmittut. Fit q; mox multirumiger Constantinopoli sonitus, Romanu quide eiectum, Constantinu uero eius generu alij interfectu clamitabant. Nec mora, totius populi ad palatiu fit cocursus. Romanus quasi Imperator abusiuus no requirit, ueru an supersit Constantinus ab omnibus pcontat. Quu seditio inquisitionis no modica fieret pro Costantino, rogantibus Stephano & Constantino, ex ea parte qua zucanistrij magnitudo portendit, Constantinus p cancellos crines solutus caput exposuit, suaq; ostensione populi mox tumultu sedauit, ac in propria queq; repedare coegit. Quod factu graue duobus fratribus ingessit dolore. Quid pfuit, inqunt, q abdicato patre, aliu qui no pater est dnm sustinemus? Tolerabilius enim decentiusq; paterna q extera pateremur dominatione. Quid illud, aiunt, quod in huius auxiliu no solum propriæ, sed extere uenere nationes? Sigefridus quippe episcopus regis Hugonis nuncius, assumptis secu suæ linguæ nationibus a Meluatinis, Romanis, Caietanis nobis ad interitum huic præsidio fuit. Romanus imperio eijcitur

De eisdem Stephano & Constantino, qui Constantinum Leonis filium conati sunt eijcere, à quo & ipsi sunt capti fraude Diabolini, atq; in monasterium apud patrem qui eos lepide redarguit missi. Caput X.

His dictis armatorum manibus cubicula pro parte complent. Quibus Diabolinus præfuit, qui & eorum animorum incensor, & post paululu proditor extitit, Constantinum deniq; libris incumbente ita conuenit: Quæ tibi incommoda & à Stephano & à Costantino fratribus, imò inimicis tuis præparentur, isthæc quæ in te uetus permanet religio ignorat. Si enim infortunia tibi parata cognosceres, quatenùs posses uiuere cogitares. Vxoris tuæ fratres Stephanus & Constantinus, armatorum manibus congregatis, atq; in cubiculis iam conclusis te no ut patrem de palatio expellere, uerum hic cogitant interficere. Occasio autem tui interitus hæc erit, Cœnatum te post triduum Constantinus & Stephanus inuitabunt. Quumq; sessionis tuæ medium excellentiæ tuæ quatenus moris est, obtinere tentabis, percusso mox scuto, inclusi de cubiculo exilient, tuamq; fuso sanguine uitam finient. Fidem autem si relatis exposcis, usque inpræsentiarum affirmo argumentis, quoniam conclusorum tibi personas rimis ostendo: deinde quod saluti solennius est tuæ, ostioru tibi claues trado. His auditis Constantinus, Age, infit, ut coniuratorum prodidisti perfidiam, quatenus deuincam hanc exprime sententia. No enim tam mihi salus mea chara, q pietas erit in referenda gratia iocunda. Cui Diabolinus, No enim, inquit, clam te est, Macedones tum tibi deuotos, tum bello duros existere: mittito itaq; ac cubilia propria, Stephano Diabolinus

& Constantino ignorantibus, eis suffarcinato. Quumq; designata dies conuiuij aduenerit, atq; ob sessionis fastum si tumultus irrepserit, dato signo, ut præfatus sum, pcusso scilicet clypeo, quū illorū manus armatorū præsidio eis esse nō poterit, tui mox ex improuiso prosiliant, eosq; tanto cōmodius, quanto insperatius capiant, atq; ad uicinū monasteriū, ad quod patrem suū, socerū tuum miserant: tonsis, ut moris est, capitibus, philosophatū transmittāt. Diuinæ siquidem rectitudo iustitiæ tuum negociū secundabit, cuius recompensatio ne in patrē peccarēt illos nō terruit, & te ne offenderes custodiuit. Quod iusto dei iudicio ita accidisse, nō solū Europa, sed & Asia nūc cātat, & Aphrica. Designato etenim die, dū simulata pace Constantinū hūc, & Stephanus & Cōstantinus fratres ad conuiuiū inuitarent, & ob sessionis fastū tumultus insurgeret, percusso, ut dictū est, scuto Macedones ex insperato proruūt, duosq; fratres Stephanū & Constantinū q; mox cōprehensos, capite tonsos, ad uicinā insulā, ad quam patrem suum ablegarant, philosophatū mittūt.

De Romani in filios irrisione, & oratione ac prece, quā contra eos egit, gratias agens deo, quod impietatis pœnas darent, & quomodo filij eius custodiæ addicti fuerint. Caput XI.

Quorum pater Basileus Romanus aduentū ut audiuit, gratiarumactiones deo exhibuit, eisq; extra monasterij fores læta facie obuians, Festiuum, inquit, tempus, quod humilitatē nostrā imperium uestrū uisitare coēgit. Charitas puto, quæ me de palatio expulit, filiationē uestram non ibi diu permanere permisit. O factū bene, quod me pridem præmisistis. Cōfratres enim mei & cōmilitones mei, supernæ tantū philosophiæ incumbentes, qualiter Imperatores susciperent ignorarent, si nō me iamdudū imperialibus institutis tritum haberent. Parata iam frigidior occiduis aqua decocta pruinis, Dulces adsunt fabæ, lachana, porriq; recentes. Non hic marinæ delitiæ morbos, sed crebra potius ieiunia creant. Turbam uero hanc tantam, tam sumptuosa modicitas nostra non recipit, uestrum solummodo imperium suscipit, quod ne paternam deserat senectutem, aduenit. Romano hæc & huiusmodi perstringente, Stephanus & Constantinus filij pudibundo contuentes lumine terram, quàm inuite monasterium peterent, nō est percontari necesse, sed credere. Expansis itaq; post hæc manibus ad altare Romanus ante crepidinem fusus, huiusmodi cum lachrymis deo preces effudit,

Romanus filijs illudit

Christe pater cum quo pater est & spiritus unum
Iure patris uerbum: per quod pater omnia mundo
Ostendit secreta poli, seu mystica pandens:
Respice figmentum propria bonitate creatum:
Ne patiare precor me dæmonis arte perire,
Sanguine quem sacro uoluisti reddere uitæ:
Da deus ut mundi pompas calcare superbas

Iam

Iam ualeam: sistatq́ procul corruptor iniquus:
Cui labor est animas semper fœdare beatas.
Imperium libuit, quum sceptra tuli, haud placet: ergo
Gratia sit tibi, dignatus quod pellere iniquos,
Imperij teneant solium ne forte paternum.

His ita gestis, Stephanus atq; Cōstantinus custodia iugi obseruant, patrē ea quæ acciderant æquanimiter perferente. Aiunt enī hunc, & sub attestatione confirmant, dum à fratribus lentis ob purgationē culparetur, respondisse: quod luculentius regnaret, qui seruorum dei humilitatibus deseruiret, quàm qui potentibus mundi peccatoribus imperaret. *Pium Romani dictum*

De aduentu Berengarij desyderati in Italiam. Et quur Manasses Arelatensis eius partibus fauit. Et de Milone ac alijs, qui deserto Hugone, ad Berengarium transfugerunt. Et Berengarij in regnū restitutione. Cap. XII.

DEsyderatus interea Berengarius ex Sueuorum partibus paucis ipsum comitantibus à Sueuia per uenustam uallem Italiā petijt, applicuitq́ castra secus munitionem uocabulo Formicariam, quæ à Manasse, ut iam prędiximus, sedis Arelatensis archiepiscopo, tuncq́ Tridentinæ, Veronēsis, atq; Mantuanæ sedium inuasore, Adelhardi eius clerici erat uigiliæ cōmendata. Quūq; Berengarius nullius machinamenti apparatu, nulliusq́ belli impetu hanc se capere posse cōspiceret, Manassis ambitionem & κενοδοξίαν, id est, uanam gloriā cognoscens, Adelhardū ad se uenire coēgit, cui & ait, Si munitionē hanc potestati meæ tradideris, dominumq́ tuū Manassen ad adiutoriū meū inflectere potueris, illum in cathedrā promoueo Mediolani archiepiscopatus, te uero Cumani episcopatus dignitate post acceptā regni potestatē donabo. Et ut promittenti mihi fidem admittas, quod uerbis spondeo, iuramentis affirmo. Hæc dum Manassi ab Adelhardo narrant, tum ille munitionē non solū Berengario dari iussit, uerumetiā Italos omnes in eius auxiliū inuitauit. Fama igit, malū quo nō aliud uelocius ullū Mobilitate uiget, Berengarij aduentū q; mox omnibus nunciauit. Cœperūt mox nōnulli Hugone deserto, adhærere Berengario. Horū Milo præpotēs primus, qui dum Hugoni suspectus, appositis clàm custodibus, obseruaret: simulatus se nō intelligere custodiri, fermè cœnam usq; ad noctis protraxit mediū. Quūq; omnes tum uino, tū somno aggrauati, corpora quieti traderēt, solo se eo qui portauerat clypeū comitāte, Veronā percitus peruenit, directisq́ nuncijs, Berengariū exciuit, quē & in Verona quo Hugoni firmius resisteret suscepit. Sanè nulla hunc infidelitas ab Hugone diuisit, uerū illata ipsi ab eodem nonnulla incōmoda, quæ iam diu sustinere non potuit. Prosequit hunc Vuido præsul Mutinēsis ecclesię, nō iniuria lacessitus, sed maxima illa abbatia Nonantula, quam & tunc acquisiuit, animatus. Qui Hugonē nō solū deseruit, uerumetiā multorū multitudinē secum abstulit. Quod Hugo ut audiuit, congregatis copijs ad

Corruptela munerum

Milo transfuga

ꝯs, Vineolã pijs, ad eius castrũ†Niueolam uenit, idq́ uiriliter, sed inutiliter oppugnauit. Quod q̃ mendacij alienũ sit, sentẽtia subsequens declarabit. Nã dum eodẽ loco degeret, Berengarius ab Harderico archiepiscopo accitus, Veronã deseruit, ac Mediolanũ concitus uenit. Quo audito rex Hugo, Papiã tristis uenit. Cœperunt interea omnes Italiȩ primates omine nõ bono Hugonẽ deserere, & egenti Berengario adhærere. Egentẽ autem non nihil possidentẽ, sed cui nunquam quicquam satis est aio. Quoniã improbi & auari, qui incertas atq́ in casu positas possessiones habẽt, & plus semper appetunt, nec eorũ quisq́ adhuc sibi sufficiens inuentus est, cui quod haberet esset satis, nõ modo non copiosi diuites, sed etiã pauperes & inopes existimandi sunt. Soli enim sunt diuites, & fructuosas ac sempiternas possessiones possidentes, qui suis rebus contenti satis esse putant, quod est. Non esse cupidũ, uera pecunia est. Non esse emacem, uectigal est. Fateamur ergo, uter est ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cui possessio quo est maior, eo plus requirit ad se tuendũ: an qui se suis uiribus sustinet? Contentum etenim suis rebus esse, maximæ sunt certissimæq́ diuitiæ. Verũ de hoc nunc id dictũ esse sufficiat. Ad Berengariũ stili initium redeat, cuius in aduentũ aureum omnes seculũ promittebant, & felicia, quæ talem extulerant, tempora clamitabant.

Auaritiæ descriptio

Diuites qui

Quomodo rex Hugo Lotharium filiũ suum Mediolanum misit, ad concitandam miserationem Italorũ. De Berengarij astutia. De Ioseph Brixiano ep̃o. Et de Vualdonis ep̃i iniquitate. Cap. XIII.

Hugo pro filio intercedit

EO nanq́ Mediolani degente, ac Italicas dignitates sibi adhȩrentibus dispensante, rex Hugo Lotharium filium suum nõ ad Berengarium solũ, uerum ad totius populi præsentiam dirigit, petens, quia se eis non morigerũ abdicauerunt, filium qui nil in eos deliquerat, saltẽ pro dei amore suscipiant, ac uoluntatibus eorum morigerum reddant. Lothario deniq́ Mediolanum petente, Rex Hugo Papia omni cum pecunia egressus, Italiam deserere, atq́ in Burgundiam ire cogitauit. Sed res ista eum retinuit, quoniam dum misericordia inclinati, Lotharium in ecclesia beatorum confessoris & martyrum Ambrosij, Geruasij, & Prothasij ante crucem prostratum erigerent, & regem sibi constituerent, quamprimum ad Hugonem dirigũt nuncium, per quem illum iterum super se regnare promittunt. Hoc plane consilium, imò deceptionem, non omnes, sed Berengarius (ut erat calliditate suffarcinatus) adinuenit, non quo hos regnare disponeret, sed uti post claruit, ne Hugo discederet, atque immensa pecunia, quam habebat, Burgundionum atque aliarum gentium super se populos inuitaret. Hoc tempore Ioseph quidam moribus senex, diebus iuuenis, ciuitatis Brixianæ clarebat episcopus. Quem Berengarius, ut erat tyrannus uehemens, ob morum probitatem episcopatu priuauit, eius'que loco Antonium, qui nunc usque superest, nullo consilio habito, nulla episcoporum deliberatione, constituit. Sed & Cumis tunc nõ Adelhardum,

Berengarij uersutia

Ioseph

hardum, ut iurauerat, uerum ob Mediolanensis episcopi amorem Vualdonem quendam ordinauit. Quod quàm bene fecerit, subditorum depopulatio, uitium incisio, arborum decorticatio, multorum oculorum excussio, simultatis sæpissima repetitio, tum signis, tum gemitibus narrant. Adelhardum autem Regiensi præfecit ecclesiæ.

Vualdonis tyrannis

Quur Berengarius Placentinũ & Papiensem episcopos dimiserit, & quur Liuthbrandum autorem huius operis parentes sui Berengario commendarint, factusq; sit eiusdem à secretis. Item quomodo Hugo desperans de uictoria, cum omni pecunia in prouinciã aufugerit. Et quomodo ad eum Raimundus Aquitanorum princeps uenerit, eidem militaturus. Et de Hugonis obitu. Cap. XIIII.

BOsonem uero Hugonis regis spurium Placentinæ sedis, & Liutefredum Papiensis ecclesiæ expellere episcopos cogitauit. Verum intercedẽte precio, ob dei amorem eos se dimisisse simulauit. Quàm immensum tunc Italis gaudium? Alterum Dauid uenisse latrabant. Sed & magno Carolo hũc cæca mente præferebant. Quanquam enim iterato reges Hugonẽ atq; Lotharium Italici susciperent: Berengarium tamen nomine solum marchionem, potestate uero regem: illos uocabulo reges, actu autem neq; pro comitibus habebant. Quid plura? Tanta hac Berẽgarij fama, humanitate, liberalitate, parentes acciti mei, ei ad seruiendum me tradunt. Cui etiam immensis oblatis muneribus, secretorum eius conscium, ac epistolarum constituunt signatorẽ. Cui quum fideliter longo tempore deseruirem, hac me quam prosecuturus sum suis in locis, mercede donauit. Verum hæc retributio penè me ad desperationem usq; pertraheret, si in re consimili cõsocios plurimos nõ excederet. De isto enim pulchre dictum accipimus: pennæ struthionis similes sunt pennis accipitris & herodij. Quum tempus aduenerit, in altum alas erigit, deridet equitem & ascensorem eius. Hic enim superstitibus Hugone & Lothario magnus, uoraxq; struthio non bonus, sed bono similis est uisus. Eis autem decedentibus, & ad regni fastigia omnibus illum promouentibus, quantum alas erexerit, quantisq; diludijs nos omnes irriserit, non tam uerbis q̃ suspirijs ac gemitibus narro. Sed his omissis, ad narrandi seriem redeamus.

Liuthprãdus Berengario à secretis

Berengarij ingratitudo

Rex Hugo quum diuinam animaduersionẽ declinare, ac Berengario præesse non posset, relicto Lothario, & simulata pace, Berengarij fidei tradito, in prouinciã omni cum pecunia properauit. Quo audito Raimundus Aquitanorum princeps eum adijt, & pro minis mille se in militem dedit, fidemq; ei iuramento seruaturum affirmauit, etiam congregatis copijs Italiam ingressurum, ac Berengarium debellarum esse promisit. Quod quanto nos omnes cachinno affecerit, gentis illius uilitas palam facit, quæ & si præsidio esse posset, ad effectum tamen haudquaquam perduceret. Quoniamquidẽ uocante domino, Hugo rex breui est uiam uniuersæ carnis ingressus, Bertæ nepti

Hugonis mors

suæ

suæ Bosonis Atelatensis comitis uiduæ pecunia derelicta. Quam etiã breui spatio intercedente, memoratus Raimundus impudentissimæ gentis princeps impurior sibi maritã effecerat, cuius non solum concubitu, uerumetiam osculo indignũ elegantes formarũ inspectores eum esse confirmant.

De uxore Berengarij accusata crimine incesti, & quomodo sit purgata. Item de pecunia, quam Berengarius causa Hungarorũ pauperibus & ecclesijs dei extorsit. Caput XV.

HVius hoc in tempore soror Berengarij scilicet uxor Vuilla passa est crimen incesti. Quod ita uerum esse non solum aulici uel cubicularij, uerũ aucupes & cupedinarij clamant. Habuit etiam ea presbyterulum capellanũ nomine Dominicum, statura breuem, colore fuligineum, rusticum, setigerũ, indocilem, agrestem, barbarũ, durum, uillosum, petulcum, insanũ, rebellem, iniquum, cuius magisterio duas Vuilla commendarat natas, Gislam scilicet atq; Gerbertam, ut eas literarũ scientia epotaret. Occasione itaq; puellarũ, quas presbyter Dominicus hirsutus, illotus, facete docebat, mater ei propitia uerat, ut uisa ingrata ac tenax, hinc existeret larga. Sententia tamen ueritatis quæ ait, Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod nõ in publicũ ueniat, diu ignorare homines passa non est. Nam quũ nocte quadã Berengario absente ad cubile dominicũ more solito hirsutus idem uellet accedere, canis hunc morsu uehemẽti laniauit. Consurgẽtes deniq; qui in domo erãt, quum eum comprehenderent, & quò iret interrogarent, apologeticum istud anticipãdo domina dedit: Ad mulieres nostras ibat perditus. Sperans itaq; presbyterulus sibi leuius fore, si teneret sententiã dominæ suæ, Ita est inquit. Cœpit itaq; domina uitæ eius insidiari, preciumq; promittere, si esset qui uitam ei auferret. Sed quum timerent omnes deum, & mors eius differret, peruenit ad Berengarium sermo. Vuilla uero cœpit aruspices, maleficosq; inquirere, quo eorum carminibus iuuaretur. Vtrum autem horum carminibus, an Berẽgarij adiuta sit mollitie, nescio: adeo mẽs eius est inclinata, ut sponte maritali submitteret ora capistro. Presbyterulus itaq; quia ad dominæ asseclas adhinniuit, uirilibus amputatis dimittitur. Domina uero magis à Berẽgario diligitur. Dixerunt autem qui eum eunuchizauerunt, quod merito illum domina amaret, quem priapeia arma portare constaret. Per idem tempus Taxis Hungarorum rex magno cum exercitu in Italiam uenit, cui Berengarius nõ ex propria pecunia, sed ex ecclesiarum ac pauperũ collectione decem modios numorum dedit. Fecit autem hoc non ut populi curam haberet, sed ut hac occasione magnam pecuniã congregaret. Quod & fecit. In omni enim ætate utriusq; sexus, tamq; ablactatus, quàm lactens pro se numum dedit: quibus æs commiscens, ex paucis decem modios fecit, cæteram uero partem, & quicquid ex ecclesijs tulit, sibi retinuit.

Amasij Vuillæ odiosa descriptio

Callide

Presbyter castratur

Taxis

Tributũ dolo exactum

Liuthprandi

LIVTHPRANDI TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE, LIBER SEXTVS.



EMPORIS instantis qualitas Tragœdũ me potius, quàm historiographũ quæreret, nisi pararet dominus in cõspectu meo mẽsam aduersus eos qui tribulant me. Explicare enim non possum, quot peregre profectus quatiar incõmoditatibus, iuuatq́ hominẽ exteriorẽ potius lugere, quàm scribere. Interior uero apostolicis cõfirmatus institutis, in huiusmodi tribulationibus gloriatur, sciẽs quod tribulatio patientiã operatur: patientia autem probationẽ: probatio uero spem: spes autẽ non confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritũ sanctũ, qui datus est nobis. Pareat itaq; interiori exterior, suaq́ infortunia nõ solum nõ exhorreat, uerũ in his potius conquiescat: dumq́ scribendo operã dans, fortunę rota hos extolli, illos deprimi dixerit, præsentẽ incõmoditatẽ minus sentiet, eiusq́ mutabilitati congaudens, deteriora, quod fieri nequit, nisi mors aut membrorũ debilitatio intercedat, iam nõ metuat, sed fortunata semper expectet. Instantia enim si maturauerit, salutem quę deest afferet: infortunatũ quod adest expellet. Scribat itaq;, & superioribus ueris hæc quæ sequuntur uera adiungat. *Liuthprandi patientia*

De oratore à Constantino Imp. ad Berengariũ misso cum literis, quibus illi Lotharij custodiã cõmendabat, oratoremq́ ab eo petebat, quem ut sine sumptu mitteret, Liuthprandum impensis uitrici sui misit. Cap. I.

REge Hugone prouinciæ in partibus defuncto, Berẽgarij nomen celebre apud nonnullos, præsertim apud Græcas extitit nationes. Is enim Italicis omnibus principabat̃ uirtute: rex uero Lotharius solo nomine. Constantinus itaque qui deiectis Romano, filijsq́ eius, Constantinopoleos regebat imperiũ: audito Berengariũ potentia præstare Lothario, per Andreã, qui ab officio comes curiæ dicebat̃, literas Berengario dirigit, in quibus continebat̃ uehementer se Berengarij nuncium uelle uidere, cuius in reditu cognosceret, quanta eum charitate diligeret. Scripsit etiã & cõmendatitias literas eidẽ pro Lothario, ut fidelis ei esset administrator, cui deo largiente extiterat gubernator. Constantinus nanq; solicitudinẽ non paruã Lotharij pro salute habebat, religiose ob amorẽ nurus suæ cogitans, quæ Lotharij soror extiterat.

Berengarius itaq; calliditate suffarcinatus, cogitans quem potissimũ mitteret, cui nil impensæ ob itineris longinquitatẽ præberet: uitricũ meũ, cuius tũc sub cura degebã, cõueniens. Quanti, inquit, esset priuignũ tuũ Gręcas literas non ignorare? Cui quum diceret: Vtinã diuitiarũ mearum ea gratia partem mediã distributã haberẽ. Nõ necesse, inquit, habes, neq; centesimã impartiri. Constantinopolitanus Imperator literis ut meũ ad se nunciũ dirigam, orat. Quod tum ob animi constantiã nemo melius, tum ob dicendi copiã nemo cõmodius facere potest. Quid dicã, q̃ facile doctrinas ebibet Græcas, qui tã

puerilibus in annis epotauit latinas ? Hac spe q; mox uitricus animatus, impẽsas oẽs distribuit, meq; magnis cũ muneribus Cõstantinopolim direxit.

Quo tempore Liuthprandus tanquam orator Berengarij Constantinopolim uenerit, Papia egressus, & de mirabili Imperatoris domo, quæ Magnaura aut potius Megaula aut Megaron dicta est: & susceptione nunciorũ: & miris ibidẽ ostensis in arbore & solio Imperatoris. Caput II.

DIe quippe Kalendarũ Augustarũ Papia exiẽs, per Eridani alueũ triduo Venetias ueni, ubi & Salomonẽ comitẽ Græcorũ, nunciũ χιτωνίτην eunuchum repperi ab Hispania & Saxonia regressum Constantinopolim uersus tendere cupientẽ, secumq; ducentẽ dñi nostri tunc regis, nunc Imp. magnis cum muneribus nunciũ Liutefredum scilicet Maguntinũ institorẽ dignissimum. Octauo autẽ Kalend. Septembris die Venetijs egressi, xv. Kalend. Octobris Constantinopolim uenimus, ubi q; inaudito miroq; modo simus excepti, scribere non pigebit. Est Constantinopoli domus palatio cõtigua miræ magnitudinis ac pulchritudinis, quæ à Græcis ρ loco λ posita †Megaura quasi magna aura pro aula dicitur. Hanc itaq; Constantinus, tum ob Hispanorũ nuncios, qui tunc nouiter eò uenerant: tum ob me & Liutefredũ hoc modo parari iussit. Ærea sed deaurata quædã arbor ante Imperatoris oculos stabat, cuius ramos itidẽ æreæ diuersi generis, deauratæq; uolucres replebant, quæ secundũ species suas diuersarũ auium uoces emittebant. In primis uero solium huiusmodi erat arte compositũ, ut in momento humile, excelsius modo, q; mox uideretur sublime. Sed sedile quod erat immensæ magnitudinis incertũ utrum ærei an lignei, uerũ auro tecti leones quasi custodiebant. In hac igitur duorũ eunuchorũ humeris incumbens, ante Imperatoris præsentiã sum deductus. Quumq; in aduentu meo leones rugitum emitterent, aues secundũ species suas perstreperẽt, nullo sum terrore, nulla admiratione cõmotus: quoniam quidẽ ex his omnibus eos qui bene nouerant, fueram percontatus. Tertio itaq; Imperatorẽ pronus adorans caput sustuli, & quẽ prius moderata mensura à terra eleuatũ sedere uidi, mox alijs indutũ uestibus penes domus laquear sedere prospexi. Quod qualiter fieret, cogitare nõ potui, nisi forte eo sit subuectus argalio, quo torculariũ arbores subuehunt. Per se autẽ tunc nihil loquutus: quoniã & si uellet, intercapedo maxima indecorum faceret, de uita Berengarij & sospitate per Logothetã est percontatus. Cui quum consequenter respondissem, interprete sum innuente egressus, & in datum mihi hospitium mox receptus.

al. μέγαρον

Quæ dona Liuthprandus proprijs impẽsis, licet nomine Berẽgarij Imperatori Constantino obtulerit: & quæ ab Imperatore uicissim munera susceperit, & in domum imperatoriam quæ decaennea cubita dicuntur admissus miranda dona ac poma uiderit. Cap. III.

SEd nec hæc pigeat memorare, quid tunc pro Berengario egerim, scilicet

ut agno-

ut agnoſcatur, quanta eũ charitate dilexerim, & cuiuſmodi recompenſationẽ pro bene geſtis acceperim. Hiſpanorũ nuncij, & nominatus Liuthfredus domini noſtri tunc regis Othonis nuncius magna ex eorũ parte dominorũ munera Imperatori Cõſtantino detulerant. Ego Berengarij ex parte nihil præter epiſtolã, & hanc mendacio plenã detulerã. Æſtuabat itaq; non parũ hac pro uerecundia animus, & quid ſuper hac re faceret cogitabat attentus. Æſtuanti autẽ mihi, & nimiũ fluctuãti, meus animus ſuggeſſit, quatenus dona quæ Imperatori mea ex parte detulerã, Berẽgarij ex parte conferrẽ, paruũq; munus prout poſſem uerbis ornarẽ. Obtuli aũt loricas optimas ix. ſcuta optima cum bullis deauratis vij. cuppas argenteas, deauratas duas: enſes, lanceas, uerua, mancipia: quatuor carſamatia, Imperatori nominatis omnibus precioſiora. Carſamatiũ autẽ Græci uocant, amputatis uirilibus & uirga puerum eunuchũ: quos Verdunenſes mercatores ob immenſum lucrum facere ſolent, & in Hiſpaniã ducere. His itaq; geſtis, Imperator me poſt triduum ad palatiũ uocari præcepit, proprioq; mecũ ore loquutus, ad conuiuiũ inuitauit. Poſtq; conuiuiũ magno me meoſq; aſſeclas munere donauit. Verũ quia narrandi ſe occaſio intulit, qualis eius menſa feſtis prçcipue diebus, qualeſq; ad menſam ludi celebrẽt, bonum opinor nõ ſilere, ſed ſcribere. Eſt domus iuxta Hippodromũ, Aquilonẽ uerſus miræ & altitudinis & pulchritudinis, quæ decaennea cubita uocať. Quod nomen non ab re, ſed ex apparentibus cauſis ſortita eſt: δέκα enim Græce, Latine decem: ἐννέα nouem: cubita aut à cubando inclinata, uel curuata poſſumus dicere. Hoc aũt ideo, quoniamquidem, xix. menſæ in ea quæ ſecundũ carnẽ eſt domini noſtri Ieſu Chriſti natiuitate apponunť. In quibus Imperator pariter & conuiuæ non ſedendo ut cæteris diebus, ſed recumbendo epulanť. Quibus in diebus non argenteis, ſed tantum aureis uaſis miniſtrať. Poſt cibũ autẽ aureis uaſis tribus ſunt poma delata, quæ ob immenſum pondus non hominũ manibus, ſed purpura tectis uehiculis ſunt allata. Apponuntur aũt duo hoc modo: In menſa per foramina laquearis tres ſunt funes pellibus deauratis tecti, cum anulis aureis depoſiti, qui anſis quæ in ſcutulis prominent poſiti, adiuuãtibus inferius quatuor aut eo amplius hominibus, per uertibile quod ſupra laquearium eſt ergalium in menſam ſubuehũtur, eodemq; modo deponuntur. Ludos deniq; quos ibi perſpexerim, quia nimis longum eſt ſcribere prætermitto: unum ſolummodo ob admirationem hic inſerere nõ pigebit.

Conuiuiorum apparatus

De mirabili ſpectaculo ligni in fronte portati, & puerorum ſuper ipſum ludentium, & de familiari Imperatoris cum Liuthprando ſuper ea re diſquiſitione. Caput IIII.

VEnit quidam uigintiquatuor & eo amplius pedum longitudinis lignũ ſine manuum adminiculis in fronte gerens, quod cubitũ à ſummitate inferius, bicubitum tranſuerſum in fronte habuerat. Adducti ſunt autẽ duo

pueri nudi,sed campestrati,id est,succinctoria habentes,qui per lignũ ascen-dentes,ita seruauerũt immobile,ac si radicitus terræ esset affixũ. Deniq; post unius descẽsum alter qui remanserat,eódemq; solus luserat,ampliori me ad-miratione attonitũ reddidit.Quoquo modo enim quoadusq; luserant,lignũ per quod ascenderant gubernabãt.Vnus uero qui in ligni summitate reman sit,quia ita se æqualiter ponderauit,ut & luserit ac sanus descẽderit,ita me stu pidũ reddidit,ut ipsum etiã Imperatorẽ mea admiratio nõ lateret. Vnde & accersito interprete,quid mihi cæteris mirabilius uideret sciscitatus est : puer ne qui se adeo moderate rexerat, ut immobile esset lignũ: an is qui ipsum in fronte tam argumentose tenuerat, ut puerorũ neq; pondus, neq; ludus illud uel modicũ flecteret.Quumq; me ignorare quid mihi θαυμαστότερον.i.mira bilius uideret edicerẽ,magno inflatus cachinno se similiter nescire respõdit.

Circulatorij ludi genus

De erogatione numismatũ & aliorũ donorũ pro ueteri Imperatoris Græci more ante diẽ palmarũ in magistratus & clientes imperatorios. Cap. V.

SEd ne hoc silẽtio prætereundũ esse arbitror,quid noui miriq; aliud ibidẽ perspexerim.In ea quæ est ante βαϊοφόρον,quod nos palmarũ ramos di-cimus,hebdomade,tam in militibus q; in diuersis constitutis officijs numis-matum aureorum erogationẽ prout cuiusq; meretur officiũ,Imperator facit. Cui erogationi quia me interesse uoluit, me uenire præcepit.Fuit autẽ huius-modi:Erat apposita decẽ cubitorũ longitudinis,ac quatuor latitudinis men-sa,quæ numismata loculis cõgregata,prout cuiq; dabat,numeris extrinsecus in loculis scriptis retinebat.Ingrediebantur deniq; ad Imperatorem non con fuse,sed ordinatim secundũ uocantis uocem quæ scripta uirorum nomina se-cundũ officij dignitatẽ recitabat. Quorũ primus uocatus est rector domus, cui nõ in manibus, sed in humeris posita sunt numismata cum scaramangis quatuor. Post quem ὁ domesticostos Ascalonas, & ὁ de Longaristis Ploas sunt uocati:quorũ alter militibus, nauigantibus præerat alter. Hi itaq; paris numeri, quia dignitas par erat, numismata & scaramanga suscipientes, præ multitudine non iam in humeris portauerunt,sed adiuuantibus alijs,post se cum labore traxerunt.Post hos admissi sunt magistri numero xxiiij.quibus erogatæ sunt numismatum aureorum libræ,unicuiq; secundum eundem nu-merum uigintiquatuor cum scaramangis duobus. Patriciorum deinde ordo hos ponè est sequutus,& duodecim numismatũ libris cum scaramanga una donatus. Qui sicut nec patriciorum,ita nec librarum nisi quod unicuique da-batur,numerum nescio.Turba post hos immensa uocatur, protospatariorũ, spatariorum,candidatorum,& id genus clientum.

FINIS DE REBVS VISIS IN GRAECIA, QVIBVS QVIA & alias superaddere proposuerat:nouum de rebus Othonis Augusti exorsus est librũ,quẽ tamen ob breuitatẽ superiori addidimus.

De Othone primo Imperatore,& legatis ad eũ missis, & qualiter ecclesiã Romanam.

Romanã,ac totam Italiam tyrannis liberauit,imperijq; unctionẽ & insignia cum iuramento Ioannis papæ non diu in fide permansuri accepit. De Romanorum,de dicti papæ sacrilegijs,incestis,stupris,& alijs flagitijs querimonia: & papæ ficta promissione de emendanda uita: & acri Imperatoris in eum recriminatione:& eius,hoc est,papæ obstinatione, qui Adelbertum recepit:de utriusq; eiectione:& synodo Romæ celebrata. Cap. VI.

Regnantibus,imò sæuientibus in Italia,& ut uerius fateamur, tyrannidẽ exercentibus, Berengario atq; Adelberto,Ioannes summus pontifex & uniuersalis papa,cuius tunc ecclesia supradictorũ Berengarij atq; Adelberti sæuitiam erat experta,legatos sanctæ Romanę ecclesiæ,Ioannẽ uidelicet cardinalẽ,diaconũ,& Azonem scriniarũ serenissimo atq; pijssimo tunc regi,nũc Augusto Cæsari Othoni destinauit, suppliciter literis & regũ signis orans, quatenus pro dei amore,sanctorumq; apostolorum Petri & Pauli,quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se sibiq; cõmissam sanctam Ro. ecclesiã ex suorum faucibus liberaret,ac saluti & libertati pristinæ restitueret. *Berengarij tyrannis*

Hæc dum Romani legati conqueruntur,uir uenerabilis Vualbertus, sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopus semiuiuus ex prędictorũ rabie Berengarij atq; Adelberti liberatus,superius memorati Othonis potentiam adijt, indicans se nõ posse pati Berengarij Adelbertiq;, necnon Vuillæ sæuitiam, quæ Manassen Arelatensem episcopũ contra ius fasq; Mediolanensis ecclesiæ sedi præfecerat.Aiebat sanè hanc ecclesiæ suæ calamitatem, quæ quod se suosq; capere oporteret,interciperet. Sed Vualdo Cumanus episcopus hũc ponè est sequutus, nõ disparẽ à Berengario atq; Adelberto & Vuilla,quàm Vualbertũ contumeliã se esse perpessum clamitans. Venerant & nonnulli alterius ordinis ex Italia uiri, quos inter illustris marchio Otbertus cum apostolicis cucurrerat nuncijs,à sanctissimo Othone tunc rege,ut dixi,nunc Augusto Cæsare,consilium auxiliumq; expetẽs. Horum itaq; rex pijssimus lachrymosis questibus inclinatus,nõ quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi cogitans, filium suũ sibi cognominẽ contra morem puerilibus in annis regẽ constitutum in Saxonia dereliquit: ipse collectis copijs, in Italiã percitus uenit. *Vualberti querela* *Vuilla,id est, calamitas*

Qui tanto Berengarium atq; Adelbertũ celerius regno expulit, quanto euidentius constat, quod cõmilitones Petrum & Paulum sanctissimos apostolos habuit.Bonus itaq; rex dispersa colligens,& cõfracta consolidans, quod cuiq; proprium fuit restituit. Dehinc Romã similia facturus adijt, ubi miro ornatu,miroq; apparatu susceptus, ab eodem summo pontifice & uniuersali papa Ioanne unctionem suscepit imperij.Cui nõ solum propria restituit,uerumetiam ingentibus gemmarũ,auri & argẽti muneribus ipsum honorauit. Iusiurandũ uero ab eodẽ papa Ioanne supra preciosissimũ corpus Petri,atq; omnibus ciuitatis proceribus, se nunq; Berengario atq; Adelberto auxiliaturũ,accepit.Post hæc in patriã properãter repedauit.Interea præfatus papa *Otho tyrannidis exactor* *Imp. unctio*

iuramenti & promissionis oblitus, quam fecerat sancto Imperatori, ad Adelbertum ut se adeat mittit, iuramento ei affirmans se illum contra sanctissimi Imperatoris potentiam adiuturum. Adeo enim eundem Adelbertum ecclesiarum dei, eiusdemq; papæ Ioannis persequutorem Imperator sanctus terruerat, ut omnem Italiam deserens, Fraxinetum adiret, seq; Saracenorũ fidei cõmendaret. Imperator autẽ iustus, qui cur Adelbertum Ioannes papa, quẽ prius uehementi odio insequebatur, nunc diligeret, satis mirari nõ potuit, accersitis quibusdã familiaribus, an hoc uerum esset, Romã dirigit percontatũ. Quumq; illò ijdẽ nuncij peruenissent, huiusmodi nõ à quibuslibet aut paucis, sed ab omnibus Romanis ciuibus responsa suscipiunt. Non dispar uidetũ ratio, cur Ioannes papa sanctissimũ Imperatorẽ, suũ scilicet ex Adelberti manibus liberatorem, & diabolus oderit creatorẽ. Imperator, quemadmodum re ipsa experti sumus, ea quæ dei sunt sapit, operatur, diligit ecclesiastica, & secularia negocia armis tutatur, moribus ornat, legibus emendat. Ioannes papa his omnibus aduersatur. Non clam est populo, quod fatemur. Testis est Rainera suijpsius militis uidua, quam cæco captus igne multis præfectam urbibus, sacrosanctis beati Petri donauit aureis crucibus atq; calicibus. Testis est Stephana eius amica, quæ in effusione, quod ex eo conceperat, recens hominẽ exiuit. Quod si cuncta taceant, Lateranense palatiũ sanctorũ quondã hospitium, nunc prostibulum meretricum, non silebit amicam coniugẽ Stephanæ patris cõcubinæ sororẽ. Testis omniũ gentium, præterq; Romanorũ absentia mulierũ, quæ sanctorũ apostolorum limina orandi gratia timent uisere, quũ nonnullas ante dies paucos hunc audierint coniugatas, uiduas, uirgines ui oppressisse. Testes sunt sanctæ apostolorũ ecclesiæ, quæ non stillatim pluuiam, sed totum intrinsecus, supra ipsa etiam sacrosancta altaria imbrem admittunt. Quanta nos terrore tigna afficiunt, quũ diuinã opem eõdẽ deposcimus? Mors in tectis regnat, quæ nos orare multa uolentes impedit, atque domum domini mox linquere cogit. Testes sunt nõ solum iuncearum caratura, sed & quotidianarũ formarum mulieres. Cui eædem sunt, & silicem pedibus quæ conterunt atrum, & quæ magnorũ subuehuntur adiutorio iumentorum. Atq; hoc rei est, quod tanta ei cum Imperatore sancto discordia est, lupis & agnis quanta sortito obtigit. Illi hoc ut impune liceat, Adelbertũ sibi tutorem & defensorẽ parat. Hæc dum à redeuntibus nuncijs Imperator audiret: Puer inquit est, facile bonorũ immutabit exemplo uirorũ. Spero eum obiurgatione honesta, suasione liberali, facile ex illis sese emersurum malis, dicemusq; tunc cum propheta, Hæc est immutatio dexteræ excelsi. Et adiecit: Quod prius rerum ordo deposcit, Berengarium in Feretrato monte resistentem propulsemus, dein paterna abdicatione dominum papam cõueniamus: si non uoluntate, uerecundia saltem in uirum perfectũ sese mutet. Sicq; forsitan deuictus, bene consuescere, studebit his desuescere. His expletis, Papiæ nauim

Scelera Ioan. papæ

Othonis mansuetudo

piæ nauim conſcendit,ac per Eridani alueum Rauennā uſq; peruenit:indeq; progrediens montem Feretratum, quod oppidum ſancti Leonis dicitur,in quo Berengarius & Vuilla erat,obſedit.Quò & præfatus papa Leonem uenerabilem ſanctæ Romanæ eccleſiæ tunc protoſcriniarium, nunc in eadem ſede beati Petri apoſtolorum uicarium,necnō & Demetrium optimatē Romanorū illuſtriſſimū ſancto Imperatori nuncios dirigit,mandās haud mirū eſſe,ſi hactenus iuuentutis igne deuictus, quid puerile geſſerit. Iam tempus inſtare, quū alieno cuperet uiuere more. Mandauit etiā doloſe, quod quendam Leonem epiſcopum,& Ioannem diaconū cardinalem ſuos infideles ſuſcepiſſet, & quod ſanctus Imperator promiſſionis ſuæ fidem uiolaret, dum eos,qui eo loci manebant,iuramento nō ipſi,ſed ſibi aſtringeret. Quibus Imperator:Pro correctione,inquit,ac morū immutatione,quam promittit,gratias ago. De promiſſis uero fidem mutare,cuius me arguit,an uerum ſit ipſi perpendite. Omnem terram ſancti Petri,quæ noſtræ poteſtati ſubiecta eſt, eccleſiæ promiſimus reddere:atq; id rei eſt,quod ex hac munitione Berengarium cum omni familia pellere laboramus. Quo enim pacto terram hanc ei reddere poſſumus, ſi non prius eam ex uiolentorum manibus ereptam,poteſtati noſtræ ſubdamus?Leonem epiſcopum,& Ioannem cardinalem diaconum ſuos infideles, quos nos ſuſcepiſſe accuſat, his temporibus non uidimus,nedum ſuſcepimus, Conſtantinopolim domino papa eos ad iniuriam noſtram proficiſcentes dirigente,Capuæ ſunt,ut audiuimus,capti. Quibuſcū etiam Saleccum natione Bulgarum,educatione Hungarum domini papæ familiariſſimum,& Zacheum uirum reprobatum, diuinarum atque humanarum inſcium literarum, à domino papa epiſcopum nouiter conſecratum, & Hungaris ad prædicandum, ut ſuper nos irruant, deſtinatū, eodem captos eſſe loco audiuimus. Hæc dominum papam nullis narrantibus feciſſe crederemus,niſi literæ fidem admitterent,quæ plumbo ſignatæ eius nominis characteres monſtrant. His expletis, Landohardū à Saxonia Numendenſem, & Liuthbrandum ab Italia Cremonenſem epiſcopos cum præfatis nuncijs Romam dirigit,domino papæ ſe inculpabilem eſſe ſatisfacturum. Quorum etiā militibus hoc Imperator iuſtus impoſuit, ut ſi ſecus dominus papa non crederet,duello uerum eſſe approbarent. Præfati igitur Landohardus & Liuthprandus epiſcopi Romam ante domini papæ præſentiam uenientes,tanto ſunt in honore ſuſcepti,ut non eos lateret, quanto ſanctum Imperatorem tædio faſtidiret. Ordinatim tamen, prout eis iniunctum fuerat, enarrantes, non iuramento,non duello ſatisfactionem papa recipere uoluit, ſed in eadē qua fuerat duritia permanſit. Subdole tamen poſt dies octo Ioannem epiſcopum Narnienſem,& Benedictum cardinalē diaconum cum iſtis domino Imp.deſtinauit,putans hunc ſuis poſſe deludere uerſutijs,cui nimis eſt uerba dare difficile. Ante quorū reditum Adelbertus, inuitante papa, à Fraxineto

Feretrati obſidio

Tractatus inter imp. & papam

rediens Centumcellas aduenit: deinde Romã profectus, non ut debuit repu
diatus, sed à papa honorifice est susceptus. Hæc dum aguntur, phœbi radijs
graue cancri sydus inæstuãs Imperatorẽ Romanis arcibus propellebat. Sed
quum uirginale sydus gratã rediẽs temperiẽ ferret, collectis copijs clam Ro-
manis inuitantibus Romã aduenit. Quid clàm dixerim, quũ maior Roma-
norũ pars optimatũ, sancti Pauli castellum inuaserit, sanctumq́ Imp. obsidi
bus etiam datis inuitauerit? Quid multis morer? iuxta urbem Imp. castrame
tatus est. Roma papa simul atq́ Adelbertus aufugiunt. Ciues uero sanctum
Imp. cum suis omnibus in urbẽ suscipiunt, fidelitatemq́ promittunt: hæc ad-
dentes, & firmiter iurantes, nunq́ se papam electuros aut ordinaturos præ-
ter consensum atq́ electionem domini Imperatoris Othonis Cæsaris Au-
gusti, filijq́ ipsius regis Othonis. Post triduũ rogantibus tam Romanis epi
scopis, quàm plebe, magnus in sancti Petri ecclesia fit conuentus, sederuntq́
cum Imperatore archiepiscopi: ab Italia pro Engelfrido Aquileiensi patri-
archa, quem in eadem urbe languor repẽte, ut fit, ortus arripuerat, Rodulfus
diaconus, Vualbertus Mediolanẽsis, Petrus Rauennas. A Saxonia, Adeltac
archiepiscopus, & Landohardus episcopus Numendensis. A Francia, Otge
rius episcopus Spirensis, Bubtus Parmensis. Ab Italia, Liuthprandus Cre-
monensis, Hermenaldus Regensis. A Thuscia, Conradus Lucensis, Euera-
rius Aricienstis, Pisanus Senensis, Florentius Pestruensis, Petrus Camerinen
sis, Spoletinus Romanus, Grego. Albanensis, Spoletinus, Sico Hostiensis,
Benedictus Portuensis, Lucidus Canensis, Theophylactus Prænestinus,
Vuido Syluæ candidæ, Leo Velitriensis, Sico Blebensis, Stephanus Seren-
sis, Ioannes Nepesinus, Ioannes Tyburtinus, Ioannes Forocludensis, Roma
nus Ferentinensis, Ioannes Normensis, Ioannes Berulensis, Martinus Sutri-
nus, Ioannes Narniensis, Ioannes Sapiniensis, Ioannes Gallacensis, Phala-
rensis, Alaterensis, Ortanus, Ioannes Anagniensis, Trebensis, Salibatinus,
Tarraconẽsis, Stephanus cardinalis archipresbyter titulo Balbinæ, Domini
cus titulo Anastasiæ, Petrus titulo Damasi, Theophylactus titulo Crysogo-
ni, Ioannes titulo Equitij, Ioannes titulo Susannæ, Petrus titulo Pãmachij,
Adrianus titulo Calixti, Ioannes titulo Cæciliæ, Adrianus titulo Luciniæ, Be
nedictus titulo Sixti, titulo quatuor coronatorũ, Stephanus titulo Sabinæ,
Benedictus cardinalis archidiaconus, Ioannes diaconus, Bonofilius diaco-
nus, cardinalis Primicerius, Georgius Secundicerius, Stephanus admini-
culator, Andreas Arcarius, Sergius Primicerius defensorum, Ioannes sa-
cellarius, Stephanus, Theophylactus, Adrianus, Stephanus, Benedictus,
Azo, Adrianus, Romanus, Leo, Benedictus. Item Leo & Leo scriniarij, Leo
primicerius scholæ cantorũ, Benedictus subdiaconus & oblationarius, Azo,
Benedictus, Demetrius, Ioãnes, Amicus, Sergius, Benedictus, Vrso, Ioãnes,
Benedictus subdiaconus, subpulmẽtarius, & Stephanus archiacolytus cum
omnibus

Othonis Romam reditus

Synodi patrũ nomina

omnibus acolytis & regionarijs. Ex primatibus Romanæ ciuitatis, Stephanus filius Ioãnis Superista, Demetrius Meliosi, Crescentius caballi marmorei, Ioannes cognomento Nuzina, Stephanus de Muza, Theodorus de Rusina, Ioannes de Primicerio, Leo de Camirzuli, Richardus, Petrus de Canaparia, Benedictus cum Bulgamino filio suo ex plebe, Petrus qui & Imperiola est dictus, astitit cum omni Romanorum militia.

Quæ acta sint in concilio contra Ioannem Romanum pontificem, in quē moderato animo & maturo consilio processit Otho: & quæ illi flagitia obiecta sint à congregatis in concilio, enormia certe & uix credibilia, etiam in sicario aut pagano. Cap. VII.

His itaq; residentibus, silentiumq; summũ tenentibus, ita sanctus est Imperator exorsus: Quoniã decorũ esset tam claro sanctóq; dominũ papã Ioannē interesse concilio, quur tantũ declinauerit cœtum uos ô sancti patres consulimus, quibus cõmunis labor ecclesiasticus ac cõmune negociũ existit. Tunc Romani pontifices & cardinales, presbyteri ac diaconi cum uniuersa plebe dixerunt. Miramur sanctissimã prudentiã uestrã nos hoc uelle percontari, quod nec Hibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet. Non hic iam de illis est qui ueniũt in uestimentis ouiũ, intus aũt sunt lupi rapaces: ita aperte sæuit, ita aperte diabolica pertractat negocia, ut nihil circuitionis utat̃. Imperator respondit: Iustũ nobis uidetur, ut accusationes nominatim exprimant̃: deinde quod agendũ est cõmuni consilio pertractet̃. Tunc consurgēs Petrus cardinalis presbyter se uidisse illũ missã celebrasse, & nõ cõmunicasse testatus est. Ioannes episcopus Narniensis, & Ioannes cardinalis diaconus se uidisse illum diaconũ ordinasse in equorũ stabulo nõ certis temporibus sunt professi. Benedictus cũ cæteris condiaconis & presbyteris dixit se scire, quod ordinationes episcoporũ precio faceret, & q̃ annorũ decē episcopũ in Tudertina ciuitate ordinaret. De sacrilegio nõ esse necesse pcontari dixit, quia plus uidendo q̃ audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quod oculis nõ uiderant, sed pro certo scirent uiduam Rainerij & Stephanam patris concubinã & Annam uiduam cum nepte sua abusum esse, & sanctũ palatiũ lupanar & prostibulũ fecisse: uenationē dixerunt publice exercuisse. Benedictũ spiritualē patrē suũ lumine priuasse, & mox mortuũ esse. Ioannem cardinalē subdiaconum uirilibus amputatis occidisse, incendia fecisse, ense accinctũ, galea & lorica indutũ fuisse testati sunt. Diaboli in amorē uinum bibisse omnes tam clerici q̃ laici acclamarunt. In ludo aleæ, Iouis, Veneris, cæterorumq; dæmonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas & canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se muniuisse professi sunt. His auditis Imperator quia Romani eius loquelã propriam, id est, Saxonicam intelligere nequibant, Liuthbrando Cremonensi episcopo præcepit, ut latino sermone hæc Romanis omnibus quæ sequunt̃ exprimeret. Surgens itaq; sic cœpit.

Tractatus contra papam

Crimina Ioãnis papæ

De Impe-

De Imperatoris Othonis matura in Ioannem pontificem maximũ consultatione per interpretem facta: & de patrũ contra eum attestatione, etiam cum sui anathematizatione si minus uera dicerent: deq; consilio inito, ut in persona citetur ad sui purgationem. Caput VIII.

PErsæpe contigit, & nobis expertis credimus, ut in dignitatibus constituti inuidorũ infamia maculentur: displicet bonus malis, quemadmodũ & malus bonis. Atq; hoc rei est, quod hanc in papam accusationẽ quam modo Benedictus cardinalis diaconus legit, & uobiscũ fecit, amphibolam retinemus, incerti utrũ è zelo iustitiæ an impietatis liuore proruperit. Vnde mihi indigno secundum concessæ dignitatis autoritatẽ omnes obtestor per deum quem fallere, & si uult, nemo potest, sanctamq; eius genitricẽ intemeratã uirginem Mariã, perq; preciosissimum apostolorum principis corpus, in cuius hæc recitantur ecclesia, ut nulla in dominum papam iaculentur conuicia, quæ nõ sint ab ipso patrata, atq; à uiris probatissimis uisa. Tunc episcopi, diaconi, clerus, & cunctus Romanorũ populus quasi uir unus dixerunt: Si nõ & quæ per Benedictum diaconum lecta sunt, hisq; turpiora & ampliora Ioannes papa indigna cõmisit facinora, non nos à peccatorum uinculis absoluat apostolorum princeps beatus Petrus, qui uerbo cœlũ indignis claudit, iustis aperit. Simus anathematis uinculo innodati, atq; in die nouissima in sinistra parte positi cum eis qui dixerunt domino deo, Recede à nobis, sciẽtiam uiarum tuarum nolumus. Quod si fidem nobis nõ adhibetis, exercitui domini Imperatoris saltem debetis credere, cui ante v. dies ense accinctus, clypeo, galea, lorica indutus occurrit, solus Tyberis qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu caperet impediuit. Mox sanctus Imperator dixit: Tot sunt huius rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores. Sancta synodus dixit: Si placet sancto Imperatori, mittantur literæ domino papæ ut adueniat, seq; ex his omnibus purget. Tunc eidem sunt literæ destinatæ.

Patrũ in Ioãnẽ obtestatio.

Diploma siue exemplũ literarũ Imperatoriarũ autoritate concilij ad Ioannem papã missarũ, quibus uitia à concilio illi obiecta, summatim recitant cũ humili obsecratione, ut ad se purgandũ in cõciliũ uenire nõ recuset. Ca. IX.

SVmmo pontifici & uniuersali papæ domino Ioanni, Otho diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, cũ archiepiscopis Liguriæ, Thusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in domino S. Romã ob seruitiũ dei uenientes, dum filios uestros Romanos, scilicet episcopos, cardinales, presbyteros, diaconos, & uniuersam plebem de uestra absentia percontaremur, & quid causæ esset, quod nos ecclesiæ uestræ, uestriq; defensores uidere noluissetis: talia de uobis tãq; obscœna protulerunt, ut si de histrionibus dicerentur, uobis uerecundiã ingererẽt. Quæ ne magnitudinẽ uestrã omnia lateãt, quædã uobis sub breuitate describimus: qm̃ si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis nõ sufficeret unus. Noueritis itaq; nõ à paucis, sed ab oibus tã uestri q̃ alterius

ordinis,uos homicidij, periurij, sacrilegij, & ex propria cognatione,atque ex duabus sororibus incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum,diaboli uos in amorē uinum bibisse:in ludo aleæ, Iouis, Veneris, cæterorumq; dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaq; paternitatem uestrā obnixe, uenire atq; ex his omnibus uos purgare non dissimuletis. Si forte uim temerariæ multitudinis formidatis, iuramento uobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum canonū sanctionē. Data viij.idus Nouemb.

De Ioannis papæ apologetico,id est,responso, ut autor accipit,quū apologiam potius dicat,qua excōmunicatos pronunciat, si ad noui pontificis electionem processerint.Et de rescripto patrum in concilio ad eundem papam, quod uerbis sacris fulcitur. Cap. X.

HAnc epistolā quum legisset,huiusmodi apologeticū scripsit.Ioānes episcopus seruus seruorū dei, omnibus episcopis. Nos audiuimus dicere, quod uos uultis alium papā facere:si hæc facitis,excōmunico uos de deo omnipotenti,ut non habeatis licentiā ullum ordinare,& missam celebrare.Quū hæc epistola in sancta synodo legeret, aduenerunt qui prius defuerant religiosi à Lotharingia,Hēricus Treuerēsis archiepiscop.ab Æmylia & Liguria, Vuido Muziensis, Gezo Tertonensis, Sigulfus Placentinus: quorū consilio domino papæ ita rescribūt: Summo pontifici & uniuersali papæ dño Ioāni, Otho diuinæ respectu clemētiæ Imp. Augustus:sed & sancta synodus Romæ ob seruitiū dei congregata in dño, Sal. Præterita synodo quæ celebrata est viij.idus Nouēb. literas uobis direximus, in quibus accusatorū uestrorū uerba,atq; accusationis causæ continebant. Rogauimus etiā eisdē literis magnitudinē uestram,quemadmodū iustum est.A uobis non quales temporis qualitas, sed inconsultorū uanitas exposcit hominū literas accepimus. Non ueniendi ad synodū rationabilis esse excusatio debuit.Sed & præsentes magnitudinis uestræ debuerūt nuncij interesse,qui aut ægritudinis,aut certe difficultatis causa satisfacerent sanctā uos synodū declinasse.Est & aliud uestris in literis scriptum,quod nō episcopum,sed puerilem ineptiā scribere deceret. Excōmunicastis enim omnes,ut non habeamus licentiā canendi missas,ordinandi ecclesiasticas dispositiones,si alium Romanæ sedi constitueremus episcopū.Ita enim scriptum erat,Non habeatis licentiā ullū ordinare.Nūc usq; putauimus,imò credimus, duo negatiua unum facere dedicatiuum: nisi uestra autoritas priscorum sententias infirmaret autorum.Nos uero intentioni uestræ nō uerbis respondeamus. Si ad synodum uenire,& obiecta purgare non differtis, autoritati uestræ proculdubio obediemus. Sed si,quod absit, uenire,& obiecta uobis capitalia crimina purgare dissimulatis,quum præsertim uos uenire nil impediat, non maris nauigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo:tunc excommunicationē uestrā paruipendemus:eam potius in uos retorquebimus,quoniamquidem iuste facere possumus. Iudas domini

Excōmunicationis tenor

Synodi cū papa expostulatio.

domini nostri Iesu Christi proditor, imò uenditor cum cæteris prius ligandi atq; soluẽdi potestatẽ à magistro in hæc uerba acceperat: Amen dico uobis, quæcunq; ligaueritis super terrã, &c. Quamdiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atq; soluere ualuit, postquã uero cupiditatis ueneno homicida factus uitã occidere uoluit: quẽ postea ligatũ soluere, atq; solutũ ligare potuit, nisi seipsum, quem infelicissimo laqueo strangulauit? Data x. kal. Decemb. & missa per Adrianũ cardinalẽ presbyterũ, & Benedictũ cardinalẽ diaconum. Qui quũ ad Tyberim peruenissent, eum nõ inuenerũt. Pharetratus enim in campestria iã abierat. Nec quisq; erat qui his ubi ipse esset indicare posset. Quumq; eum inuenire non possent, cum eisdẽ literis ad sanctã synodũ quæ tunc tertio est habita, sunt reuersi. Mox Imp. ait, Expectauimus aduentum eius, ut præsente eo quod nobis egerit quereremur: uerũ quoniã eum nõ affuturũ certo scimus, q; perfide nobiscũ egerit, ut diligenter agnoscatis, etiã atq; etiã flagitamus. Notũ itaq; uobis facimus archiepiscopis, presbyteris, diaconis, reliquoq; clero, necnõ & comitibus, iudicibus omniq; plebi, quod idẽ Ioannes papa oppressus à Berengario atq; Adelberto rebellibus nostris misit nobis in Saxoniã nuncios, rogans ut pro amore dei in Italiã ueniremus, & ecclesiã sancti Petri ac seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos uero adiuuante deo, quantũ fecerimus, nõ est necesse dicere, ut impræsentiarũ uidetis. Ereptus uero mea opera ex eorũ manibus, & honori debito restitutus, oblitus iuramenti & fidelitatis quam mihi supra corpus sancti Petri promisit, eundẽ Adelbertũ Romã uenire fecit, & cõtra me defendit, seditiones fecit, & uidẽtibus nostris militibus, dux belli factus, lorica & galea est indutus. Quid super hoc sancta synodus decernat, edicat. Ad hæc Romani pontifices, reliquusq; clerus, & cunctus populus dixerũt: Inauditũ uulnus inaudito est cauterio exurendũ. Si corruptis moribus sibi soli, & nõ cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot prius casti huius facti sunt imitatione incesti? Quot probi huius exẽplo cõuersationis sunt reprobi? Petimus itaq; magnitudinẽ imperij uestri, monstrũ istud nulla uirtute redemptũ à uitijs, à sancta Romana ecclesia pelli, aliumq; loco eius constitui, qui nobis exemplo bonæ cõuersationis præesse ualeat, & prodesse sibi: recte uiuat, ac bene uiuendi nobis exemplũ præbeat. Tunc Imp. Placet, inquit, quod dicitis, nihilq; gratius nobis, q; ut talis qui huic sanctæ & uniuersali sedi præponat, inueniri possit.

Imp. de papa accusatio

Sententia contra Io. papã

De Leonis protoscriniarij in summũ pontificẽ electione: & Ioannis depositi largitione, qua Romanos in cædẽ Imperatoris & noui papæ solicitauit: sed Imperatore uincente, frustra conati sunt. Leonis tamen indulgentia obsidibus remissis quum Imperator abesset, meretricularũ illecebris populus Romanus rursum Ioannẽ recipit, qui in Leonis asseclas mire sæuit, donec à diabolo enectus est. Post quem Romani Benedictum papam declarant: sed Leoni sedes redditur, Benedicto exulante. Cap. XI.

His dictis

His dictis omnes una uoce dixerunt, Leonē uenerabilē sanctæ Romanæ ecclesiæ protoscriniariū uirum approbatū, ad summū sacerdotij gradū nobis in pastorē eligimus, ut sit summus & uniuersalis papa Romanæ ecclesiæ, reprobato ob improbos mores Ioanne apostata. Quū hoc omnes tertio dixissent, annuente Imp. nominatū Leonē ad Lateranense palatiū secundū consuetudinē cum laudibus ducunt, & certo tempore in ecclesia S. Petri ad summū sacerdotiū sancta consecratione attollunt, & fideles se ei affuturos iureiurando promittunt. His ita gestis, sperans sanctissimus Imp. cum paucis Romæ se degere posse, ne consumeret Romanus pop. ob multitudinē exercitus, multis ut redirent licentiam dedit. Quumq; hoc Ioannes, qui deiectus est, papa cognosceret, nō ignorans q̄ facile Romanorū mentes pecunia posset corrumpere, clàm Romā mittit nuncios, beati Petri, omniumq; ecclesiarū pecuniā repromittentes, si super pium Imp. & dominū Leonē papā irruerēt, eosq; impijssime trucidarent. Quid multis morer? Romani q̄ mox exercitus paucitate confisi, imò decepti, & pecuniæ promissione animati, buccina cōcrepante, super Imperatorē ut eum occidant festinare contendūt. Quibus Imp. super pontē Tyberis, quem Romani plaustris impeditum habebāt occurrit. Cuius fortes milites assuefacti bello, pectore & armis intrepidi eos inter prosiliunt, & quasi accipitres auium multitudinē nullo resistente proterunt. Non latibula, nō corbes, nō concaua ligna, nō cryptæ, sordiū receptacula, fugientibus tutelæ esse possunt. Occidunt itaq;, & ut assolet contingere uiris fugientibus, passim à tergo uulnerant. Quis tūc Romanorū cladis huius superstes fieret, si nō Imp. sanctus misericordia quæ eis nulla debebat inclinatus, suos adhuc interficere sitientes retraheret & reuocaret? Itaq; deuictis oibus, atq; ijs qui supererāt obsidibus acceptis, uenerabilis papa Leo pedibus Imp. prouolutus orat, ut Romanis obsides reddat, seq; eorū fidei cōmendet. Rogatu deniq; uenerabilis papæ Leonis Imperator sanctus Romanis obsides reddit, non incertus, quod prosecuturus sum, incepturos. Igitur Romanorū fidei eundē papam quemadmodū lupis agnum cōmisit. Deinde Roma exiens, Camerinū Spoletumq; uersus, ubi Adelbertū esse audierat properauit. Interea mulieres quibuscum Ioānes, qui dictus est papa, uoluntatis suæ ludibriū exercebat, nō ignobiles & plures concitauerunt Romanos, ut Leonem summum & uniuersalē papam à deo & ipsis electum perderent, & Ioannem in urbē susciperent. Quod quū fecissent, deo miserante, ex eorū manibus est uenerabilis papa Leo liberatus, paucisq; ipsum concomitantibus, ad pijssimi Imp. misericordiā est profectus. Imperator deniq; sanctus tantum dedecus ægre ferens, tum ex domini papæ Leonis deiectione, tum ex Ioanne cardinali diacono, & Azone protoscriniario, quorū alterū manu dextera, alterū lingua, duobus digitis, naribusq; abscisis, Ioannes abdicatus defœdauerat, reparato exercitu, Romam redire disposuit: priusquā tamen sancti Imp. copiæ

Leo pulso Ioanni succedit

Munerū corruptela

Ro. strages

Io. eiecto Leone recipitur

essent congregatæ,uolens cunctis seculis innotescere dñs,q̄ iuste esset Ioannes papa à suis episcopis & omni plebe repudiatus, quàmq́; postmodũ iniuste receptus: quadã nocte extra Romã dum se cum cuiusdã uiri uxore oblectaret,in temporibus adeo à diabolo est percussus,ut intra dierũ octo spatiũ eodẽ sit uulnere mortuus. Sed eucharistiæ uiaticũ ipsius instinctu qui eũ percusserat,nõ percepit:quemadmodũ à suis cognatis & familiaribus qui præsentes erant,persæpe sub attestatione audiuimus. Quo mortuo,Romani omnes iuramenti quod sancto Imp. promiserant immemores, Benedictũ cardinalẽ diaconũ papam constituunt,insuper & iuramento nunq̄ se eum dimissuros, sed eum cõtra Imp. potentiã defensuros promittunt. Quo audito Imp. urbẽ uallauit,neminẽ qui nõ membris truncaret exire permisit: machinis & fame usqueadeo afflixit,donec Romanis nolẽtibus urbem reciperet, Leonẽ uirum uenerabilẽ debitæ sedi restitueret,ac Benedictũ summæ sedis inuasorem eius præsentiæ præsentaret. Residentibus itaq́; domino Leone summo & uniuersali papa in ecclesia Lateronensi,necnon & Imp. sanctissimo Othone,& episcopis Romanis,Italicis,à Lotharingia & Saxonia,archiepiscopis,presbyteris,diaconis,omniq́; Romanorũ plebe, quorum nomina superius ascribunt: aduenit Benedictus apostolicæ sedis inuasor, eorũ qui se elegerant manibus adductus,pontificialibus uestibus indutus. Quem Benedictus cardinalis archidiaconus tali est sermone aggressus, Qua tibi autoritate,quáue lege,ô inuasor,hæc pontificalia indumenta usurpasti,superstite hoc præsenti domino nostro uenerabili papa Leone,quẽ tu nobiscũ accusato & reprobato Ioanne ad apostolicatus culmen elegisti? num inficiari potes præsenti domino Imp. iuramento promisisse, nunq̄ te cum cæteris Ro. papam electurũ aut ordinaturũ absq; illius filijq́; sui regis Othonis consensu? Benedictus respondit, Si quid peccaui,miseremini mei. Tunc Imperator effusis lachrymis,quàm misericors esset ostendens,rogauit synodũ,ne Benedicto præiudiciũ fieret. Si uellet & posset,ad interrogata responderet:quod si nõ posset,aut nollet,ac se culpabilẽ redderet,tamen pro timore dei misericordiã aliquam inueniret. Quo audito,ad domini Leonis papæ pedes,ipsiusq́; Imp. idem Benedictus concite procidẽs, se peccasse,seq́; sanctæ Ro. sedis inuasorẽ esse acclamauit. Post hæc palliũ sibi abstulit, quod simul cũ pontificali ferula quã manu gestabat, domino papæ Leoni reddidit. Quam ferulã idem papa fregit,& fractam populo ostendit. Deinde Benedictũ in terra sedere præcepit. Cui casulã, quam planetã uocant,cum stola pariter abstulit. Post aũt omnibus episcopis dixit, Benedictũ sanctæ & apostolicæ sedis Romanæ inuasorẽ, omni pontificatus & presbyteratus honore priuamus: ob eleemosynã uero domini Imperatoris Othonis,cuius sumus opera in sedẽ debitã restituti,diaconatus eũ ordinẽ habere permittimus,& non iam Romæ,sed in exilium destinamus.

Io. papa à dæmone necatur

Benedictus antipapa obiurgatur

Benedicti pœnitentia

FINIS EORVM QVAE EXTANT.

Epitome

EPITOME GERMANORVM, OPERA IACOBI VVYMPFELINGII SELETSTADIENSIS & SUORUM CONTEXTA, AC NUPER PER ERUDITUM QUENDAM RECOGNITA.

IACOBVS VVYMPFELINGIVS THOMAE VVOLPHIO Iuniori, pontificij iuris interpreti, summo amico, S.



IDENS Romanas, Venetas, Anglas, Pannonumq; & Bohemorum, ac Francigenũ historias indies lectum iri, excitaueram nuper Sebastianũ Murrhonem, ut ex priscis historiographis, epitomen saltem rerum à Germanis magnifice gestarum comportaret: ne quum cæteræ nationes egregia maiorum suorũ facinora disseminare studẽt, nos ueluti somnolenti & parui animi, gloriæq; auitę contemptores, perpetuo dormitare uideremur. Morem mihi gesturus Murrho, quod cœperat, immatura morte interueniente, neq; perficere potuit, neque reuidere. Ego itaq; quicquid ille meo hortatu aggressus, tanquam fragmenta post se reliquit, cogitabam in seriem distribuere, augere, & utcunq; absoluere, tibiq; mi suauissime Thoma dedicare, non solum ad gloriã nominis tui sempiternã: sed etiam ut omnes Germani in hac epitome antiquitates Germaniæ uideant, uitã nostratiũ Imperatorum legant, Germanorumq; laudes, ingeniũ, bella, triumphos, artiũ inuentionẽ, nobilitatẽ, fidem, constantiã, & ueracitatẽ ediscant: atq; ut his breuibus ansam præbeamus studiosæ posteritati, quo maiora indies studeant adijcere, & amplioribus rerum incrementis Germanorum laudes cumulare. Verum à Germanicis laudibus Argentinam, unde tibi: & Seletstadiũ, unde mihi origo est, cæterasq; ciuitates ex hoc Rheni littore Galliam uersus sitas, nolumus exclusum iri, quoniam eas ab Octauiani ætate, Suetonio teste, Germani inhabitarunt: unde & Germaniæ nomen meruere. Et Plinius & Cor. Tacitus, Ammianus Marcellinus, Frãciscus Petrarcha, Blondus, Lupoldus, Hermannus, & Æneas Syluius, inter Germaniæ fines illas dinumerant. Ecclesia quoq; Romana, inter Germaniæ metropoles Maguntinam, Treuerensem, & Agrippinam collocauit. Quumq; summus pontifex legatos à latere ad Germaniam mittit, in his patriæ quoq; nostræ ciuitatibus munus legationis suæ illi exercent: quod nisi Germaniæ pars essent, quas legati ad Germaniam missi dispensationes, indulgentias ac beneficiorũ prouisiones in eis administrant, irritæ uiderentur & inanes: nam & ad Galliã alij à nostris mittuntur legati, qui in nostris ciuitatibus partes suas nequaquã explent. Adde quod ipse Carolus Burgũdiæ dux, Maximiliani regis socer, ad principes ele

ctores perſcripſit, ſeſe & Germanum eſſe & dici uelle: cuius tamen terræ in hoc Rheni littore ſitæ fuerunt, imò ipſarum ciuitatum & pagorum antiquiſſima nomina Germanicũ ſonant,& minime Gallicũ.Et ſi uel Caroli magni, aut filiorum nepotumq́ ſuorũ ætate, hic unquã Galli habitauiſſent, uerſatũ fuiſſet & hic proculdubio Gallicũ idioma. At ubi nam inueniuntur ulla Gallicæ linguæ ueſtigia? ubi libri Gallici? ubi monumenta? ubi epiſtolæ? ubi epitaphia? ubi literæ contractuũ rerum urbanarũ & ciuilium aut feudorũ? ſicut à ſeptingentis & octingentis annis, Latinæ & Germanicæ linguæ apud nos monumẽta reperiũt. Nec mihi perſuaderi poteſt optimos Sueuię duces,qui cathedralẽ apud Spiras eccleſiã,quiq́ cœnobiũ diuæ Fidis in patria mea Seletſtadio fundarunt & locupletauerunt,magnificas illas impenſas,paternãq́ ſubſtantiã in Galliã traducere,ac inter Gallos profundere uoluiſſe. Glorietur ergo ille mendicus blattero,qui noſtrã Germaniã atq́ famam diſcerpit,ſe & ſuũ patrẽ à Gallis deſcendiſſe. Nos mi chariſſime Thoma gloriabimur à maioribus noſtris Germanis proceſſiſſe:quorum in hac epitome mirificas & antiquas laudes, inter reliquas honeſtas lucubratiunculas, quas auidiſſime reuoluere ſoles,cum ſingulari uoluptate lectitaturum te confido, operamq́ daturum,ut non ſolum propediem calcographia diſſeminetur, ſed etiã doctiſſimis uiris Baptiſtæ Mantuano,Philippoq́ Beroaldo Bononienſi pręceptori tuo in primis tranſmittatur ad gloriã Germanorũ ſempiternam. Vale felix ex eremitorio diui Guilhermi Argeñ.viij.Kalend.Octobris, M.D.II.

Thomas Vuolphius iunior,Iacobo Vuympfelingio S.



OLENT qui doctrina & eruditione pollent,lucubrationes ſuas ſummis terrarum principibus inſcribere, ut quæ effecerunt fiant uenerabiliora. Sic Iulius Pollux ad Cõmodũ Cæſarẽ de Grammatica ſcripſit. Sic Vitruuius ad Auguſtum de architectura. Sic Oppianus ad Antoninũ de piſcibus. Tu uero,ut es omnis gloriæ & ampulloſi faſtus cõtemptor,epitomas Germanicas,opus mehercule & graue & eruditum ſub nomine Thomæ tui, qui cum ærumnarum uarietate quotidie luctatur,publicare uoluiſti: haud abſimile quiddam à Platone agens,qui Phedoni Elidenſi ex cohorte illa Socratica, quanq́ is ſeruus fuit,eius tamen nomini illum librum diuinum De immortalitate animæ dedit. Dicam quæ ſentio,nullo unquam munere fui magis delectatus: placeant alijs aurea,argenteaq́ pocula,placeant uaſa gemmata & thericlea, placeant ſtructuræ magnificę,atq́ his ſe oblectent:nos monumenta literaria laudamus,extollimus,admiramur, & hanc præcipue hiſtoriam quam multo labore & uigilia in Germanorum decus excudiſti:nihil ea terſius,nihil accuratius ſcriptum. Perinde ex fide hic omnia narrantur,ac ſi fides ipſa dictaſſet. Quum iam defeceris mi doctiſſime Iacobe,exhibebunt te Epitomæ noſtræ tanquam manu tuis poſteris,ducentq́ per ætates atq́ urbes, ut te uideant qui nondum nati ſunt,te

audiant,

audiāt,te laudibus prosequanť: facient mihi crede,ut semper sis in manibus, semper in ore uerseris hominū,& eorū maxime qui doctiores sunt & studia politiora amplectunť. Non deerūt fortasse qui parum id operis probabunt: nec te propterea laboris pœniteat. Noui quosdā in hoc orbe, penè dixissem in hac urbe, qui tametsi initiati sunt, & in classe ecclesiastica antesignani habentur,magis tamen ludo tesserario, aut chartulis lusorijs delectātur, quàm Hieronymi aut Cypriani scriptis. Sunt qui dum in æde sacra horarias preces psallunt,intus & in cute torquētur, quid uernula domi agat,& an piperatum egregie cónditum sit, an bene salitū assabulum, an lucanicæ crassæ sint & delicatæ,an scitè pisces fricti. Et hi nihilominus quando nec generoso sanguine nec moribus nec doctrina sunt spectabiles:ubi literarū proceres conueniunt,quod cum summo dolore refero,primi accumbere uolunt, & subsellijs honoratioribus sedere, quasi locus ille eminentior splendorem ipsis afferat: quum ediuerso locum homo, non locus hominē exornet,quod & Damonidas apud Cheronensem Plutarchum non ignorauit, & canonica decreta testanť. Volui hæc obiter dicere, ne illi qui fortuna duce,quæ semper cæca est, uel officio uel dignitate præditi sunt, plus nimio sibi blandiantur & arrogēt. Impurissimis uiris,quod nemo ignorat,sæpe honores cōmittunť. Inde Græcanicum illud ac elegans adagium, Asinus mysteria uel sacra portat. Vale mi doctissime Iacobe,& succisiuis temporibus conde ac compone, quæ mox in tempore sis deprompturus:ut sic agas negocium posterorum,teq́ uixisse testeris. Vale iterum Argentinæ cursim ex ædibus nostris, Anno Christi M. D. IIII. pridie kalendas Ianuarij.

GERMANORVM QVINQVE ESSE GENERA, CAPVT PRIMVM

GErmani quinq́ constant generibus, Vindelico, quorū pars Burgundiones, à quibus profecti hi qui Gallias obtinent: seu apud Eduos & Ararin fluuium sedes habent, qui Germanorū coloni in ritus moresq́ Gallicos deformati sunt. Alterum genus Ingeuones,quorum pars Cimbri,Theutoni,ac Chaucorum gētes. Tertium Isteuones Rheno proximi,quorum pars Cimbri mediterranei: deinde Hermiones,quorum Sueui Hermunduri,Chatti,Cherussi. Quintum genus Peucini dicti Bastarnæ contermini Dacis.

Cimbri Germanorum uetustissimi uicere Græcos, Boios, Illyricum,Romanos consules & legatos plurimos,atque Hispanos. Caput II.

EX his fama uetustiores Cimbri,siue illi Theutoni, siue mediterranei fuerint, Homeri celeberrimi poëtarum ætate, uel paulo supra eius ætatem, militiam agitauere usque ad Mæotida paludem, suæq́ expeditionis moni-

menta, Cimmeriũ Bosphoron reliquere: nam Græci Cimbros κιμμερίους uocant:audacterq́ traiecto Bosphoro ad Ioniã usq́ terram decursarũt,Sardibus captis,& Magnetũ gente à Treribus funditus deleta, quæ gens Cimmerica diu secundis rebus usa est. Cimbrorum clima ipse poëta insinuans, quod tenebrosum esset, sic memorat. Aëre & nebula cooperti sunt, Illis sol nunquam Phaeton sua lumina spargit, Perniciosa super nox semper tendit istis. Habitãt autẽ in Germaniæ ora Cimbricũ Chersonnesum ab eis appellatũ inter Albis & Chalusi fluminũ ostia, inter Germanicũ Sarmaticumq́ oceanũ.Hi sunt qui ad Ponti dexterã,mediterraneã regionẽ habitantes usq́ in Ioniam excurrebant.Hos Scythæ ex his sedibus pepulerunt, Scythas aũt Græci,qui Panticapeum,& alias in Bosphoro urbes habitãt. De his nostris populis,multa apud Straboné reliquosq́ Græcos historicos, apud Plutarchum Aristotelemq́ philosophos legimus. Vtinã tantũ animi nostris Germanis principibus hodie inesset, ut quas Cimbri olim ob bellicam solũ gloriam subegerunt, hi pro Christi fide & charitate eas sedes ex Turcorũ manibus eriperẽt,quorũ hodie seruituti Ionia,Pontus,Græciaq́ omnis ,nõ absq́ magna omnium Christianorũ regum ignominia miserabiliter & fœdissime subiecta est.Hæc commemorare libuit,uti nosceres, quanta nostrates gloria floruerint ante urbem Romã conditã,Syluijs Albæ regnantibus, anno centesimo sexagesimoq́.Hac enim ætate Homerũ Hesiodumq́ poëtas inuenimus claruisse.Romanis autẽ rebus florentissimis, post Punica bella omnia, interq́ sociale bellũ, quod fuit anno urbis conditæ sexingentesimo sexagesimosecundo,Boios Gallorũ populos, qui Hercyniam syluam inhabitarunt, Cimbri agmine facto inuasere,à quibus eiecti Istros & Scordiscos Gallicas gentes petiere.Tum Theuriscas & Thauriscos, & hos quoq́ nationis Gallicæ,deinde Heluetios adierunt,uiros tum plurimo locupletes auro,cæterum in pace uitam agitantes: quumq́ cõflatas hi bellicis artibus opes longe suis ampliores esse uiderent,Heluetios secum sollicitasse, præcipue Tigurinos,& Teygenos,quos uniuersos deleuere Romani,nõ tamen impune.Prius enim Cimbri gens uaga,populabundi in Illyricum,hodie Sclauoniam, uenerunt: ab his Papyrius Carbo consul cum exercitu fusus est.Deinde M.Iunius Syllanus,etiam consul aduersum Cimbros infeliciter pugnauit. Post id bellum Cimbri per legatos à senatu populoq́ Romano sedem & agros postulauerunt,quorũ petitione spreta, Cimbri cum Tigurinis, quos ex Heluetijs secũ in militiam sollicitasse retulimus, in Galliam migrauere in fines Allobrogũ, ibiq́ cum L.Cassio consule manus conferunt, eumq́ cum exercitu trucidãt. Milites qui ex clade supererant, datis obsidibus, & rerum omnium dimidia parte,ut incolumes dimitterent,cum Cimbris pacti sunt. M.Aurelius Scaurus consulis legatus,à Cimbris fuso exercitu captus,& in consiliũ ab his euocatus,quũ deterreret eos,ne Alpes Italiam petituri transirẽt, eo quod diceret

Romanos

Romanos uinci nō posse, à Bolo Cimbrorū rege occisus est. Tum ab ijsdem hostibus C. Manlius, & Q. Seruilius Cepio, qui proconsulatū in Gallijs agebant, uicti prælio, binisq́ castris exuti sunt: octoginta milia militū occisa, calonum ac lixarum (hi sunt militū ministri) quadraginta milia. Cimbri post eā uictoriā omnibus agris uicisq́ iuxta Rhodanum ac Pyreneum uastatis, in Hispaniā transgressi sunt, ibiq́ multa loca populati, à Celtiberis fugati, reuertentes in Galliam bellicosissimis Theutonis se coniunxerūt. Atq; C. Marij qui iā Iugurthā deuicerat, summa ui castra à Theutonis Ambronibusq́ oppugnata sunt. Marius enim secūdo & tertio absens consul creatus, quarto consulatu contra Cimbros missus post defensa castra duobus prælijs circa aquas Sextias Theutonis Ambronibusq́ deletis, Marius absens quintū cōsul creatus triumphum oblatum distulit, donec Cimbros uinceret, tantum roboris in Germanis fuit. Cimbri repulso ab alpibus fugatoq́ Q. Catulo proconsule, qui fauces alpium obsederat, & ad flumen Atesim castellum editum insederat reliqueratq́, uirtute sua explicata fugientem proconsulem, exercitumq́ prosequuti in Italiam traiecerunt: uerum iunctis eiusdē Q. Catuli, & C. Marij exercitibus, prælio uicti sunt, in quo cæsa traduntur Cimbrorum centum quadraginta milia, capta lx. Hæc sunt quæ Germani ad ea usq́ tempora gessere.

De Ariouisto primo Germanorum rege qui contra Iulium Cæsarem pugnauit. Cap. III.

POstea Ariouistus Germanorum rex primus propter bellicas uirtutes amicus pop. Ro. à senatu salutatus est, C. Iulio Cæsare consule. Deinde prouinciam Galliam administrante, quū Heluetijs bellum inferret, Ariouistus cum Cæsare manus conseruit, uictusq́ in Germaniam redijt. Crebra deinde bella cum Sueuis, Cæsare trans Rhenum agente, nihil tamen memoria dignum actum inuenio, quàm quod ponte Galliam Germaniamq́ coniunxit. Germani equites ex nobilioribus, Cæsaris uirtute, uiriq́ integritate moti, ei se coniunxerūt, quorū opera reliquis in bellis sępe usus, eorum etiam fortitudinem in Pharsalo contra Pompeium expertus est: præcipuo enim eorum auxilio Pompeianū Romanumq́ militem superauit. In Philippicis etiā campis certatū est inter exercitum Cæsaris & Pompeij æquo marte. Quum aūt iussu Pompeij fusus à cornu erupisset equitatus, repente hinc signo dato, Germanorū cohortes tantum in effusos equites fecere impetū, ut illi esse pedites, hi uenire in equis uiderentur. Et ipse Cæsar in cōmentarijs, suis de Germanis quod ad bella imperterriti fuerint, dum cum eis bellū gerere cōstituisset, hanc eorū ad se fuisse orationem scribit, Germanos neq́ priores populo Romano bellū inferre: neq; tamen recusare, si lacessantur, quin armis contendant: quod Germanorum consuetudo hæc sit, à maioribus tradita, quicūq́ bellum inferant resistere, neq; deprecari: hæc tamen dicere uenisse inuitos, eie- 4. Com. in principio

ctos domo: si suam gratiam Romani uelint, posse his esse utiles amicos, uel sibi agros attribuant, uel patiantur eos tenere quos armis possederint: sese unis Sueuis concedere, quibus ne dij quidem immortales pares esse possint, reliquum quidem in terris esse neminem quem non superare possint.

Germani Cæsaris custodes eliguntur, Quintilium Varum, Drusumq; Germanicum superant. Caput IIII.

OB singularem quoq; peculiaremq; Germanorū fidem & integritatem, D. Cæsar corporis sui custodes Germanos delegit, qui & Octauij Cæsaris simili curæ præfecti, usq; ad Varianam cladem permansere. Quintilius enim Varus, cuius Horatius meminit, cum tribus legionibus, à Cheruscis obtruncatus est. Salas fluuius Germaniæ est, inter quē & Rhenū Drusus Germanicus quū bellū gereret, uictor oppetijt: tam arduū est nostrates uincere: id quoq; bellum ante Quintilij Vari cædem gestum est. Vnde & cum Cornelio Tacito concludamus, Sexcentesimum & quadragesimum, inquit, urbs nostra agebat annum, quū primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello, ac Papirio Carbone consulibus: ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur: tamdiu Germania uincitur: medio tam longi æui spatio multa inuicē damna non Samnis, non Pœni, nō Hispaniæ Galliæ'ue, ne Parthi quidē sæpius admouere: & subdit, Nec impune, C. Marius in Italia, diuus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium uersæ. Inde otium: donec occasione discordiæ nostræ & ciuilium armorū expugnatis legionū hibernis, etiam Gallias affectauere: ac rursus pulsi inde proximis temporibus, triumphati magis q̄ uicti sunt. Quæ laus maior dici potest, q̄ quod homo Romanus, linguaq; Romana de Germanis triumphos actos esse, uere autem nunquam uictos fuisse asseuerat, nisi quantum beneuolentia, ac benignitate in fidem Romanæ nobilitatis adducti sunt.

Germani externos etiam reges pepulere. Cap. V.

REges etiam externarū gentiū Germani nō timuerunt. Quum enim magnus Alexander domuisset Triballos, Bœotiam, Thraciā, Spartanos, Thessalos, Achaiam, Peloponnesum, Ioniam, Lydiam, Lyciā, Ciliciā, Cappadociam, Cariam, Paflagoniam, maiorē & minorē Armeniā, Syriam, Ægyptios, Persas, Thauros, Hircanos, Medos, Sagas, Indos: deterritus tamen est aspectu & fama Germanorum, ad Danubijq; ripam substitit: & qui omnem Orientem feliciter calcauerat, eius uim una Germania repressit, impetum compescuit, audaciam retardauit. Darius & Cyrus potentissimi Asiæ reges, traiecto Danubio, Germanos non ausi sunt attingere. Lisymachus rex maximus, quū ingenti coacto exercitu Danubium traiecisset, à Romechæte rege, non modo uictus, sed etiam captus est. Tanta fuit Germa-

norum uictoria,tantæ eorum clades, qui Germaniam armis petierunt,ut na tum sit inter finitimos prouerbium:Male qui uelit pugnare, cum Germanis pugnet. Quumq; Germani omnium uictores inuictissimi haberentur,ueteres Romani Imperatores illud certatim enixissimeq; contenderunt, ut sicut Scipio ab Affrica Affricanus,& alter ab Asia Asiaticus:ita ipsi propter splendorem prouinciæ Germanici cognominarentur. Tyberius etiam Cæsar filiũ sibi natum,cupiditate eximiæ gloriæ Germanicum appellauit. Domitianus ac Nerua Cæsares titulis cæteris, quos senatus detulerat, repudiatis, solum Germanicum recepere,in quo uno plus ornamenti esse,quàm in cæteris prouincijs positum arbitrabantur. Prouerbium

De armatura fœminarum & puerorum Germanorum ab ipsa natura. Caput VI.

MEmoriæ proditum est,fœminas quoq; Germanas sumptis aliquando pro patria armis, ex integro uirorum pugnas instaurasse, & ad studia bellica prolem suã à primis incunabulis auspicatas esse, ueluti armis initiati & addicti,Martem singulare & præcipuũ belli numen coluere.Enimuero peritis astrorum constat uim atq; influxum Martis,hoc est,appetitũ quendam armorum,ardoremq; bellandi Germanis inesse, ut nõ solũ artibus ad arma sint idonei, sed natura ipsa ad rem militarẽ disciplinamq; bellicã geniti esse uideant̃.Eam ob rem Germanos à natura bellicosos Dionysius uocat. Inde etiam corpora eximia ac procera:uultus etiã, quãuis pace lætos, tamen bello terribiles, & oculos in pugna minaciores atq; incensos,& uocẽ ad terrorẽ plenissime incutiendum naturã dedisse uidemus. Huius non ignarus ætate nostra Bap. Mant.poëtarũ facile princeps ad Robertum Seuerinatem Veneti exercitus ducem,à Germanis uictum atq; fugatum,inquit:

Sed neq; te imbelles Indi molléſue Sabæi.
Pygmæi'ue breues rapiunt,uerum accola Rheni
Gens durata gelu,genus insuperabile ferro,
Quod totiens Romam tum cum ditione premebat
Europæ,Lybiæq; urbes,Asiamq; minorem
Terruit:hi superant Parthos,Thracumq; furores,
Quos Martem genuisse ferunt,hi spicula torquent,
Penthesyleæa non inferiora securi.

Germani Romanos Imperatores multos uicere. Cap.VII.

OCtauij Augusti fortissimæ quondã legiones contra Germanos missæ, apud Cheruscos à Germanis concorditer arma capientibus,ad internitionẽ sunt deletæ: & quæ reliquũ orbem usq; ad solis ortum perdomuerunt, uni Germanorũ exercitui pares esse nõ potuerunt. Ipseq; Octauianus omnes graues ignominias,cladesq; nõ alibi q̃ in Germania accepit, sed præcipue Varianã penè exitiabilẽ, tribus legionibus cũ duce, legatisq;, & auxilijs omnibus

omnibus cæsis. Hac nunciata, Augustum adeo consternatum ferunt, ut per continuos menses, barba capilloq; submisso, caput interdū foribus illideret, uociferans, Quinti Vare, legiones redde, diemq; cladis quotannis mœstum habuerit. Lugubrem hanc Romanorū cladem, & insignē Germanorum uictoriam, apud Augustam Vindelicam contigisse opinatū est, eumq; locum Perleig, appellatum, eo quod illic perierint legiones, commemorat Otho noster Phrisingensis. Tiberius Augusti successor armis Vindelicos aggressus, Germanis insurgentibus, breui è Germania discedere coactus est. Vespasianus summus postea Imperator, à Claudio Cæsare cōtra Germanos missus, triginta & duabus pugnis uincere Germaniā nequiuit. Antonius Aurelius, & Alexander Cæsares, postulauere à Germanis auxilium, coactiq; sunt præsidia, & copias omnes ex oppidis concordis Germaniæ deducere, & nationē Germanicam æquis conditionibus in amicitiam societatemq; recipere. Traianus suscepto apud Coloniam Agrippinam imperio, non ui aut armis Germaniā coēgit, sed mansuetudine, liberalitate, & iustitia inaudita incredibiliq; eam mitigauit. Hæ res igitur laudi Germaniæ fuere, usq; ad salutis nostræ initia. Tu autē, ut religioni Christi addictū theologumq; decet, quid fidei, quid moribus humanis, artibus deniq; ac disciplinis humano contulerimus generi, à me iā explicari postulas. Fateor me tantis imparē rebus, sed quantum lectione percepi, memoriaq; suggeret, ad te perscribam. Tacebo autem quo pacto Rhetij, Noriciq;, Valeriano Imperatore salutato, Transalpinam Galliam, Lombardiam uulgo dicunt, discursarunt flammis populabundi omnia uastantes, Rauennam usq;: aut quas denique expeditiones cum Gothis, Vandalis, Hunnisq; gessere, inter quos Sueui, Heruliq; militarunt, & ex Germanis Alani: sunt enim alij Pontica natio, ex quibus Gothialani dicuntur Tarraconensem Hispaniam incolentes, quos uulgo Cathelanos dicimus. Fuere & Germani Langobardi, ut nomen sonat, licet ex diuersis Germanis gens collectitia, quæq; ex fortuna duces sortiretur, auspicijs Narsetis militantes, Totila Theiateq; Gothorum regibus oppressis, nomen Gothorum regnumq; ex Italia pepulere. Vtinam uerborum barbariem ut regnum sustulissent.

Errant qui id astruūt. Nam hæc clades nō accidit ī Rhetia aut in Vindelicis, sed in saltu Teutoburgiensi, in Germania, autore Tacito.

DE ANTIQVITATE BAIOARIORVM.

De Carolo magno primo Germanorum Imperatore post Græcos, & de inhumano facinore Gallorum Modernorum. Caput IX.

QVid de Pipinis, Carolis dicam, qui Germanorum ductores, Langobardorum potentiam, quæ collectitia, ut diximus, gens, toti Italiæ dominata est, comprimentes Desiderio & Aistulpho eorum regibus domitis uictisq;, ac in Germania custodiæ traditis, Ro. pontificibus sæpius rebelles, tandem sub iugum misēre, ducentesimū quartumq; post annū, quo in Italiā

uenerant:

tenerant: Anno autem Christi D. CCLXXVI. Carolus enim magnus, cui Franconia natale solum fuit, Platina teste in Hadriano primo, Romam petijt expectatus ab Hadriano cum clero suo in gradibus sancti Petri, pedes pontificis exosculatur, omnes basilicas piè & religiose inuisit, ac muneribus quibusdam ornauit: quæ dono pater Pipinus Gregorio tertio dederat, eadē ipse amplioribus priuilegijs confirmauit, Desiderium ecclesiæ Romanæ persequutorem in exilium misit, Cassinum religionis causa diuertēs, omnia monasterij dona ab alijs principibus diuo Benedicto data confirmauit. Mox deinde Carolus nulla interposita mora, in Saxones idololatras, qui ob eius in Italiam discessum rebellauerant, mouet, atque eos postquam à primo in eos bello triginta cum hac gente annos bellauerat, uictos iugū Christi subire coëgit. Id eò spectat, ut Carolum Germanum esse intelligas, nam Transrhenanus est: ideoq; magnifice res per eum gestæ nequaquam Francis modernis, sed Francis Germanis sunt assignandæ, à quibus hi Galli, qui Francorum regni titulo designantur, olim desciuere, uti & hodierna die cum Maximiliano Christianissimo Romanorum rege contra ius gentium humanā societatem integritatemq; defecerunt. Nam Maximilianus ex ea domo ac familia genitus est, de qua Caroli magni stirps propagata fuit. Carolus is est, qui Leonē tertiū à populo Romano fraude Pascalis Primicerij & Campuli presbyteri captum & cæsum, in Germaniamq; usq; ad Saxones (contra quos tum bellum Carolus gerebat) profectum egregio comitatu, Romam remisit. Mox deinde Carolus non diu moratus, per Magontiacos in Belgis positos, Noricumq; montem in Forumiulij descendens, Romā expectatus proficiscitur. Vrbem ingredienti, omnia certe, & merito quidem, honoris genera adhibita sunt. Octauo autem die postea, quàm urbem ingressus fuerat, in basilica Petri astante populo & clero, episcoporum omnium qui eò ex tota Italia & Francia conuenerant, sententias de uita & moribus pontificis rogat: uerum ob omnibus una uoce responsum est, sedem apostolicam omniū ecclesiarum caput à nemine, laico præsertim, iudicari debere: omissa autem ob tam graue responsum à Carolo quæstione, Leo pontifex qui id iudicium maxime expetebat, suggestū conscendens, ac euangelia in manibus retinens, iureiurando affirmauit se omnium rerum quæ sibi obijcerentur insontē esse. Fuit is dies idibus Decembris, salutis anno octingētesimo. Dum autem hæc Romæ agerentur, Pipinus mandato patris, Beneuētanos duce Grimoaldo, finitimos suos uexantes aggressus, magnis cladibus ita perdomuit, ut ægre se mœnibus tuerentur, cui bello Vinigisinum Spoletinum ducē præficiens, ad patrem reuertitur, imperij coronam breui sumpturū. Nam pontifex Carolo optime de ecclesia dei merito, aliquam gratiam relaturus, quum uideret Imperatores Constantinopolitanos ægre id nomen tueri, ac ob eam rem urbem & Italiam ipsam magnas calamitates passam, in basilica Petri, post solennia

Francia Germanica dicere debebat

Maximilian.

solennia sacrā populi Romani scito & precibus, ipsum Carolū magna uoce Imperatorē decernit, ac diademate donat, ter acclamante populo Romano, CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI VITA ET VICTORIA. Pontifex item hominem inunxit, unà cum Pipino filio, quem Italiæ regem solenni decreto pronunciauit. Quid gloriosius, quid laude dignius Germanis unquam accidere potuit, quàm propter pręclaras belli sacerdotijq; defensi uirtutes, supremi regni, & totius orbis monarchiam, summiq; principatus habenas & gubernacula meruisse, ac quoad secula stabunt possidere? Id certo constat, propter ignauiā Imperatoris Constantinopolitani à Græcis in Germanos Romanum imperium translatum esse.

Carolus magnus filijs suis regna distribuit, imperijq; fines decernit. Ca. X.

CArolus autē iam senio grauis, quum intellexisset Pipinū: quem, ut diximus, Italiæ regem præfecerat, Mediolani mortuū esse Ludouicū filium minorem natu, Aquitaniæ regem & imperij successorē: Bernardum uero nepotē Italiæ regē declarat, eiq; mandat, ut Ludouico rebus in oībus obtemperet. Fines imperij hos esse uoluit, in Gallia, Rhenū ac Ligerim q in Celtis oriens, eos à Biturigibus diuidit. In Germania uero, Danubiū & Sauū fluuios. His autē prouincijs, Aquitaniam, Gasconiā, magnā partem Hispaniæ, Cisalpinam Galliā, Saxoniā, utramq; Pannoniā, Istriam, Liburnos addidit. Maritima uero Dalmatiæ imperio Constantinopolitano subiecta erāt, quæ nūc pro magna parte Turcis seruiunt: in dedecus principū Christianorū, qui dū pro sua libidine decertāt, magnā Europæ partē Mahumetanæ perfidiæ subiectam esse permittunt. Rebus autem ita compositis, dum Aquisgrani esset ualetudinis causa, propter aquas calidas quæ ibi scaturiunt, febre ac dolore laterum moritur, ætatis suæ anno lxxij. quinto Kal. Februarij, Salutis uero anno, D. CCCXV. Eius autem corpus nullo non genere honoris adhibito, in templo beatę uirginis, quod ipse magnis sumptibus Aquisgrani extruxerat, sepelitur, hoc addito epigrammate, MAGNI CAROLI regis Christianissimi, Romanorum Imperatoris corpus hoc sepulchro conditū iacet. Fuit aūt Carolus (si eius res gestas tum domi tum foris inspicis) tantæ amplitudinis & integritatis Imperator, ut postea neminem superiorem, nedum parem habuerit. Adeo autem quum ei per ocium liceret, studijs literarum delectatus est, ut primus, suadente tamen Albino, gymnasiū Parisiense instituerit. Non dubito à te & abbate Spanheimensi in Catalogo Germanorū, de quo mihi scripsisti, consignatum esse Bonifacium archiepiscopum Maguntinum, qui Germanos ad Christi fidem conuertit. Neq; prætereas Rhabanum illustrissimum theologum atque poëtam, Strabumq;, & Haymonem, uiros in studio sacratissimarum literarum præstantes.

De Lodo-

De Ludouico Pio CAP. XI

Ludouicus Pius imperator ubi intellexit Stephanum quartum, Romanum pontificem in Gallias proficiscẽtem ad sese in Aurelianis aduentare, statim honoratissimum ei quemq; obuiam misit. Ipse uero ad primũ lapidem prodiens cũ hominem uidisset, ex equo descendit, atq; eum (data acceptaq; salute) cũ maxima ueneratione in urbẽ introducit, sustentatq; põtificem imperator, propter impetum multitudinis studio uidendi concurrentis. crucem magni ponderis magnæq; æstimationis sua impensa beato Petro dicauit. dedisse dicit' Paschali liberã eligendorum Episcoporũ potestatem, quæ antea ex imperatorũ uoluntate pendebat. Ludouicus eñ natura clemẽs & humanissimus fuit, Ecclesiæ iura & dignitatẽ semper tutatus est. Instituit etiam ne Christi serui ulli seruituti humanæ subiecti essent, & ut unaquæq; Ecclesia suos prouentus haberet, unde sacerdotes uiuerent, ne ob inopiam rerum cultum diuinum desererẽt, neue ob necessitates quæstui sese dederent. Idem præterea Ludouicus octingẽtesimo ac trigesimo nostræ redemptionis anno synodum multorum Episcoporũ habuit, in qua uanitates uestium, luxusq; gemmarum, auriq; & argenti nimia pompa Ecclesiasticis interdictæ sunt. Vtinam nostris temporibus Ludouice uiueres. Sunt qui scribant rogatu Ludouici Gregorium sanctorum omnium celebritatem Kalendis nouembris instituisse. Ludouicus Bernardum fratrem, Italiæ regem, qui ab imperio defecerat capitali supplicio affecit: Episcopos uero huius factionis autores, qui Bernardum instigauerant, in monasteria relegauit. Filium suum primogenitum Lotharium, imperij socium sibi delegit in conuentu apud Aquisgranum habito. Misitq; ad pontificem Paschalem, à quo in Basilica Petri inungitur & Augustus appellatur. Moritur autem Ludouicus imperij sui anno xxxvi. Sepeliturq; Metis in Basilica beati Arnolphi.

De Lothario Primo. CAP. XII

Inter filios Ludouici exortũ est odium, propter imperij diuisionem. Cunque Ludouicus & Carolus contra Lotharium fratrem suum acerrime dimicarent, misit Sergius papa II. Georgiũ archiepiscopum Rauennatem, componendæ rei causa. Fratres totius regni calamitatem miserati, fœdera in hũc modum ineunt, ut pars illa occidentalis regni, quæ à Britannico oceano usq; ad Mosam flumẽ pertinet, Carolo obtemperaret, in eaq; etiam Francorum nomen maneret. utq; Ludouico Germania cõtingeret, usq; ad Rheni fluenta, & trans Rhenum quicquid genitor possedisset. Lotharius aũt cum imperij titulo, urbem Romam obtineret cum Italia, & ea parte Galliæ, quæ olim Narbonensis, nunc Romana prouincia uocatur. Huic autem addidere eam quoque partem, quæ inter Scaldim & Rhodanum fluuios Lothoringiæ à Lothario nomen accepit. Leo iiij pontifex accusatus de transferendo imperio ad Constantinopolitanos consilium iniſſe, Lothario se purgans satisfe-

cit, qui ob id delatione quorundam impulsus, Romam uenerat. Dicunt nonnulli Lotharium iam grandem natu sumpto monachorū habitu, filium Ludouicum imperatorem reliquisse. Vixit his temporibus Nodegerus Germanus primū abbas sancti Galli, deinde episcopus Leodiensis, in sacris & gentilibus literis eruditissimus. Quique Ecclesiasticas prosas composuit, quæ in Germania ante Euangelium in sacrificio Missæ leguntur: eas enim ut legi in re diuina posuit. Nicolaus papa primus approbauit.

Nodegerus

Nicolaus

De Ludouico secundo CAP. XII

Ludouicus secundus, Lotharij primi filius, quem regni socium pater asciuerat, & in italiam cum ingenti exercitu miserat, cum urbi appropinquasset, ei obuiam honoris causa Romani ciues prodierunt. Sergius secundus pontifex, mutuo osculo, mutuaq́ salute data & accepta, eum regem oleo sacro inungit, corona donat, Italiæ regem decernit. Approbauit Ludouicus imperator, edictum quo Nicolaus primus instituit, ne princeps ullus secularis aut imperator, concilijs clericorum interesse auderet, nisi de fide ageretur. Cumque Nicolao mortuo Romani Hadrianum secundum uirum sanctum elegissent, misit Ludouicus imperator literas, quibus Romanos ad modum laudabat, quod summum pontificem sanctè & integrè creassent, non expectato aliorum uoto, qui forte ea in re ob ignorationem personarum minus iudicij habuissent. Qui enim fieri posse dicebat, ut peregrinus & hospes dignoscere posset in aliena Republica, quis potissimum cæteris præferendus sit. Sententia imperatore digna.

Sergius II

Nicolaus I

Hadrianus II

De Carolo tertio. CAP. XIIII

Mortuo Ludouico, Carolum eius filium Ioannes octauus, quo ei liberius in urbe uiuere liceret, imperij corona donauit. Tertiusq́ Carolus appellatus est. Qui postea in Normannos exercitum mouens, Franciam & Lothoringiam uastantes, ita eos perdomuit, ut Rothifredus eorum rex, pacem petere & fidem Christi suscipere coactus sit, quem imperator Carolus in gratiam recipiens, baptismatis fonte leuauit, & filiam in uxorem dedit. Hic Carolus multa monasteria condidit, ac rem diuinam auxit: sed hæc eius præcipua laus, quod multos ad scribendum impulit. Nam & ad suam instigationem Milo beati Amandi monachus, eiusdem sancti uitam accommodatè scripsit. & Ioannes Scotus quædam nostræ religionis acutissimè disputata grauissime composuit.

Milo

Ioãnes Scotus

De Arnolpho septimo à Carolo Magno imperatore. CAP. XV

Arnolphus septimus à Carolo Magno imperator, primo quidem strenue, sumptis armis Normannos rebelles perdomuit, uerum mox in Ecclesiasticos sæuiens, dei nutu pediculari morbo, quem Græci φθειρίασιν uocant breui cōsumptus est, relicto Ludouico filio successore. Non inuenimus quēpiam filios filiorum suorū uidisse, aut feliciter tandem mortuum, qui clerum,

qui

qui ecclesiam, qui dei ministros persecutus, dãno uel cõtumelijs eos affecisset.

De Ludouico tertio Arnolphi filio. Cap. XVI

LOdouicus in imperio suffectus, nusquam legitur coronam accepisse, tamen cum Berengario Foroiulianorum duce, qui à Longobardorum regibus originem ducens, auitum paternumq; regnum repetebat, armis decertauit, & primo Berengarium uicit atq; superauit. Mox apud Veronam renouato prelio, Ludouicus magna suorũ clade superatur, ac oculis genitalibusq; priuatur, sicut Germanorum annales referunt, ne successorem sibi generare posset: qua uictoria, regnum Italicum iterũ ad Longobardos peruenit, annos fere post centum à Caroli morte, à quo tempore ignaui principes apud Germanos, Italos, Francosq; occidentales fuere, pariter & in Petri sede.

De Henrico primo Cap. XVII

HEnricus Germanię rex, ab hac ignauia liber & immunis, Hungaros qui Alemaniã Saxoniamq; populabãtur, apud Meresburgã ingẽti clade superauit. Eodẽ ferè tẽpore Rudolphus Burgundionũ rex, Berengariũ secundum ex Italia in Hungariam pepulit. Quo mortuo Berengarius tertius Berengarij primi ex filijs nepos, Italico regno potitur, Anno D.cccc.xxxv

De Othone primo Cap. XVIII

HIs ignauis principibus, successit Otho Germanię rex, ex nobilissima Saxonum domo qui Venceslai Bohemorũ regis mortẽ ultus est, eo maximo tempore, quo Romanæ sedi Stephanus octauus pontifex præfuit, qui & ipse Germanus erat. Quũq; Berengarius Henrico Bauarorũ duce fugato, Italia potitus imperatoris sibi nomen usurparet, filiumq; Adelbertũ Italiæ regem dixisset, coniecta in carcerem Adelhaida Lotharij fratris filia, ne Papiam urbem dotalem repeteret, Agapitus pontifex, Italiæq; proceres ob tantam Berengarij superbiam, omnia sibi contra ius phasq; uendicantis, Othonem Germanum regem in Italiam uocant: qui quidem per Forumiulij, cum quinquaginta milibus hominum prouinciam ingressus, deturbatis statim è regno Berẽgario & Adelberto, Adelhaidam Lotharij filiã è carcere ductã, in uxorẽ accepit: ex qua postea filiũ suscepit, cui Othoni secundo nomen fuit. Otho tamẽ Italia discedẽs hac modestia usus est, ut Berẽgario & Adelberto gubernandæ prouinciæ arbitriũ permiserit, cõpositis inter pontificem & Berengariũ rebus. Idem Otho Ludouicũ Franciæ regẽ magnis eò propere deductis copijs iuuit, quẽ proceres prouinciæ, adiuuante Hugone Parisiorũ comite, ipsius Othonis sororio propè è regno depulerãt. Otho enim tum magno in precio erat domito Boheslao Bohemiæ rege superatisq; tribus grauissimis prælijs Hũgaris Germaniã uastãtibus, ac captis tribus eorũ regulis, quos Germani, cõtradicente imperatore, uitã laqueo finire coëgerũt. Interim mortuo Romæ Agapito, Octauianus pontificatum occupat, assumpto sibi Ioannis duodecimi nomine, homo sanè ab adolescentia omnibus probris ac

Stephanus 8

Ioannes 12

turpitudine contaminatus, uenationibus magis, si quid temporis à libidinibus supererat, deditus quàm orationi. Hac indignitate moti duo cardinales, Othonem literis obsecrant, ut clerum populumq; Romanum, è manibus Ioannis duodecimi, simul etiam Berengarij tyrannide uendicare conet. Hanc ob rem Otho in Italiam mouēs, primo quidem Berengarium & Albertum filium in potestatem suam redegit, alterumq; Cōstātinopolim, alterum in Austriam relegat. Mox urbem ingrediēs, ab ipso Ioanne honorificentissime suscipitur, coronaturq;, accepto Germaniæ Pannoniæq; titulo, quod reliqui imperatores deinceps obseruarunt. Otho autē composito aliquantulum statu ciuitatis, cum Ioanne secreto collocutus, hominem primo blande appellādo, à flagitijs deterrens, ad uirtutem adhortabatur: uerum quum nequaq; moueri è sententia uerbis eum cerneret, ad minas conuersus concilium indicit, conuocatis Italiæ Episcopis, quorum iudicio uita sceleratissima hominis dijudicaretur. Is itaq; iudicium bene sentientium reformidans, in Hernicos aufugit, in syluisq;, more feræ, aliquandiu delituit. Hanc ob rem Otho, persuadente clero, Leonem Romanum ciuem Lateranensis ecclesiæ scriniarium pontificem creat. Ioanne autem post discessum imperatoris, à suis amicis reuocato, & paulo post infeliciter mortuo, Romani in eius locum Benedictum subrogant, idq; ab imperatore qui tum Spoleti erat, confirmari contendunt. At imperator iratus Romanos tanq; iniusta postulantes à se repulit, eosq; ferro & flamma omnia circa urbem posita uastans compulit, eiecto Benedicto, quem secum in Germaniā exulem duxerat, Leonem suscipere, adactos sacramento, nil se earum rerum immutaturos, quas ipse imperator in re pontificia constituisset. Leo autem statim Romanorum inconstantiam pertesus, eligendi pōtificis auctoritatem à clero populoq; Romano ad imperatorem transtulit. Leone uero mortuo Ioannes tertiusdecimus pontifex, Romanorum quoq; seditionibus fatigatur. Accersito enim Iofredo Campaniæ comite, Lateranenses ædes ui irrumpente, Ioannem capiunt, captumq; primo in Hadriani molem, quam sancti Angeli Castellum uocāt, perducunt, mox in Campaniam exulatū mittunt. Otho cognita pontificis calamitate, cū Othone filio ingentibusq; copijs Romam perueniens, Consules & pręfectum cum decarchonibus, quales sunt qui regionibus urbis Romanæ præsunt, in uincula coniecit, sciturus coniurationis capita. Quæstionum autem re cognita consules in Germaniam mittuntur, Decarchones uero laqueo suspensi, pœnas statim dedere. Petrus autem urbis præfectus, malorum omniū fons & origo, diu cum ignominia per publica urbis loca tractus, ac uirgis cæsus, in Germaniam uinctus mittitur. Misit Otho filium suum cum exercitibus in Italiam, ut Sarracenos ex ea pelleret: nec contentus erat Otho filius, Sarracenos cędere, sed Græcos quoq; qui cum Mauris fœdera inierant, grauissimis prælijs ita perdomuit, ut eos ferè omī Calabria & Apulia eiecerit. Otho deinde

deinde egregius adolescens, Nicephorum Constantinopolitanum impera-torem pepulit, & Ioannem filium in imperio confirmauit, Theophaniamque sororem in uxorem accepit, quam Ioannes tertius decimus una cum Othone marito apud Lateranensem basilicam corona imperij ornauit, annuente Othone sene, qui filium consortem imperij fecerat. Otho uero pater in Germaniam proficiscens senio confectus, optimus princeps, & acerrimus ecclesiæ Romanæ defensor, Viennæ moritur.

De Othone II Ca. XIX

OTho secundus primi Othonis filius, Henricum Bauarorum ducem rerum nouarum cupidum, perdomuit, & in Lotharium mouit, qui Lothoringiam Romani imperij prouinciam occupauerat, Aquisgranensemque agrum populatus fuerat. Otho autem superato Lothario, uastatisque Suessionum agris, ac incensis Parisiorum suburbijs, dum in patriam copias reducit, apud Auxonam fluuiũ nonnihil incommodi accepit. Deinde uero comparato maiori exercitu, in Italiam contra Basilium & Constantinum Græcorum imperatores ueniens (qui iam Calabriam & eam Italię partem quæ ad Siciliam uergit occupauerant) dum apud Basentellum pugnaretur, propter desertionem & fugam quam Romani & Beneuentani cœperant, superatus est: & ascensa scapha captus, beneficio linguæ (Latinam enim & Græcam calluerat) Diuique Petri patrocinio quem inuocauerat ereptus est. Deinde comparato ingenti exercitu, in desertores Italos animaduertere decreuit: potissimum in Beneuentanos, à quibus initium fugiẽdi factum fuerat, dum apud Basentellum contra Græcos pugnaretur. Itaque in Beneuentanos conuersus, urbem capit & incẽdit: translato inde corpore diui Bartholomei, Romæque in insula Tyberina collocato. Moritur paulo post Otho Romæ, & in uestibulo beati Petri (paradisum uocant) labro Porphyretico quod adhuc introeuntibus ad læuam apparet, honorificentissime sepelitur.

Lotharius

Corpus sancti Bartholomei

De Othone III Ca. XX.

GErmani qui tum in urbe erant, Othonem filium imperatorem eligunt. Cuius authoritate Bruno ex Saxonum genere, Romanus pontifex creatur: Gregorij quinti nomine desumpto. Othone autem in Germaniã abeunte, Crescentius denuo cũ summa potestate à Romanis Consul decernit: qui statim Ioannẽ quẽdã natione Græcum pontificem creat: Gregorio reiecto. Qua indignitate motus Otho, magnis copijs in Italiã uenit: Crescentium cum Ioanne in molem Hadriani, quod est castrum sancti Angeli, fugientem obsedit, acriter arcem his qui in præsidio cum Crescentio erant defendentibus. Tandem sub spe ueniæ deditione facta, dum ex arce ad imperatorem se conferunt: Crescentius à multitudine multis uulneribus confoditur, Ioannes pontificatu deijcitur Gregorio restituto. Gregorius iste cognita imperij imbecillitate, uarietateque fortunæ, utque is qui cæteris uirtute præstaret,

Gregorius V

Crescentius.

Ioãnes. XIIII

præesset etiam dignitate, sanctionem retulit haud abnuente Othone de imperatore deligendo: Anno Christi M. II. quam usq; ad nostra tempora seruatam uidemus, uidelicet solis Germanis licere principẽ eligere, qui Cæsar & Romanorũ rex appellatus, tum demũ imperator & Augustus haberet: si eum Ro. pontifex inunxisset: Neq; hanc electionis authoritatem electoribus deinceps Ro. põtifex adimere potest. Quis enim dedit populo Romano imperatoris eligendi potestatem, nisi ius & diuinum & naturale.

De defectione stirpis Caroli magni in Galliјs: deq; indignatione Gallorum in electorum institutionem. Ca. XXII.

QVamuis autem, magnanimo, cõstanti, & ueraci populo, nationiq;, potius quàm pusillanimi, leui & uersipelli, ecclesiæ patrociniũ imperiũq; Romanum commissum esset: tulere tamen id iniquo animo Franci occidentales, quos nunc Gallos uocãt. Verum quoniam in Ludouico Lotharij filio, genus Caroli magni in Gallijs defecerat, regimenq; Galliarum ad Hugonem ducem, cognomento Caputium uenerat, repetere imperium destitere. Nec indigne, cum uera Caroli stirps sicut à Germanis ortum & originẽ habuit, ita in Germania permansit: in tribus quidẽ nobilissimis illustrissimisq; & potentissimis, Saxoniæ, Bauariæ, Austriæq; domibus. Crebris enim uictorijs, nunc Saxones, nunc Bauaros Carolus magnus deuicit, quibus ex suis cognatis duces designauit: à Francis autem orientalibus qui Germaniam incolunt, ipse Carolus genus duxit. Omnesq; Franci transrhenani à Troiana stirpe post Ilium captum, longa serie progeniti. Caroli autẽ, & huius patris Pipini genus ex Austrasia fuit, sicut Blondo placet, & Robertus Gaguinus asseuerat: qui & apud reges Francorum summo magistratui præpositus extitit, quẽ sub priscis regibus Magistrũ domus appellauere. Beatus Arnolphus ecclesiæ Metensis XXIX episcopus, cum ante adeptũ pontificatũ, huic quoq; magistratui præfuisset: ex legitima coniuge duos filios procreauit, Anghisum & Clodulphũ. Anghisi huius nomen ab Anchise patre Aeneæ (qui à Troia in Italiã uenerat) credit' esse deductũ. Anchisus genuit Pipinũ, quo nemo unq; fuit audacior: ex illo Carolus nascitur uiris fortissimis conferendus: q inter maxima bella quę gessit, ita pręcipue Sarracenos cõtriuit, ut usq; in hodiernũ diẽ, gens illa truculẽta & perfida, Francorũ arma formidet. Hic itaq; genuit Pipinũ fortitudine sapientiaq; clarissimũ. Is Vascones cum principe suo Vaifario perdomuit, miraq; facilitate debellauit.

Hugo Caputius · *Saxonia* · *Bauaria.* · *Austria.* · *Blondus.* · *Robertus Gaguinus* · *Arnolphus Metensis* · *Anchisus* · *Pipinus* · *Vasco*

Carolum magnũ & Pipinũ patrẽ suum fuisse Germanos. Ca. XXII

HVic Pipino, filius fuit Carolus magnus, quem ut Germanũ fuisse luce clarius intelligant, qui Gallum eum arbitrantur, audiant coniugũ liberorumq; eius nomina, quæ germanica sint, non solum uoce, sed & significato fuisse. Carolus ex Hildegarde coniuge, quatuor filios, & filias quinq; procreauit. Habuit tamen ante legale connubium ex Himeltruda nobili puella, filium

filium nomine Pipinum. Natorũ ſanè quos ex Hildegarde genuit, iſta ſunt nomina. Primus Carolus patris ac proaui uocabulo nuncupatus. Secundus item Pipinus. Tertius Ludouicus, qui cum Lothario in infantia mortuo, uno partu eſt genitus. Mortua autẽ Hildegarde apud urbem Metenſem, in beati Arnolphi oratorio requieſcit. Vbi & duæ Pipini filiæ humatę ſunt: Rodthaid una, altera Adelheid appellata. Cum hæc nomina quiddã apud nos ſignificent, & apud reliquas nationes ſint barbara, conſequens eſt non à gallis parentibus, ſed Germanis inuenta, & liberis indita fuiſſe. Hæc ex annalibus Metenſium hauſimus. quã ob rem Vrbanus ſecũdus in conſilio Claromontenſi Carolum germanum fuiſſe, inter orãdum cõmemorauit. quod & M. An. Sabellicus in Venetorum hiſtoria narrauit. Taceo ꝙ Carolus in Germania natus in ea crebram (dum per bella licuit) moram faciens, in Germania quoq; ſepultus, Menſibus & uentis Germanica per ſeſe indidit uocabula. Multasq; ſacras ædes, multa ſanctorum patrum cœnobia, Carolus & filij nepotesq; eius, in Germania, in Ringauia, & Francia tranſrhenana ſiue orientali, & apud Magonum inſtituerunt, fundarunt, dotauerunt, extantq; hodie arx & ciuitas ab eo in Francia orientali ſub epiſcopatu Herbipolenſi extructæ, quæ à ſuo ipſius nomine adhuc Caroli ciuitas, & arx Caroli nuncupantur. Nemo uero credat Gallos aut Francos occidentales, in Germania tranſrhenana ditiones & poteſtatem habuiſſe. non paterentur id Baioari, Sueui, ac Franci orientales, homines utique magnanimi ac conſtantiſſimi, uiros è Gallijs per Rhenum aduenientes, ſibi dominari: quos neque Iulius, neque Auguſtus ſubiugare potuerunt. At Franci tranſrhenani, qui ſunt orientales, in Gallia dominati ſunt, arcéſque & urbes & authoritatem in manibus ſuis tenuere. Dum enim rex quidam Francorum occidentalium regno inutilis à Pontifice deponeretur, Pipinum Caroli magni imperatoris patrem ex Auſtraſia, quæ Germaniæ pars eſt, ortum in eius locum ſubſtituit: cuius rei ſacri canones, & Baldus acutiſſimus iurium interpres, Blondus Forliuienſis, & multi doctrina præcellentes uiri ſubſcribunt. Itaq; Germani Gallis, non Galli Germanis dominari ceperũt. Adde quod & Innocentius tertius Romanum imperium à Græcis in Germanos tranſlatum refert in perſonam quidem magnifici Caroli. Eum ergo germanum fuiſſe liquido comprobatur, ipſumq; patrem ſuum, Pipinum ex Germania natum, frequentatiſſimo prouerbio coniectari poteſt: quo noſtrates uel pueri crebro alterutrum colloquuntur, huiuſmodi uerbis: etiam ſi haberes prudentiam regis Pipini, uulgo pippis. Et Aeneas Syluius in capite hiſtoriæ Bohemorum aſſeuerat, Francos ſiue Gallos ex Germanis deſcendiſſe. Errant igitur uehementer pleriq; etiam noſtratium, qui Alſatiam, qui nobilem Argentinam, qui cæteras terras à ſiniſtro rheni latere ſitas (quæ ad Romanum imperium, & ad nationem germanicam ſpectant) ſub dominium

Rodtheid

Nomina germanica

Vrbanus .II

Herbipolis Caroli ciuitas

An Galli germanis dominati sunt

Innocẽtius 3

Aeneas Syluius

Gallorum,& regnum occidentalis Franciæ pertinere arbitrantũt. Audacter igitur Caroli gentem nobis uendicemus, nec sinamus superbos gallos sibi arrogare, quod nostrum est, legemq; Faniam de plagijs intẽdamus. nititur enim gallicus fastus cuncta sibi contra ius & fas usurpare. Memoriæ enim proditum est, & Aeneas Syluius palam scribit, nullam esse gentẽ quæ Gallorum superet ambitionẽ. Scribit præterea Flauius Vopiscus quod non prætereundum duximus, Proculum imperatorem occisum prodentibus Gallis, quibus familiare esse ait, ridendo fidem frangere. eosdem nouarum rerum cupidos Iulius Capitolinus refert. Sed missa istæc faciamus. redeo iam ad germanos qui huic inclitæ genti successere.

Apud Vopiscũ legitur frãcis. Et intelligit de francis Germanis, nã eo tẽpore nõdum in Galliã transierant.

De Henrico sancto. Ca. XXIII.

PRimus igitur occurrit Henricus ex ducibus Bauarorum, qui secundum institutionem Gregorij V ex superius dicto senatusconsulto, maioris deniq; autoritatis Hortensia lege, primus ad imperium sufficitur: De cuius uita moribusq; nihil mihi dicendum assumo: supra enim uires pondus est: cũ ob sanctitatem uitæ in numerum sanctorum relatus sit: & ne solam ei uirtutem suffragio fuisse intelligas, genus etiam Othonis cõtingit. fuit etenim magni Othonis ex fratre nepos. Et ne ob pietatem religiosissimamq; uitã res bellicas neglexisse credatur, compositis rebus germanicis in Italiam mouit, acceptaq; imperij corona Sarracenos à Capua expulit, ac Bubaganũ Græcorum ducẽ, qui Mauris fauerat, acri prælio superatũ, adeo persecutus est, ut eum quoq; Troia spoliauerit, quam is condiderat, in eo loco ubi quondam Amilcaris filij Hannibalis castra fuere. Moritur autẽ sanctissimus rex, una cum Kunegunde coniuge sacratissima muliere, anno imperij octauo.

Lex Hortẽsia — *Capua*

De Conrado Sueuiæ duce imperatore. Ca. XXIIII.

POst huius sancti uiri mortem triennale interregnum fuit, cum electoribus minime constaret quem potissimum deligerent. tandem legitimis suffragijs, Conradum imperatorem creauere, qui Franciæ orientalis & Sueuiæ dux fuerat: & ne cum Gallis quispiam erret, exploratũ est omnes rheni accolas Francos uocari: præcipue uero Alsates conterraneos nostros Quod si perpetuam historiam scriberem, uero certius id demonstrarem. Nomen enim Francus liberum denotat. Scimus autem inter cunctos Germaniæ populos, Alsates Romana libertate pollere. Conradus princeps strenuus, & in re militari præstans (qui apud Henricũ diu ordinũ dux fuerat) ad imperium suffectus, primo pacẽ teneri edita lege sanciuit. Et quia post mortẽ Henrici multæ ciuitates Italiæ ab imperio desciuere: coactis copijs, quas prius sub Henrico duxerat in Italiam descendens: primo in Mediolanum mouit, ciuitatem obsidione cinxit, excidium & interitum urbi interminatur. Suadente autem Coloniensium antistite, cui ob id diuum Ambrosium in uisione apparuisse dicũt, obsidionẽ soluit. profectus deinde Romã accepta imperij corona

Rhenus — *Alsates* — *Francus* — *Mediolanum* — *Coloniensis episcopus.* — *S. Ambrosius*

corona, à Ioanne pontifice in Sclauos & Vngaros mouit, qui deficientibus rebellantibusq; Italis auxilia præstiterant, eosq; breui perdomuit. Ea tempestate Rudolphus Burgundionũ dux, suorũ seditionibus uexatus, fidei patrocinioq; Conradi se submisit: qua de re prouincia Burgundiæ deinceps imperialis aliqua ex parte dicta est, maxime ea quę ad Pyrrhetensem comitatum inter Dubidem sita est. Persecutus deinde est Lupoldũ comitem de Kalbo, quod ab eo initium turbatæ pacis, ocij & quietis ortũ fuerat. cuius filius Henricus, patre exule, rusticamq; uitam ducente, Conradi filiam uxorem duxit, diuino nutu, tandemq; ad imperium (quamuis bis ad occidendum traditus esset) peruenit. Romanis etiam Conradus exitiũ interminatus est, si diutius (quemadmodum cœperant) pontificem seditionibus uexassent. Moritur Conradus anno nostræ redemptionis M. xxxix. pridie nonas Iulij in templo Spirensi quod fundarat & dotauerat sepultus.

De Henrico secundo imperatore, Cap. XXV

HEnricus imperator gener Conradi, in loco natiuitatis suæ monasterium condidit, nomine Tempe ceruorum (uulgo Hirschouu) in Hercynia sylua adhuc extans. Mouit deinde in Bohemos exercitũ, quoniam rex eorum Polonos iniussu suo uastauerat, decertans primo dubio Marte cum eorum duce Bisetislao: deinde anno sequenti, maioribus copijs collectis, transmissa sylua, ferro ac flammis cuncta uastauit. Tum certamine commisso, ducem superat & capit, uectigalemq; factũ dimisit. Domitis deinde Hungaris, in Italiam cum magno exercitu ueniens, habita synodo Benedictum nonũ, Syluestrum tertium, Gregorium sextũ, tria pessima teterrimaq; monstra abdicare se magistratu coëgit. Sindegerumq; Germanũ Bambergensem Episcopum in Petri sede pontificẽ collocat, Clementem secundum appellatũ, acceptaq; ab eo imperij corona, Romanos in sua uerba iurare coëgit, pontificum electioni nequaq; se interfuturos, nisi iussu imperatoris. Considerabat enim bonus princeps eò rem deuenisse, ut factiosus quisq; ac potens corruptis suffragijs, summam dignitatẽ niteretur adipisci: quæ nisi diuino nutu, tũ sanctitate uitæ, tum doctrina bene meritis demandari non deberet. Inde in Apuliam profectus conductis militibus qui Sarracenis hostibus resisterent, in Germaniam est reuersus: quo abeunte, Romano pontifice ueneno sublato, Damasus sine legitimis cleri populiq; suffragijs, atque imperatoris iniussu, pontificatum occupat. Romani eius causa legatos ad imperatorem mittunt oratum ut pontificem sibi daret.

De Leone IX. Germano electo in consilio Maguntino. Cap. XXVI

HAbita synodo Germaniæ Galliæq; præsulum in Maguntiaco, statim Brunonem Episcopum Tullensem pontificem creat, Leonem nonum appellatum. Hic Leo ex Alsatia genitus est ex comitibus de Dabisburg, sicut ipse in Bulla propria quæ est in cœnobio Altdorffensi Argentinensis

dicecesis

diœcesis mentionem facit, quam ego ipse Iacobus Vuymphe. Seletstad.& uidi & legi. Multaq; eius monumenta extant: locus est Sanctę crucis appellatus, ubi monasterium monialium instituit, quod paulum supra nostram ætatem defecit, redactiq; sunt census ad Decani administrationem. Multæ ibidem reliquiæ à Leone loco donatæ sunt. Tres arces iuxta Marpachium & Egisheim uidemus, in quarum una diuus Pancratius frequentissime colitur, per Leonem consecrata. Quare semper Alsaticis papa Leo in ore est, ab anno Christi M. xlix. ex Alsatia enim natus est, multisq; miraculis clarus, de nostraq; patria optime meritus: qui & nonnulla contra hæreses Græcorum quę errores scripsit, innocentia, pietate, mansuetudine, hospitalitate nulli secundus. Deniq; apud deum adeo clarus, ut angelos cantantes (ego cogito cogitationes pacis) audire, & Christū in pauperis leprosiq; specie hospitio excepisse meruerit. In religionis & fidei rebus adeo diligens solersq; fuit, ut Berengarium quędam de fide nostra male sentiētem damnauerit, Constantinopolitanumq; imperatorem suis monitis impulerit, dominicū sepulchrum Hierosolymis à Barbaris fœdatum corruptumq; restituere. Idem Leo Argentinæ ædem sancti petri Iunioris anno M. L. dedicauit, maximas concedens indulgentias. Moritur hic uir sanctus, quinto sui pontificatus anno.

De Victore secundo Germano antea Globhardo qui Simoniacos priuauit. Cap. XXVII

LEoni nono Victor II. suffectus est patria Bauarus, iussu Henrici Romanoq; plebiscito. Quem multos Episcopos Simoniaca labe infectos è magistratibus deiecisse constat. Hunc etiam Victorem in Germaniam uenisse legimus, ibiq; Henricum III. Henrici secundi imperatoris filium, Cæsarem creasse. Quamuis nonnulli id legato eius Hiltebrando asscribant, cum quo postea pontifice & Gregorio septimo super iure electionis Romanorum pontificum multis contentionibus decertauit. Quandoquidem potestatem in bonum Reipub. per priores pontifices imperatori traditam, ad populum clerumq; Romanum Gregorius transferre niteretur. His temporibus floruere Burchardus Vuormatiensis, & Bruno Herbipolensis Episcopi, docti ac boni, & Hermannus Cōtractus, acutus mathematicus, qui & de quadratura circuli scripsisse perhibetur.

De Henrico III. & Mathilde. Cap. XXVIII.

HEnrico tertio admodū iuuene ad imperium sublimato, cuncta agebantur per Agnetem matrem eius, quæ mulierum prudētissima optimum quenq; ad prouinciarū pręfecturas instituit, principesq; & Henricū filium in officio cōtinuit. Qui accepta imperij corona, toto tēpore pōtificatus Nicolai secundi Allobrogis, qui Stephano nono Lotharingo Germano reiecto Benedicto successerat, nihil contra Ecclesiasticos molitus est. Nequaquam hic silentio prætetibo Stephani Romani pōtificis memorabile factum, Is enim

pontificatu adepto, statim Mediolanensium Ecclesiam (quæ à Romana du-centis ferè annis desciuerat eò redegit, ut Romanæ obtemperaret tanquam ueræ omnium Ecclesiarum parenti ac altrici. quam usque huc tanquam pien tissimam matrem uti uera filia obseruauit. Vtinam & nostro seculo Romanus pontifex & principes nostri, qui Christiani dici uolūt efficaciter tandem cogitarent, de reducendo Boemiæ regno sub Ecclesiæ Romanæ sanctam ac indiuisam unitatem, siue id pietate & clementia, siue armis & bello commodius fieri posse uideretur. Nec silebo Beatricem Henrici II. sororem filiamq; eiusdem Beatricis Mahtildim, ex Bonifacio nobili ac potentissimo uiro Luca oriundo progenitam, nuptamq; Gotfrido clarissimo uiro, quæ matronæ pudicissimæ cum ab omnibus historicis passim decantatæ sint, merito à nobis quoq; collaudabūtur. Hæc est illa Mahtildis, quæ à Radicophano Senensis agri oppido, Ceperanum usq; interiacentem terram Romanæ donauit Ecclesiæ, quod beati Petri patrimonium sequentes appellarunt. Hæc est illa Mahtildis, quæ cum Ecclesia Romana sensit, eo tempore quo Cisalpini Episcopi Cadolum Parmensem Episcopū, contra Alexandrum II. in pontificem elegere. Hęc est, quę orta inter Henricum imperatorem Gregoriumq; septimū (non absq; magna Christianæ Reipublicæ iactura) ignominiosissima disceptatione, ob pontificum Romanorū electionem, ac cæterorū præsulum confirmationem (quæ utræq; res ad imperatorem tum spectabant) semper cū Ecclesia optime sensit: quæ etiā cum Azone Estensi (qui nunc Ferrariensis uocatur) quē uirum post Gotfridū duxerat, crebris bellis pugnisq; cū Henrico imperatore decertauit. Tametsi tandem per Henricum apud Parmam fuerit superata. Qua uictoria elatus imperator, Romam hostili animo proficiscens, in pratis Neronianis castra collocauit. Cū uero urbem ingredi non posset, Tybur concessit. unde tanq; ex arce Romanos eo inopiæ crebris incursionibus redegit, ut pacem quouis pacto postularent. Admotis deinde urbi copijs pōtificem in mole Adriani, quod angeli castrū dicunt, obsidione cinxit, acriter qui in præsidio erāt, arcē defendētibus. Verū Henricus cognito Guiscardi Apuliæ ducis aduentu, in Germaniā redijt. Miramur hūc Henricum tātis discordijs Gregoriū uexasse, cū alioquin eum principē multis eleemosinis deditū legerimus. Fuit profecto in rebus bellicis strenuissimus: bis enim & sexagies signis collatis pugnauit. M. Marcellum, Iuliumq; Cæsarem supergressus. Quorū alter trigesies, alter uero quinquagies, bis pari Marte decertarūt. Quibus prælijs Saxones sæpe deuicit, quorū dux Rudolphus cōtra eū per Gregoriū depositū à principibus ad imperiū suffectus fuerat. Tandē uero Rudolpho in prælio interempto, Saxones sub iugum misit. De quo bello pulchrū & elegans poëma Heroicū à Germano quodā lucubratū est, quod in bibliotheca Spirensi uidimus & legimus. Captus demum ab Henrico filio proprio, quē principes Cæsarem creauerant, pedore & situ carceris defunctus

Coemia
Beatrix
Mahtildes
Bonifacius
Alexander II
Azo Estensis
Guiscardus
M Marcellus
Iulius Cæsar
Rudolphus dux Saxoniæ
Gregorius VI

defunctus eſt Anno M. lvi tertio nonas octobres, in ornatiſſimo Spirenſi templo ſepultus.

De Henrico quarto. CAP. XXIX

Sub Henrico quarto imperatore, Vrbanus II. in Gallijs apud Clarũmontem concilium celebrauit. Principibus ita animatis ad recuperandam Hieroſolymam, iamdiu à Sarracenis occupatam, ut circa annũ domini M.lxxxiiij. trecenta hominũ milia nomen in Chriſti militiam dederint, crucisq; ſignum ſuſceperint. inter quos quidam Petrus Heremita uita clarus, incomparabili ſanctitate ac innocentia prædìtus, Germanos (per Pannoniam iter faciens) Conſtantinopolim uſq; perduxit. quos non multo poſt ſecuti ſunt tres fratres, Gotfridus, Euſtachius, & Baldouinus, cognomento Bulionij ſiue Lothariorum duces ſiue Galaciæ comites, uiri & animi conſtantia & corporis robore inſignes: tum etiã Ropertus Flandriæ comes: qui traiecto Thracio Boſphoro, Nicea, Nicomedia, Iconio, Tarſo, multisq; Ciliciæ urbibus captis, Antiochiam Syriæ, tum demum Hieroſolymam triceſimo nono die, poſtquam obſideri cœpta eſt, Anno ſalutis noſtræ M. xcix. ceperunt. Anno cccc. xc. poſteaq; imperante Heraclio à Sarracenis occupata fuerat. Maxima laus Gotfrido data eſt, quoniam primus in parte à ſe oppugnanda murum conſcendit, fratriq; Baldouino poteſtatem fecit, ut in urbem deſcendẽs Chriſtianis portas aperiret. Vnde uno omniũ Chriſtianorũ conſenſu, Gotfridus Hieroſolymæ rex declaratus eſt, quod regnũ quoad ea Lothariorum familia ſuperſtes fuit, poſteri ſtrenue gubernauere. Tam præclaris autẽ ducibus mortuis, iterum ad infidelium manus uſq; hodie peruenit. Ex hac Lothariorum magnifica uictoria, creditu facile eſt, Renhardum hodie Lothoringiæ ducem, Hieroſolymitani regni titulum ſibi deſumpſiſſe. Sunt qui ſcribant Carthuſiẽſes eo tempore à quodam Brunone Agrippino Germano, originem habuiſſe. O nobilem auctorem ſanctiſſimæ religionis, quæ nunquam à legibus ſuis & bona inſtitutione cecidit, ſicut cæteræ ferè omnes miſere labaſcunt. Quo autore Brunone, haud indigne noſtra Germania lætatur. Henricus autem IIII. patre mortuo Italiam ingreſſus, tum Italos tũ Romanos pontifices multis affecit incommodis. tandem ægre à Paſchali corona imperij ſuſcepta in Germaniam redijt. Cumq; pontifex promiſſa imperatori quæ per uim extorta dicebat, diſſolueret: iterum in Italiam cum mano exercitu deſcendit. Et quoniam pontifex tum in Apulia concilium habebat, à Brachareñſi archiepiſcopo ante corpus beati Gregorij iterũ coronatus, in patriam reuerſus eſt. Tertio quoq; Italiam hunc imperatorem, hoſtili animo uaſtaſſe legimus. Tandem Caliſto II. cõfirmationem Epiſcoporum ſacroſanctoq; Cardinalium collegio liberam Romani pontificis electionem tradidit. Miſſis ob eam rem in Germaniam legatis, Lamperto Hoſtienſi Epiſcopo, Arone ſancti Stephani in monte Celio presbytero, Gregorioq;

ſancti

sancti angeli diacono, cardinalibus. Hoc tempore fuisse constat Raymundum, Guilhelmi Austriæ ducis filium, cui Antiochia, quæ olim Reblata dicta est, cum ducatu commissa fuit. Nam ei filia Bohemundi Apuliæ ducis nupserat, qui quidem Bohemundus unà cum Tancredo fratris filio, præcipuam operam in capienda Antiochia obsidendaque nauauerant. Præclarum est etenim apud historicos nomen Bohemundi, qui saltem de expeditione illa Christianissima scribũt. Quapropter nec generum ignauum, sed strenuum solertéque delegisse putandus est. Moritur Henricus iiij. anno Christi M. c. vi. septimo Idus Augusti, in sacro templo Spirensi sepultus.

Raymundus Guilhelmus dux Austriæ Bohemundus Tancredus

De Lothario Saxoniæ duce imperatore, & Innocentio papa. CA. XXX

Turbatis deinde rebus per Petrum Leonis potentissimi Romani ciuis filium, qui facinorosis quorundam seditionibus Antipapa creatus spoliatis Ecclesiarum thesauris, direptisque urbis Romæ templis, tantum pecuniarum conflauit, ut factiosum quenque facile in sui sententiam traheret: tum etiam ciues cum Innocentio ij. sentiẽtes, pecuniaque multos corrumpit, & ab integritate dimouet, sibi conciliat: & quo factionem suam magis stabiliret, Rogerium comitis Siciliæ filium obnoxium sibi facit, eo utriusque Siciliæ rege creato. Innocentio igitur à bello Apulo in urbem redeunte, cum omnia turbata inuenisset, remque ad cędem multorum spectare cerneret, sponte cedens, primo Pisas, Genuam deinde, demũ in Franciam peruenit: habitoque apud Clarum montem concilio, Petrum cum Antipapa damnauit. Viso deinde Aureliani Philippo Francorum rege, quamuis perbenigne acciperetur, nihil tamen ei auxilij cõtulit, donec ad Lothariũ Saxoniæ ducem (quem iam mortuo Henrico principes Cæsarem creauerãt) Leodium perueniret. qui expeditione statim parata, pontificem se restituturum pollicitus, magno cum exercitu in Italiam mouet. admonitoque pontifice quid fieri oporteret, partitis copijs Innocentius transmisso ponte Mameæ (à matre Alexandri imperatoris nomẽ habente) in Lateranum perducitur. Lotharius occupato Ianiculo mõte (qui Onofrij hodie dicitur) urbem ingressus, nusquã apparente Antipapa cum sua factione Innocentium restituit: miroque ingenio factionem eò redegit, ut minime Innocentium uexare posset. Quamobrem pontifex Lotharium imperij corona exornat, tanque benefactorẽ, deque Romana Ecclesia benemeritum. Abijt tum in Germaniam Lotharius cũ bona pontificis uenia, ad cõpescendos motus, ob absentiam eius in Germania exortos. quibus cõpositis, dum pontifex concilium Pisis celebrat, rursus Antipapa Rogerio Siculo adiuuante in pontificẽ cornua erigit. Quare Lotharius iterum cũ exercitu Italiam repetit: Pisani quoque classem potentissimã, auxilio pontifici educũt. Quibus copijs Lotharius cum Pisanis Romæ seditione oppressa, Rogerium terra marique oppugnatum amissis rebus omnibus Italia in Siciliam breui pepulere. Audita tanta uictoria Ioannes Constantinopolitanus imperator, legatos

Innocentius secundus Rogerius

Ioannes Constantinopolitanus

ſtatim ad Lotharium mittit, de ſuperato hoſte cõgratulans. At uero põtifex ne abeunte imperatore Rogerius iterũ Apuliam repeteret, Comitẽ Lotharij Hamonẽ cũ aliquot cohortibus relictum, ad propulſandã pontificis iniuriam, ducem Apuliæ creat. Lotharius ille ſapiens & induſtrius, amicus & deuotus Eccleſiæ, diuitijs & uictorijs magnus annis xi. feliciter imperauit.

Hamo comes

De Conrado ſecundo. CAP. XXXI

Ea tempeſtate urbs potentiſſima Edeſſa per Sarracenos euerſa eſt. Qua clade audita S. Bernardus Burgundio Germanis imperatoribus familiariſſimus, uir & ſanctitate uitæ & doctrina clariſſimus, patrocinio Chriſtianę religionis aſſumpto, principes omnes Chriſtianos tum nuntijs tum literis exhortatus eſt, uti crucẽ in Sarracenos ſumerent. Statim igitur Conradus Sueuus qui Lothario in regnũ Romani nominis ſucceſſerat, nomen in militiam dedit, multiq́; ex Germanis principes præſulesq́;. Comparato igitur magno cruce ſignatorũ exercitu, Conſtantinopolim Conradus peruenit. tum precibus Hemanuelis imperatoris Cõſtãtinopolitani cõpellitur, nullo cõparato cõmeatu Iconiũ ducere: omnia em̃ ſe pręſtaturũ pollicitus eſt Hemanuel, quę exercitui neceſſaria forẽt. Conrado igit crebris cõgreſſibus hoſtes ſuperãte, tandem Iconio obſeſſa, natura & arte ſatis munita, acriter his qui urbi præſidio erant eã defendẽtibus, facinoroſus Hemanuel græco uſus ingenio gypſum farinæ miſcuit. cumq́; ex ea re panis efficeretur, quo Chriſtianus aleretur exercitus, tot ſtatim milites obiere, ut re infecta obſidione relicta, in Thraciã imperator Romanus ſecederet. Inuicta tamen Germanorũ uirtus, q̃uis fracta, in Syriam tendit, iunctiq́; copijs Ludouici Francorum regis, necnõ Baldoini Damaſcum Syriæ Metropolim ſocijs armis obſident: cumq́; tandem fame ſitiq́; laboraretur, nõ ſine cõtumelia obſidionẽ ſoluunt. Tandem Conradus & Ludouicus cõminutis per uaria bella exercitibus, reuertuntur in Europam, An. ſalutis noſtræ M. c. lij. Obijt Conradus cũ regnaſſet annis xv.

S. Bernardus

Conſtantinopolitanus Hemanuel

Damaſcus

De Friderico primoglorioſiſſimo Germanorum imperatore ex gente Sueuorum CAP. XXXII

Suffectus eſt deinde Fridericus I. cognomento Barbaroſſa, cuius ſi magnifica geſta recenſere uelim, liquido omnibus notum erit, eum nec Carolo magno inferiorem, imò ſine contentione parem fuiſſe. nam imperator creatus Ciſalpinam Galliam ingreſſus Dertonã ui cepit, magnaq́; celeritate Romam uerſus iter facit. cũq́; pontificem Hadrianum quartũ contra ſe ciuitates imperij cõfirmare animaduerteret, remq́; mali exẽpli pręſertim in Petri ſucceſſore ægre ferret, hoſtili animo in Romanos mouit. At pontifex imparẽ ſe tanto exercitui cernens, pace per internũtios compoſita, in agro Sutrino imperatori fit obuiam. qui ex æquo deſcendens, Hadrianum ut uerum Chriſti uicarium ſalutat. Cumq́; ad urbẽ ueniſſent, & pontifex in Baſilica Petri Fridericum imperij corona donaret, Po. Ro. per Hadriani pontem erumpens,

Hadrianus

Teutonicos

Teutonicos non quicquam tale timentes passim cędit. Imperator autem tan to tumultu excitus intromisso exercitu qui in pratis Neronianis consederat, Romanos ex Vaticano in urbẽ retrudit, multis captis cęsisq́. moleste enim ferebãt Romani imperatorem, & Teutonicos cum pontifice sentire. Tantæ aũt tum clementiæ imperator tum pietatis erat, ut captiuos (pontificis pre/ cibus lenitus) incolumes dimitteret. Interim Tiburtini ad imperatorem ueni entes, se ac urbem omniaq́ sponte dedũt: quam Fridericus pontifici restitu/ it, neq́ ita diutius moratus in Germaniã rediјt. Tum iterum in Cisalpinam Galliam rediens Cremonã obsidet: ubi per legatos ab Alexandro III. roga tur, ut interposita imperiali autoritate seditionẽ tollat, quæ ob pontificatum inter Octauianum Romanum ciuem, & Alexandrum ipsum exorta fuerat. Respondit tum bonus princeps, utrunq́ põtificem Papiam ire debere, quo & ipse proficisceretur, cognoscendæ disceptationis causa: Alexander uir elati animi, spreto tam salubri responso, Anagniam se contulit. tum imperator honestos episcopos de religione Christi bene sentientes, ad Alexandrũ mit tit, qui eum ad concilium citarent. Hi ab Alexandro confutati, nimiumq́ su perbe reiecti, ad Octauianum se conferunt, eumq́ Papiam perducunt. Ha/ bito deinde concilio, Fridericus Octauianum pontificem confirmat. Alexan der hac re permotus, Octauianum & Fridericum anathematis uinculo colli/ gat. Fridericus hac iniuria lacessitus, exercitum in ditionem ecclesiæ duxit, & iam præter Vrbem ueterem & Anagniã, omnes ecclesiæ ciuitates occupat. At cum Alexander in Franciam cõtendit, tum Fridericus direpta Dertona, Mediolanum quoq́ solo æquauit. Vnde trium Magorum corpora Coloni/ am Agrippinam translata tum crediderim, à Rudolpho Coloniensi Archie piscopo. Vastata tum Cisalpina gallia, Fridericus Papiam se recipiens litte/ ris ac nuncijs regem Frãciæ adhortatur, ut tollendi schismatis causa Alexan/ drum secũ ad conciliũ ducat: quò & se una cum Victore (ita enim Octauia/ no nomen erat pontificium) profecturum pollicetur. Ad locum igitur conci/ lij Fridericus (cõpositis Italiæ rebus) cum Octauiano profectus est. Verum Alexander ad cõcilium se iturum recusabat: Fridericus uero in Germaniam rediens Antipapam in Italiam misit. Quo Lucæ mortuo Guido cremensis Octauiano surrogatur. Interim Alexandro Romam adueniente cisalpinæ Galliæ populi innata perfidia, anno Christi M. C. LXV. iugum Friderici reijciunt, fideiq́ immemores, arma sumunt, præsidia imperatoris ex arcibus deijciunt. At Fridericus comparato ingenti exercitu in Italiam ueniens, ne/ quaquam perfidis noxius Padum traiecit: in agrumq́ Bononiẽsem descen/ dens, copias partitur, missis quibusdã cohortibus Lucam quibus Antipapa tutior esset: ipse cum reliquo exercitu in agrum Picenum proficiscitur: Anco/ namq́ aliquamdiu obsidens, in suam tandem redegit potestatem. Eodem tempore Haino comes quẽ supra Hadrianus ducem Apuliæ creauerat Tu/

Alexander III

Corpora triũ regum

Guido Cre/ mensis

sculanis præsidebat. Is accersitis Germanis, qui apud Nepesum Sutriumq́ consederāt, tanta Romanos clade afflixit, ut deinceps uix se mœnibus tueri, nedum hostem lacessere potuerint. Mouerāt enim Romani in Tusculanos, cum tributa immoderatius imperata recusarēt. Tū uero Fridericus Ancona discedens Romam mouet, positisq́ in pratis Neronianis castris, paululum constitit, si saltem Alexander tanquam bonus pastor, debitas conditiones aliquando acceptare uellet. Pontifex autem non satis tuto in laterano consistens, cū iam irrupturos Germanos uideret, ni boni principis modestia obstitisset, in ædes Fregepanum ad palladium diuertentes confugit. Instabat cum Po. Ro. cui pacem promittebat, Fridericus, uti Cardinales de duobus pontificibus digniorem se eligerent, altero eliminato reiectoq́. Quam rem cum pontifex respueret, nocte abiens nauigatione, salutem sibi fuga quæsiuit. Morit̃ interim Guido Cremensis Antipapa in Basilica beati Petri, quā magno Friderici præsidio adhuc obtinebat. Friderico mox ob pestem ex urbe in Germaniam profecto, sufficitur in locum Guidonis, Ioannes Sirmiensis abbas ex Pannonia. Fridericus per montem Cinisium in Italiam quinto rediens, Secusam diruit: Astenses in deditionē accipit, Alexandriam (quam ciuitates rebelles condidere) graui obsidione premens, tandē ob honorem omnipotentis dei in die pascatis obsidione soluta, Papiam uenit, ubi de pace Italiæ est actum. Verum cum nequaq́ conditiones æque seruarentur, Fridericus in Italiā cum maximis copijs descendens, frequentibus prælijs Mediolanenses sociasq́ ciuitates afflixit. In quibus prælijs ex Comēsibus Papiensibusq́ qui imperatori fauebant, cum multi desiderati essent, eorum calamitate motus Fridericus cum pontifice in gratiā redire statuit, maxime cum Antipapa furto infamis esset. Conuenerat iam Venetias Alexander, componēdæ pacis Italiæ causa, eo & Fridericus accedēs in uestibulo sancti Marci pontificis pedes osculatur. simul deinde ad altare maius profecti, accepta dataq́ salute, de fœderibus pacis inter se multum diuq́ collocuti sunt, quæ postea sequenti die ex sententia confecta est. Abiens deinde imperator cum bona pontificis uenia, Rauennā primo, mox Bertonorum se contulit, quod oppidum cum retinere ob oportunitatē loci instituisset, rogatu Alexandri ecclesiæ tandem restituit. Oppugnabatur tum Hierosolyma à Saladino, cuius humanitas ac fides multum Christianis obfuit. Deuictis enim Christianis sinistra pugna (qua ferè omnes Asiaticos principes cepit, maxime Guidonem regem & templariorū magistrum, quorum etiam multos secuti percussit) tandem hĳ qui in præsidio erant desperatis suppetĳs. LXXXVIII. anno postea quam à Gotfrido lothariorū duce capta fuerat, Hierosolymam hac conditione dedidere, ut tantum abeunti cuiq́ ferre liceret, quantum suis tantūmodo humeris sustinere posset. Hanc ob rem Fridericus imperator copias

Ioannes Sirmiensis

pias

pias mouet in Christi hostes, per Hungariam iter faciens, Thraciamq; iam Constātinopolim peruenerat: quē certe Isaac Imperator, eius potentiā ueritus, traicere Bosphorū statim adhortat. Fridericus copijs traiectis Philomenam urbē de Turcis capit, agrūq; Iconio adhærentē depopulat, & Armeniā minorē in potestatē suā redegit. multisq; præclaris rebus æditis, hostibusq; sæpius deuictis, dum lauādi causa rapidū amnē ingreditur in undis perijt, cū maxima Christianæ Reip. iactura. Eo eñ solo principe Saladinus uinci potuisset. Nescio quidnā potius admirer: pōtificis ne superbiā? an imperatoris contumaciā? uel cæterorū principū secordiā ignauiāq;? quod cū tanto Reip. Christianæ interitu, ac irrecuperabili detrimento tam detestandā execrabilemq; pontificis imperatorisq; discordiam pertulere, omniū enim malorum fontē inde usq; ad nostra tēpora profluxisse arbitramur. Imperauit tamen hic strenuissimus & uictoriosissimus Fridericus ex inclyta & nobilissima Sueuorum domo progenitus, magnifice annis septem & triginta.

De Henrico. v. Friderici primi filio. Cap. XXXIII.

SVccessit patri optimo & maximo principi, Henricus filius, qui accepta in matrimoniū Constātia Rogerij Normāni Siciliæ regis filia, statim Siciliæ regnū dotis nomine repetit à Tancredo, qui Guilhelmo suffectus fuerat. Obsessaq; diutius Neapoli soluit tandē obsidionē peste coactus, quæ exercitum populabat. mortuo tandē Tancredo regnū occupat. adiecit tamen animum bello Asiatico, misso ad id bellū fratre Philippo duce, & archiepiscopo Maguntino cū magnis copijs. Germani igitur his imperatoribus in Asiam traiciētes, Berytū muniuere à Sarracenis destitutū, & Ioppen obsessam à Sarracenis liberauere. Oritur tūm ob mortē ducis qui in castris extinctus fuit, ingens tumultus, ut Germani bellū Asiaticū relinquere cogerent. tum etiam ob mortem Henrici imperatoris, qui uita functus est anno uirginei partus. M. C. LXXV. decimo Kalen. Maij. in ecclesia Spirensi tumulatus.

De Othone. IIII. & Philip. Sueuiæ duce in cōtrouersia electis. Ca. XXXIIII

MOrtuo Hērico strenuo & aspero, pars electorū Othonē Saxoniæ ducem, pars Philippū Sueuiæ & Etruriæ ducē, Henrici Germanū (quē Henricus tutorē filij sui Friderici infantuli testamento reliquerat) imperatorem optarunt. At uero Innocētius pontifex (ut omnia tumultu cōplerentur) Othonem cōfirmat. Et ne quid mali ad perturbandū Asiaticū bellū deesset, rex Franciæ Philippo: angliæ rex Othoni fauebat. Indignatus igitur Philippus se à pontifice spretū neglectumq;, Etruria Sueuiaq; firmo præsidio munitis, in Othonē magnis copijs mouet, prius multis principibus in sua uerba iurare coactis, quos omnes bello deuicit. inter quos Argentinū episcopum Othoni fauentem, igne ferro oppidis uicisq; exustis inferiorē (ut dicunt) Alsatiam omnem depopulatus eò redegit, ut uix munitissimis castris se cōtineret. obsedisse tum ciuitatē Argentinā eum constat, quæ in partibus Othonis

erat: Deinde Maguntiæ curia de more celebrata, principibus priuilegia confirmauit. tum Otho coloniæ agrippinæ se continebat quam Philippus obsidione cingens, breui coegit ad eruptionem Colonień. cum quibus & Otho erumpens, cum uiribus Philippi retruderetur, minime à Coloniensibus receptus fœda sibi fuga (ut sæpe prius) consuluit. Colonienses una cum archiepiscopo statim deditionē faciūt. tādē Philippus Bambergæ insidijs à quodā Comite palatino petitus occidit. Spiræ sepultus anno salutis nostræ M.CC.VIII. XI. Kalen. Iulij. Quo mortuo res ad Saxonem deuenere, Othonem IIII. appellatum: quo Romæ ab Innocentio coronato, statim cum copijs quas secum duxerat, occupatis Monteflascone Radicophano multisq; alijs Romanæ ecclesiæ oppidis, in regnum Neapolitanum mouet id adolescenti Friderico. II. ablaturus, cuius ob ætatem tutores curam adhuc gerebant.

De Friderico. II. Sueuiæ duce & Siciliæ rege magnificentissimo imperatore. Cap. XXXV.

HAnc ob rem principes Fridericum. II. Siciliæ regem uigesimum agentem annum imperatorem deligunt. Quo audito Otho statim in germaniam redijt, ditioni paternæ consulturus, deinde cōparaturus exercitum quo Friderico resisteret, Cum enim Fridericus (quamuis legitimis suffragijs electus) coronā imperij ab Innocentio consequi non posset (credo quiddam odij, in eam familiam latuisse) in germaniam proficiscitur, diademate à Maguntino archiepiscopo accepto, in Othonemq; mouet. quem in Sueuia obuium habens, cum Friderici conspectum ferre non posset, cum exercitu fugientem usq; in Saxoniam persecutus est. Tum eo Aquisgrani deuicto, statim uexillū crucis erexit, ut asiaticis principibus contra Sarracenos pugnantibus auxilio esset. Interea Honorius. III. papa pessimo Christianorū fato, Fridericū anathemate notat, & imperij dignitate priuatū denūciat. Ob quā rē Soldanus (quod ei de inimicitia pōtificis impatorisq; cōstabat) cōparato ingēti milite, fortissimoq; exercitu, Christianos Nili excrescentia nrīs insolita adiuuāte eò pepulit, ut pacē inirēt ea cōditiōe, ut relicta Damiata, captiuis utriq; dimissis, reddito à barbaris crucis ligno, Christianis Aconē Tyrūq; redire liceret. Damiata itaq; barbaris reddita est, ipso natali beatæ Mariæ uirginis, cum eā in eiusdē celebritate purificatiōis bello cepissent: anno salutis. M.CCXXI. quo quidem anno Tartari gens Scythica usq; ad Sarmatas peruenere. Tum Fridericus ducta in uxorem filia Ioānis Hierosolymitani regis, qui cum Christianis in Italiam uenerat, cum nihil in Asia moliri auderent, promulgatoq; Hērico filio Alemaniæ rege, omnibus statim cruce signatis mandauit, ut ad certā diem Brundusij cum armis adessent. Conuenit eò magna Germanorum multitudo, quorum de numero multi tabe perierunt, præcipue Lantgrauius Hassiæ: Tum Fridericus in Cyprum usq; nauigans, Aconem tādem peruenit, nuncijs rogans pontificē, ut se absolueret anathemate,

quoniam

quoniam in eius potestate deinceps semper sit mansurus. Verum pontifex non solū eum non absoluit, sed & Ioannē Hierosolymitanū regem, in Friderici præfectū Rainaldū, cum magnis copijs mittit. tum Cardinalē Columnam in sancti Germani pręfectū Friderici auspicijs militantē cōcitauit. Quibus rebus moti qui in Vmbria & Picētibus Friderico militabāt, relictis quæ occupauerant in regnū redeunt. Interea Fridericus belli Asiatici cupidus, in Italiam redijt cum Gregorio. IX. pontifice in gratiā rediturus, quā tandem ægre obtinuit, uncijs auri centū & uiginti millibus ecclesiæ ob illata damna persolutis. Deinde cum Romani nō satis pontifici obedientes forent, legēq; rogassent, uti oppida ecclesiæ iuxta urbem posita, Romanis uectigal penderent, neq; monitis castigationibusq; pōtificis ad sanitatē reduci possent, Fridericus Reate pontificē cōuenit. cūq; eo in hanc sententiā cōsensit, ut primo quoq; tēpore cōiunctis copijs Romanos adorirent. Abeunte deinde Friderico in Germaniā, germani milites ad pontificē confluxerūt tanta multitudine, ut Romani nequaq; ausi fuerint aperto marte cum ecclesiæ copijs cōgredi. Recuperauit tum Gregorius pontifex Germano milite patrimoniū sancti Petri, Sabinumq; agrum. Ea tempestate Ecelinus patauinus (cuius auus Teutonicus sub Othone copias duxerat) acceptis à Friderico militibus, magnum sibi in trāspadana Italia potentatū comparauit, in suam potestatē redactis Taruisio, Patauio, Vincentia, Verona, Brixia. Tum Fridericus in Italiam rediens Mediolanenses sociasq; ciuitates apud nouam curtē (ita enim locus appellatur ubi pugnatū est) aggressus, ingēti clade superat trucidatq;. Tum Fridericus iterum à pontifice imperio priuatus, in Venetos mouet qui pontificis partes tuebantur: Eos tum (ueluti ranas) paludibus conclusos uehementer oppressit, maximisq; calamitatibus afflixit.

De Guelphis & Gybellinis. Cap. XXXVI.

INterim uero cōspirantibus omnibus transpadanis ciuitatibus, duce Gregorio Monte longo Bononieñ. ciuitatis legato anno salutis. M. CC. XL. imperator qui tum Pisis erat, cum nō satis sibi constaret qui partes suas, quiue pontificis sequerentur, ciuitates Italicas in duas factiones tum primū diuisit. nam qui pontifici fauebant Guelphi, qui uero imperatori gibellini appellati sunt. Hæc quidē duarū factionum nomina, bella plus q̄ ciuilia Italiæ pepererūt. primū apud pistoriēses audita sunt, cū Cācellarij Pansaticos Gibellinos ab urbe eiecissent, cūq; alteri factioni, Guelph. alteri Gibel, Teutonici fratres fauerēt. Florentini præterea nobiles suos pisanis gibellinarū partiū fauētes in exiliū eijciūt. pellunt & Guelphi ab Aretinis Senēsibusq;. Tāti constat Italis ab imperio Germanorū Romanoq; desciuisse. Fridericus deinde in Samnites mouet, Beneuētū ui cepit diripuitq;, ac mœnia circūquaq; euertit. Soráq; quondā Samnitiū ciuitatē, ad Lirim fluuiū sitā ferro flāmaq; uastat, Rauēnam in potestatē suam deniq; redegit. Tum Picenū percurens in

Flaminiam usq; Fauentiam & Bononiam aliquantulum resistentem ui occupat, schola eorũ Patauiũ translata. Tum Fridericus suis suarumq; partiũ cognitis, omnib. eorũ qui aut diuersarũ cẽserent partiũ, aut qui neutris cõsentire uellent expugnata oppida locaq; populatus est. Accepit tamen in suam potestatẽ Fulginates, Viterbiẽsesq;, quos statim secuti sunt eò filio Encio cũ parte copiarũ misso, Ortam, Tuscaneũ, Cornetam, ac Montẽ faliscum inhabitantes, qui corrupte Monteflasconẽses dicunt. Defecissent tum Romani si celerius Fridericus urbi copias admouisset. Tũ pontifex humanis destitutus auxiliis, ad rẽ diuinã supplicationesq; animũ diuertit, quibus (deo agẽte) Fridericũ auertit hostẽ. Mouet deinde in Cãpanos: Beneuentũ ui captũ uastans, diripiendũ militibus cõcessit. Tum delatus in Picẽtes Asculũ obsedit. Inde in Romãdiolos ducẽs: Enciũ Sardiniæ regẽ filiũ agitandis sibi de Piceno aduersantibus subigendisq; dimisit: à quo adolescente patri simillimo direptiones, incendia uastitatesq; sunt cõmissę, & quicquid resistere ausum est, ad calamitatẽ maximã est perductũ. At Fridericus statim Rauennã populo frequentem ditissimamq; tum diu imperio rebellem subegit.

De obsidione Parmæ à Friderico. II. deq; Entio filio & Innocentio quarto. Cap. XXXVII.

MOrtuis demum Gregorio pontifice Celestinoq; suffecto, uacat tum sedes. XXI. mensibus. detinebãtur enim multi Cardinalium à Friderico, quæ res comitia distulit. Valuit tum apud Fridericum Balduinus precibus autoritateq;, ut cardinales aliosq; ecclesiasticos, quos captiuos detinebat dimitteret incolumes, qui statim Anagnię conuentum habuere. in quo Innocentius patria Genuensis, familia Flisca, ex Lauaniæ comitibus, põtifex creatur. qui cum Friderico antea aliquãdo familiarissime uixerat, multisq; beneficiis eam familiã affecerat Fridericus. At põtifex beneficiorũ immemor, uel ut uerius dicam potentatus auidior, mutato cum fortuna animo, acerrimus Friderico hostis effectus est: quod diuinasse Fridericum ferunt, cũ nuncii Friderici exaltationẽ familiarissimi ex cardinaliũ cetu denunciarent. Instabat tũ annus. M. CC. XLVI. salutis nostræ. Pontifex in galliam proficiscitur, concilium Lugduni celebraturus, quod cõtra Fridericũ indixerat. Seduxit tũ pontifex amicos cõsanguineosq; suos à Friderico, clam monitos ut uel nudi ad Placentiã cõmigrarent. Quod q̃ primũ est factũ, sententiã excõmunicationis in Fridericũ depositionis priuationisq; pronũciat, omnibus iuramẽto absolutis, quo illi tenerentur, potestate electoribus tradita aliũ quẽ uellent principem deligendi. Quo nunciato Fridericus pontificis necessariorũ ædes Parmę, & uillas speciosissimas funditus euertit. Inito deinde fœdere cũ duce Burgundiæ, proficisci Lugdunũ statuit. mouitq; Parma comitatũ ducens nõ armatorũ magis q̃ togatorũ, qualẽ quantumq; post stantis Romani imperii tẽpora, nullus aut domi habuerat aut in itinere duxerat imperator. Dimissa

Igitur Italicarum rerum administratione Encio filio, ea iniuncta conditione, ut sese apud Parmam continens, quæcunque remotius ingruerent gerēda per legatos administraret: peruenerat iam ad Taurinos Fridericus, cum ei nunciatum est extorres Parmensium (superato Henrico quem Parmæ Encius præfecerat, cum ipse contra quam à patre in mandatis habuit in Brixianos mouisset) Parmam ingressos urbeque potitos esse. Hanc ob rem Fridericus timens cæterarum urbium rebellionē (omisso itinere) Parmam obsidere pergit: quam statim pontifex misso eò Gregorio Montelongo sedis Apostolicæ legato (quem Innocen. pontifex aquileiensi Patriarchatu ornatum apud Mediolanen. placētinosque iusserat permanere) Bononiensiū, Ferrariensium, Reginorum, Mutinensium, præsidijs muniuit. Continuatum est postea per II. annos bellum atrox uariumque, & Lombardiæ omnique Italiæ perniciosissimum. Fridericus castra in urbis modum uallo fossaque munierat, eo animo ut direpta Parma eo loco ubi statiua habuerat Victoriam urbem conderet, inditumque est castris nomē Victoriæ, sanctusque Victor martyr tutelaris de more Christiano in cathe. ecclesia nuncupatus est. Et fuit plane urbs Victoria (ut Blondi uerbis utar) uario gentiū & rerum gestarū cōmercio, ac multitudine frequentata, quod per singulos pene dies ex Affrica, Mauritania, Asia, Ægypto, noui homines, noua ueste, nouis moribus sunt uisi. Animalia etiā uidit urbs Victoria quæ post theatrales stantes Romani imperij ludos Italia nō uiderat, elephantes, dromedarios, Pantheras, leones, pardos, lynces, & ursos albos, cum canes tunc uidisse asserat noster theologus, hinc magnitudine aspectuque horribili, inde extrema pusillitate. Aues quoque & rapaces & cicures Fridericus curauit, præter usitatas in Italia multas, in quibus falcones chiluonesque Astures & girfalchi albi, & quod eam decuit maiestatem imperialem, immensæ magnitudinis barbati bubones fuere perspicui. Hæc Blondus. Velim ego has copias tum pontificis, tum Friderici in Tartaros conuersas fuisse, qui anno ante tertio in exercitum coacti innumerum, bipertito agmine in Asiam Europamque descenderant. & qui in Asiam duxere, Georgianam thamithanorum olim regionem primū, post superiorem Armeniam peruagati, Iconium usque Turcorum regiam peruenere. Alia manus duce Batone Poloniam & Hungariam excursionibus populati, ad mare ponticū deflexerunt, ubi Russiam siue Rutheniam & Garam amplissimas regiones uastitate maxima afflixere. Eodem quoque tempore Grossonij gens Arabica Soldano Babylonis impellente, Tēplarios Hospitalariosque aggressi eos fundunt, ac Hierosolymā facile capiūt, mœnibus carētem: Christianos, qui tum in ea erant trucidāt, sepulchrū Christi quouis genere turpitudinis fœdātes.

De Henrico Thuringo contra Fridericum Innocentij autoritate electo. Cap. XXXVIII.

Et ne in Germania res quietæ essent, electores imperij Innocentij autoritate

tate innixi Henricum Lantgrauiũ Thuringiæ, Alemanorũ Romanorũmq́ regem designant. & Conradus adolescens Alemaniæ rex à Friderico genitore pridem institutus, Thuringum regni ingressu & possessione prohibet. sed prædicata in Conradum Fridericiq́ fautores (iubente pontifice) crucissignatio multos in noui regis Lantgrauij præsidia fautoresq́ conciuit. Breui tamen Lantgrauius uictus apud Francofurdiam fugatusq́ mortuus est. Postea cum Fridericus Parmæ ui expugnandæ spem abiecisset, fame illam in deditionem cogere est annixus. tandem anno obsidionis II. prope exacto Grego. Montelongus cum præsidio sociarum ciuitatum eruptione facta, Fridericum nil tale metuentem fundit fugatq́, castrisq́ exuit. Reparauit tum breui exercitum in Etruriam mouens: Encio filio cum parte copiarum Fauentiæ relicto, ut Rauennam proximaq́ in potestate retineret. Nam forliuienses Ariminenses Vrbinates ac totum Picenum Friderico parebant. in Vmbria præterea defecerant omnes à pontifice præter Tudertinos, Perusinos, Assisinates. Etruria pariter tota præter Florentinos, quorum maior pars factionis Guelphæ: quos certe adeo bello Fridericus uexauit, ut tandem eos coegerit Guelphos ex urbe pellere, sinereq́ factionẽ Gibellinam rerum potiri. Eiecti pars in exilium abijt, pars uaga & dispersa in Friderici potestatem redacta est, pars in qua nobilitas præcipua fuit, comitem Rudolphũ de Vrsaria & Reynerium Bondelmontem secuta, concessit in Vrsariam. Quos insecutus est Fridericus, & castello ui capto Rudolphus in aqua enectus, Reynerius cum nobilibus quibuscunq; excęcatus, & sub custodia in Apuliam relegatus est. Statimq́ Fridericus Panormi mortuus est, ad eum diem quæ diei respondet, in qua secundo ante tricesimo anno Romanorum imperator fuerat designatus.

De laudibus Friderici secundi. Cap. XXXIX.

FVit Fridericus ille secundus potentissimus imperator, Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Hierosolymæ, & Sueuiæ rex: quo nullus potentior Romanum tenuit imperium à Carolo magno: fuit armorum strennuus, linguarum peritus. fuit uir haud dubie dignus omni bellica laude, non animi solum uigore, sed etiam corporis uiribus excellens. Haud dubie illa ætate, qua nulla uirorum fortium feratior fuit, nemo unus erat uir, quo magis innixa fides Christi stare potuisset, si arma quæ in Italos debacchata sunt, in res Asiaticas uersa fuissent. Sed nescio quo malo fato actũ sit, ut rebelliones Italorum totiens Christianæ Reip. nocuerint noceantq́. Conferamus cum Friderico Hãnibalem Pœnum, qui sedecim annorum possessione Italiam tenuit. Hic noster Germanus duplum supergressus, non à patria (ut ille bello) auocatus, quæ sub Conradi filij præsidijs tuta fuit patris auspicijs militãtis, sed morte surreptus. Quid de Alexandro Macedonum rege? dixerim ne eum Friderico superiorẽ? nequaq́. cui cum Dario res fuit: quem mulierũ ac spadonum agmen

agmen trahentem, inter purpuram atq; aurum ornatum, fortunæ suæ apparatibus prædam potius quàm hostem incruentus deuicit. longe alius Italiæ quàm Indiæ situs est. Apuliæ Lucaniæq; montes ac Apenini saltus, non adeo citam uictoriam Pelleo iuueni præstitissent. Quid de Atheniensibus Lacedæmonijs, Thebanis? qui separatim in Græcia rerum potiti sunt, dicemus? sunt ne Germanis Friderico duce comparandi? qui contentionibus potius ac dissidijs inter se certasse dicentur, quàm ob principatum in posteros descensurum bella gessisse. Quidã enim ex Græcis in Siciliam profecti ob alterius spem imperij, uictoria caruere. Græcorum quippe potẽtia & si maximis conflictata prælijs, nunq; ultra Græciam firmiter progressa est, uerum potentes duntaxat extitere se liberos aliquandiu & inuictos se præstando. Fridericus igitur totiens Italis deficientibus debellatis, Guelphis factiosis totiens deuictis, omnibus bellis uix unam alteramq; fortunę aduersitatem perpessus, uictoriosissimus imperator uita functus est, quẽ multo post tempore, nec mortuum quidẽ creditũ est. cui si arma in Christi hostes ferre Itali impedimento nõ fuissent, siq; minus pontifices inuasisset, iure maximi imperatoris nomen apud Asiaticas gentes obtinuisset, immortaliq; gloria dignissimus censeret.

De filijs Friderici II. & Manfredo filio eius ex nobili Concubina genito. CAP. XL

Reliquit autem Fridericus tantæ gloriæ successores, Manfredum filium acerrimi ingenij ingentisq; spiritus adolescentẽ, forma speciosissimũ & literis exornatum, quem nõ minus ipse diligebat, quàm si eum ex legitimo matrimonio suscepisset. fuit enim ex nobili concubina progenitus: uoluit aũt eundem partem suã habere, in qua uitã uirtute sua dignã duceret, Tarentinum eum principẽ instituens, multis illi opidis & castellis additis, quę principatus titulo prius nõ continebãtur. Ad Conradum em̃ legitimo matrimonio editum, quẽ ex Iole Ioannis Hierosolymitani regis filia susceperat, regnorũ potentatusq; omnis successio deuoluebatur. Qui primo quoque tẽpore Ecelini de Romano amicitia fretus, in Italiam Veronã uenit, traductoq; in Apuliã exercitu amplissimo paratissimoq;, Neapolitanos primo ꝑ oratores aggressus est, eos ad deditionẽ cõpellans. Læsæ em̃ maiestatis eos reos arguit. Cũq; legitimã defensionẽ aduersus ambitionẽ Manfredi, non rebellionẽ aduersus legitimũ Friderici successorẽ quæsitam ostensuros, minime audire uellet, eos obsedit: fameq; ad deditionẽ nono mense obsidionis cõpulit, murum urbis euertit, tũ meliores quasq; urbis ædes. Inde in Capuam conuersus, quæ Neapolitanis ante ipsius in Italiã aduentũ fauerat, eã quoq; muro diruto diripi fecit. pariter Aquinũ nobile oppidũ ui captũ spoliatũq; incendit. tandẽ secũdo quo aduenerat anno omni potitus Trinacria & Siciliæ regno, obijt. Testamento aũt Conradus Conradinũ ex fratre Henrico nepotẽ regnorũ instituit hæredem, datis illi ex Germania tutoribus, q̃bus regni Siciliæ administratio

ministratio demandatur. Fuitq́ is Henricus, quem ex Constantia regis Castellę sorore, uxore sua, Fridericus susceptum in carcere interfecit. Manfredus uir uigilantissimi ingenij tres potentissimas Italiæ prouincias, Etruriam, Galliam Cisalpinam, & Transpadanam, mortuo Friderico in suis partibus retinere summa diligentia annisus est: adeoq́ id egit ut plus in illis certo tempore quam in Neapolitano Sicilię regno potuerit. Nam post Friderici mortem factio Guelpha, Florentia in libertatem uendicata, omnibus Gibellinarum partium eiectis, cæteras Etruriæ ciuitates, Senenses, Pistorieñses, Aretinos, Pisanos eò perpulere, ut cóciuibus Gibellinis expulsis, fœderibusq́ factis pepigerint, illicitum esse alterius partis extorres fouere. ob quam rem cum Senenses, tum Florentinos, qui eos fœderum fractores dixerant, statim misit. Quibus copijs Senenses, extorresq́ Florentini cum aduersæ factionis copijs cógressi, Guelphos tanta clade uicere, ut ordines relinquere coacti sint. Post ingentemq́ fugam deditionem fecere ingenti Guelphorũ cæde facta, quam uis ex germanis plerique desiderati, tamen quatuor milia captiuorum, cum Charrocio spolijs signisq́ militaribus Senas fuere perducti. Qui prælio superati in patriam reuersi sunt, magnam animorum conseruationem Etruriæ Guelphis fecere, sed apud Florentinos maximam, quibus nec extorres expectandi consilium, nec urbem defensandi spes erat. Itaq; undecimo post pugnam die, quam septembris sextamdecimam anni salutis M. cc. lx. fuisse constat, omnes Florentini Guelpharum sectatores partium, pars Lucam, pars Bononiam, migrauere. urbemq́ Florentinam paucis habitatam ueniẽtes, Iordanus extorresq́ patente porta ingressi, in Manfredi dominatũ subiectionemq́ ceperunt. Qua item tempestate Octauianus Cardinalis gente Vbaldinus re Neapolitana & illius administratione Manfredo relicta ad pontificem Alexandrum Viterbij agentem est reuersus. Cuius pontificatus nihil felicius uidit, q̃ Ecelini Albriciq́ fratris excidium. quibus mortuis proditorieq́ trucidatis, Cisalpini libertatem sunt secuti: quam tamen ægre retinuere Gibellinis factionem Guelpham ubiq; opprimentibus. Redegit tum Manfredus penè omnem Tusciam Picenumq́ agrum in suam potestatem, Iordano & Guidone nouello egregijs suarum copiarum ductoribus. Tandem Manfredus acerrima pugna cum Carolo Andegauensi, quem Vrbanus pontifex Siciliæ regem dixerat decertans, ab Italis in secunda acie desidentibus derelictus, strenue pugnans oppressus est. Mortuo itaq; Manfredo, Gibellini duce carentes, Conradinũ Friderici nepotem auitum regnum imperiumq́ repetiturum in Italiam uocant. Qui cũ aliquandiu Veronæ desedisset, interim Carolus Bonicio deditione ab oppidanis facta potitus in Pisanos duxit: & populationibus incendijsque late commissis, castella aliquot expugnata diripuit, turresq́ communientes Pisanum portum dirutas solo æquauit: maiora perpetraturum nuncij in regnũ reuocarunt. Fridericus

Hispanus

Hispanus namq; omni pene Sicilia (Panormo Syracusis & Messana duntaxat exceptis)pro Córadino potitus erat. Quam primũ uero Carolum mouere,ut se in regnum reciperet,est conspectum : Senenses omniũ primi post Pisam , deinde Romanus Senator Conradinum nuncijs ad iter ineundum epistolisq; compulerũt . qui per Papiam in Liguriam mouens Pisana classe Pisas deductus,confluentibus undiq; Gibellinis exercitum in Lucenses exposuit, uastitatem & incendia undiq; committens . tandem iuxta Aretium cum Marescallo(ita enim galli copiarum ducem dicunt) congressus est Conradinus : ubi facta in Guelphis Marescallum comitantibus ac gallico milite ingenti cæde, Marescallus quoq; suis copijs omnino superatis occubuit. Confluxerunt per id tempus ad Conradinum alij à Lombardis Romaniolis Etruscisq; Gibellini,maior militum pars ea quam à Germania eduxerat. Nec fuit tunc dubium quin si moram ibi uel paruã fecisset Conradinus,Aretio primum ,post omni Etruria fuerit potiturus. Victoria potita deflexit Senas Conradinus.aliquot ibi moratus dies inde recta in Viterbiẽses campos quartis castris se contulit.Propinquanti Romæ Conradino Senator Henricus pompam educens,imperatoribus introducendis adhiberi solitam,illum ad pótem Miluium excepit: selectiq; ex omni ordine & dignitate primores quique Romani, Conradinum circunfusi in equo sedentem pedibus sunt secuti:& præcedens ac subsequens longo & composito agmine populus in capitoliũ usq; deduxit . Mouet deinde magnis à Senatore acceptis copijs per Tyburtinos in olim Equiculorũ nunc Tallacotij montes , & inde in Marsorum campestria peruenit exercitus. Congressus itaq; (eo loco prius insidijs à Carolo occupato)Córadinus ex uictore uictus, cum Austriæ duce fuga elapsus est.dum enim nostri post uictoriam auidius spolia legunt, ab hoste ex insidijs prodeunte sternũtur,fugantur,dissipanturq;. Octauo post die Conradinus Austriæq; dux recogniti ad Carolum perducti,publico iudicio capitibus resectis interfecti sunt. Hũc finẽ rex Sueuorũ in Italia habuit. Cómissum est hoc præliũ V Kal. Septẽbris,Anno salutis nostræ M.CC.LXVIII Gloriosissimi magnificẽtissimiq; Sueuiæ duces diuino & occulto iudicio, miserabilem hunc exitum sensere. Poterat gloriam & magnificentiam illustrissimæ domus, sua uirtute resuscitauisse Eberhardus quem Barbatum uocabãt,multis post annis Deccensis & Vuyrtenbergensis dux in regione Sueuorum à Maximiliano rege nostro apud Vangiones institutus,si diutius illi uiuere contigisset: sed fata (ne Germanorum gloria altius emergeret) hunc è medio sustulerunt.De uirtute huius principis nõ multa loquor,quia Marsilius Ficinus maximus ætate nostra Platonicus:in epistolari uolumine hũc Eberhardum speciosissimis laudibus, non minus uere quàm grauiter & erudite exornat.

Eberhardus dux Vuirtenbergensis senior
Maximiliãus
Marsilius Ficinus

De Rodulpho de Habisburgo. Ro. Imperatore. Ca. XLI.

Lugdunum
Alsatia
Otocarus

CVnq; res Germanica post Friderici filiorumq; eius interitum, diutius sine rege certo fuisset, tandē Gregorio X. Pontifice, Lugduni concilium celebrante, Rudolphus comes de Habisburgo Alsatiæ superioris Lantgrauius, ab electoribus in regem Romanorum electus est. Qui statim accepta de more Aquisgrani corona, principes in sua uerba iurare coegit, collectoq; ingenti exercitu, in Otocarum Bohemorum regem mouet, qui inter Bohemiæ reges quintus Venceslao fratre defuncto regnū acceperat. Fuit autem Otocarus suapte natura uir belli appetēs, & cui ad res gerēdas magnus esset animus: extēditq; regnū à mari Baltheo (quod Sarmatici Germaniciq; oceani sinus est) usq; ad Danubiū, & ad internū mare quod Adriaticū dicimus. Nupserat Otocaro Margarita Friderici Austriæ ducis soror, quę prius Henrico Friderici. II. filio nupta fuit: quo mortuo sine sobole in patriā reuersa, fratri superstes Austriæ duci sine liberis uita functo in hæreditatem successit. Principatum igitur Austriæ consecutus Otocarus (more humano) quo plura possedit eo maiora concupiuit. Vlricus eo tempore Carinthorum principatum tenebat, qui cum uirili prole careret, Carinthiam illi, Carniolam, Marchiam Sclauonicam, & Portum Naonis pecunia accepta contradidit. Tum Veronenses, Feltrini, Taruisini, & multi Forliuienses, sese Otocaro submiserunt. Bellum Hungaris indixit, commissoq; prælio uictor Stiriam prouinciam illis ademit. Rodulphus repetitis prouincijs tanq; iuris imperij, cum Austria nequaquam muliebre feudum (ut dicunt) esset, nec Vlricus iniussu Cæsaris prouinciam uenundare potuisset: cumq; semel interuētu amicorum res cōpositę fuissent, ut acceptis datisq; filiabus affinitas utrinq; iungeretur, prouinciæ de quibus lis esset dotales fierent: Rudolphus Austriā adeptus, Otocarum in uerba sua iurare (more maiorum) exposcit. Indignatus autem rex id à se postulari, ab eo præsertim qui magister curiæ suæ fuisset, id superbo animo tulit. exortæ sunt rursus nouæ lites, tandem Otocarus ueritus Rudolphi potentiam, in uerba sua iurauit. Quod cum ægrius ei coniunx Kunigunda (quam Margarita uiuente insolenter desponsauerat) sæpius obijceret, Rudolpho bellum indicit. Cōuenere exercitus in campis Austriæ iuxta Danubium, atrox prælium dubio marte commissum est, cum Bohemi multitudine ac robore, Sueui Alsatesq;, quibus Rodulphus fidebat, ordine ac arte superiores essent. cecidere quàm plurimi ex utraq; parte, maior tamen Bohemorum strages. ad extremum Otocarus relictus à suis, dum fortiter pugnat occiditur. Assignat tum Rudolphus Austriæ ducatum Alberto filio, qui postea & in imperio ei sufficit. Bohemis deuictis Rudolphus in Heluetios mouet, qui tum comiti Sabaudiæ subditi erant. quibus subiugatis in quendam Pseudofridericū arma dirigit, cui iam multi principes ciuitatesq; adhæserāt. Constans enim fama fuit Fridericū mortuū minime fuisse, ideo in spem dominationis

Heluetij
Pseudofridericus

minationis adipiſcendæ ſe quidam Fridericum ſimulauerat. quo deuicto Nuſſiæq; igni conſumpto, principibus ciuitatibusq; qui Pſeudofriderico fauerant mulctatis, primo quoq; tempore in Sueuos tumultuãtes, ob defectionem familiæ ducum Sueuiæ copijs ductis, Eberhardum Vuyrtenbergium reliquoſq; dynaſtas ac regulos Sueuorum perdomuit. Geſſit tum multa bella, ob tumultũ qui fere tota Germania frequentiſſimus fuit. Credo equidem illis temporibus teterrimam factionum labem non ſolum Italiam, uerumetiam Germaniam inuaſiſſe, quæ res ſine bono principe haud facile extirpari poteſt, qualẽ Rudolphum fuiſſe certũ eſt. Fuit enim pietate, clementia, religione, humanitate, modeſtia, humilitate, inſignis. In Italiã non uenit, quamuis Bononiã ampliſſimã Italiæ ciuitatem totamq; Flãminiam eccleſiæ Romanæ dederit. ſed tumultuantes Guelphos per Lucinum uicecomitem imperij uicarium, miſſis ad eum Germanis equitibus bellis attriuit. tum miſſo ad Italiam epiſtolarũ ſuarum magiſtro, pacem ciuitatibus pecunia accepta tradidit, ut tamen imperio fideles eſſent. Statueratq; bonus rex milites in Aſiam mittere, obſeſſæ Ptolomaidę opitulaturos. Verum orta inter Chriſtianos principes qui in ea ciuitate erant, diſcordia, quorum multi partim captatis abeundi cauſis, partim clandeſtina per noctem fuga deſertores effecti ſunt: manſerunt tamen ex primoribus, rex Cypri, Patriarcha Hieroſolymæ, & hoſpitalis Templariorumq; Magiſtri, multitudine prius emiſſa. quã ſtatim rex Cypri perfidia uſus, per fugam eſt conſecutus. Fuitq; exemplo, ut omnes quibus nauigiorum facultas eſſet, Ptolomaida emigrarẽt. Qui poſtea cum Patriarcha primum proſpera uſi nauigatione, tandem ſub ipſam Cyprum naufragio periere, eadem die qua Soldanus Ptolomaidam male defenſam ui cepit, mortalibus in ea repertis ad unum cæſis, mœnibus inde & urbis parietibus paſſim ſolo æquatis, tum fundamentis ita confoſſis diſſipatiſq;, ut nullum urbis nullum poſt hac ędificij ueſtigium appareret. annus erat ſalutis. M. CC. XC. quando reliquias amiſimus uictoriæ illius celeberrimæ, quam anno ante C. XCIIII. Conradi Franci auſpicijs & uirtute Chriſtianorũ expeditio inchoauerat. Saluæ tamen manſerę Cyprus inſula, & Armenia minor prius Cilicia dicta, quæ eiuſdẽ expeditionis occaſione in Chriſtianorum manus deuenere. Moritur deinde Rudolphus anno quarto Nicolai Romani põtificis eiuſdem nominis quarti: anno regni ſui. XVIII, anno uero Chriſti MCC. LXXXXI. Menſe Iulio in die diuiſionis Apoſtolorũ, ſicut & ſepulchro ſuo in nobiliſſimo templo Spirenſi inſcriptum eſt. Vixit his temporibus Albertus Magnus totius litteraturæ abſolutiſſimum decus, & quo maiorem in philoſophia & litteris ſacris terrarum orbis non genuit, & qui Thomam illum Aquinatem tantum quantus eſt effecit. extat celebris oratio, à Philippo Beroaldo præceptore tuo Bononiæ habita, quum rector Germanicus iniret ſcholaſticam præfecturam, ubi Germanos à ſtudijs litte

ratum neq; abhorrentes neq; retorridos contendit, quod ut reliquos inquit præteream, uel unus Albertus abunde demonstrat omnifaria doctrina refertissimus, qui merito Polyhistor & multiscius ac Aristoteles alter, latine loquēs dici potest, Magnus uulgo nominatus à magnitudine (opinor) disciplinarum potius quàm Alemanus. Hic etiam Albertus cognomento magnus, dum esset Ratisponeñ. episcopus huc Argentinam uenit, ac in æde. S. Petri Iunioris, in qua tu Canonicus existis, aram quandam in honore. S. Columbæ uirginis & martyris consecrauit manibus proprijs. anno Christi M. CC. LXVIII. Præterea fuere & alij diuersis tempestatibus etiam Germani Theologi præstantissimi, Thomas & Vdalricus Argentineñ. Marsilius de Ingeln: Hugo de Sletstat Bonauēturæ sectator & Ioannes theutonicus decretorum interpres elegantiss. Præpositus Halberstateñ. obijt. anno M. CC. XLV. ibidem.

De Adolpho de Nassou Ro. Rege. Deq; Baronibus de Rapolsteyn. Cap. XLII.

ASsumptùs deinde est in spem imperijq; titulum, Adolphus comes, à Nassone uulgo Nassau, qui statim exercitu comparato, in Colmarienses mouet, qui Alberto Austriæ duci filio Rodulphi fauebant, quem aduersum resistentemq; Adolphus habuit, ob Tyrannidem in quam procliuis habebatur. Capto igitur per deditionem oppido, una cum generoso Anselmo de Rapolstein oppidi prætore ac filio, ablatoq; dominatu eorum, arces & castella Henrico fratri Anselmi tradidit. Nitebatur tum Adolphus Albertum è dominijs ducatuq; deturbare, cui forti animo atq; acri restitit Albertus, Alsatum auxilio fretus, qui iam odium in Adolphū conceperant, ob auariciam Tyrannidemq;. Nam quos imperij uicarios in Alsatia constituit, prouinciam citra transq; rhenum flammis cædibusq; læsere, tum Argentinam eorumq; præsulem. Ob quas res principes moti, Albertum Austriæ ducem regem delegere, Adolpho abrogato, iustisq; suffragijs deposito. Comparato igitur ingenti exercitu ex Austria, Danubióq; traiecto, Albertus Moguncia Germaniæ Metropolim peruenit, statimq; in Adolphū mouens, qui pari strenuitate uiribus collectis ad eum tendebat: conuenere tandem in Vangionibus in monte Hasenbul, prope agrum Spirensem, ubi prælio commisso Adolphus occubuit, cum ad medium diei dubio Marte incertáq; uictoria pugnatum fuisset. anno domini M. CC. XCVIII. sexto nonas Iulij. anno regni sui. VIII. Spiræ sepultus. Plures eo in prælio capti, inter quos & filius Adolphi, reliqui fuga sibi consuluere. Verum cum Albertus electionem de se factam minus legitimam æstimaret, propter Treuerensem præsulem & Palatinum comitem (qui comitijs non interfuerant) iuri suo renunciauit. Tum electores communibus suffragijs eum elegere, coronatumq; Aquisgrani tanquam legitimum regem uenerati sunt. Duxit deinde

exercitum in Bohemos,quorum regnum filio suo Rudolpho tradidit, deie-cto duce Carinthiæ Henrico,quem sibi Bohemi iniussu imperatoris regem delegerāt.Mortuo deinde Rudolpho,anno regni primo,Fridericum filium Albertus Bohemis regem declarans, magnis copiis Bohemiam ingressus, regionē longe lateq; afflixit.Henricū tamē deiicere nō quiuit,eo quod Gallis bellum illaturus esset, quorū rex Philippus à pontifice Bonifacio desciuerat,regnumq; Franciæ Alberto pontifex assignauit.Quibus bellis cum exercitus comparat, à Ioanne fratris filio inter Rysam Arulamq; Eluetiorum flumina Rheno proximus anno Christi M.CCC VIII. Kalen. Maij interficitur. Eoq; loci per reginam Hungariæ monasterium sanctimonialium ordinis sanctæ Claræ constructum nomen retinet Regij campi. Alberti corpus iuxta patrem suum Rodulphum, in ornatissimo templo Spirensi sepelitur.

De Henrico Lucelburgio. Cap. XLIII.

ANno igitur. M. CCC.VIII. Henricus ex comitibus Lucenburgensium ad imperium deligitur, quem Aquisgrani principes corona & infulis decorauere. Qui statim præmissis in Italiam oratoribus, & ad uicina Germaniæ propinqua alpibus loca sciscitaturus, qui suas secuturi essent partes.comparatisq; tribus ingētibus exercitibus, unum aduersus Vuirtenbergenses sacro imperio rebelles quibus ex octoginta castellis & munitissimis oppidis quæ obtinebant, LXXII expugnata ademit: Alterum in Bohemiam ex Francis orientalibus & Bauaris coactum, duce Petro Moguntino Archiepiscopo misit,filio Ioanni id quæsiturus, cui Elisabet Venceslai soror denupserat.Tertium,cui ipse præfuit, in Italiam mouet Gibellinis auxilio futurus. Transgresso alpes Henrico Taurini populariter obuiam facti, sese & urbem eius arbitrio permisere.Pariter paulo post fecere Astēses.Philippus Papiæ comes, Simon Collubianus Vercellarum,Antonius Visceragus Laudæ,urbium primarij ciues uel potius Tyrannuli,Henrico occurrētes datos ab eo uicarios quisq; in suam urbem recepere.Mediolanensiū res tum in potestate Turianorum & Vicecomitum erat,qui de potentatu cōtendentes potius ciuitatem premebant, quàm ut ipsi gubernarent,aut à populo gubernari permitterent. Mapheus igitur uicecomes ad Lupoldum Austriæ ducem,diu sibi notum,mittens,Henrico spem fecit urbis potiundæ.quorum conatibus cum Guido Turianus resisteret,Henricus pacis auidior quā belli, ab utriusq; factionis capitibus urbem accepit in suam potestatem, imposito urbi præsidio: cui Leopoldus cum Germanis cohortibus præficitur.Orta deinde ciuium rebellione cum passim Germani fœde cæderentur, dux introductis copiis quæ in suburbiis consederant, Gibellinis auxilio fuit: eiectiq; Turiani Vercellas se contulerunt. Ad quem tumultum nonnulli Lombardiæ populi à promissa Henrico fide recesserunt. Primiq; Cremonenses.

Vuirtenberg

Petrus Moguntinus Archiepiscopus

In quos statim Henricus coactum exercitum duxit. cuius urbis Guelphi re- sistere diffisi, Brixiã cum uxoribus, pueris, & asportata leuiore suppellectile emigrarunt. Cremonæ à Gibellinis deditæ, mœnia portasq; & Guelphorum domos Germani euerterunt. Duxit paulo post in Brixiam Henricus, editaq; est in agro omnium quæ excindi uri euertiq; potuerunt uastitas. Fugientibus in montana Guelphis, urbs dedita murorum portarumq; munitiones amisit. Placentini (pulso Alberto Scotto Guelphorum duce) imperialem uicarium admisere. Interea Veneti classem Henrico spondent, qua ad regiones urbi Romæ uicinas transportaretur: Veronenses Vicetini Patauini necnon Taruisini uicarios ab Henrico ad se missos acceperunt. Robertus interea Neapolitanorum rex Marescallum suum in Etruriam misit, uti Ferrarienses, Bononienses, Florentinosq; in partibus conseruaret. at Henricus Genuensium classe Sauonensiumq; Pisas petijt, equitatu terra per Lucenses præmisso, tum Romam à pontifice missis qui tum in gallijs habitabat. Ob tumultum deinde partium cum neutri studiosus esset, Tybur migrauit. Agentem tybure Henricum, nuncij Friderici Aragonum regis adierunt, cum quibus promissa apud Genuam fœdera constituit, affinitatem quoq; regi Siculo honestissimam obtulit. Paulopost Tybure profectus imperator, per Sabinos Vmbrosq; Perusium & inde Aretium amicissimam tunc sibi delatus, uallis Arni superioris oppida & castella nemine resistere auso cepit. Ductum est inde Florentiam, quibus Lucenses, Miniatensesq; & Senenses copias miserant, à Bononiensibus regis Roberti uenerat equitatus. Obsidione igitur incursionibusq; uexatis Florentinis, imperator hyeme instante ad Cassianum oppidum uia Senensi, octauo à Florentia miliario consedit. & præfecti ex Gibellinis duo, unus apud Scarpariam, alter alio loco cum Germanorum copijs relicti, capta de Florentinis seruare, & simul urbem incursionibus infestare curarunt, eoq; Florentinos fame oppressos redegerunt, ut deditionem facere cogitarent. Contulit se deinde Pisas, ut Robertum maiestatis rerum citaret, quem terno edicto citatum nec comparentem, regno priuatum denunciat. Interim tamen Lucenses Miniatensesq; tantis affecit cladibus, ut Lucenses amissis agri oppidis apparuerit eo anno simul cum Florentinis in deditionem fuisse uenturos. Acta igitur Pisis maiori æstatis parte, imperator per Senensem agrum ubiq; uastatum, contulit se Aretium: qua in urbe cum maximis honoribus susceptus, Robertum regem priuatum regno pronunciauit: quam tamen sententiam Clemens in suis constitutionibus improbauit, plus imperatoris odio quàm iuris prudentia. Incidit tamen in ægritudinem imperator, ex qua ut conualesceret (consulentibus medicis) ad Macerati balnea se contulit, à quibus multo imbecillior reuersus Bonconuentum, quod oppidum . XII. à Senis miliario distat, obsidere pergit. ubi ueneno intoxicatus moritur nouo inaudito ac uix credibili ausu:

quod

quod nisi à Florentinis factũ esset nemo crederet, misso equidẽ ueneno in eucharistia. Dum sacra Christi cõmunione perfruitᵉ optimus princeps, animæ pabulũ, uitę uero exitium sumpsit, subornato ad tam crudele uineficium pollicitationibus & præmijs Prædicatorum ordinis fratre quodã, ut Ptolomeus Lucensis scribit. At ne tanti principis mors inulta maneret, quingẽti equites Germani Henrico militare soliti, Hugucionẽ Fagiolanum ducem secuti, Lucenses agris mulctatos, pacem iniquis conditionibus à Fagiolano accipere coegerũt. ager namq; Lucẽsis Pisano est additus & Gibellini exules Albiq; in urbem sunt reducti.

De Ludouico. IIII. Bauariæ & Friderico Austriæ in controuersia electis. Cap. XLIIII.

INterim principes electores cõuenientes duos in cõtrouersia delegerunt. Ludouicũ Bauarię, nepotẽ ex filia Rodulphi de Habspurg & Fridericum Austriæ duces. Qui imperatores primo apud Franckfordiã cõgressi, Mœno fluuio diuisi ad pugnã nõ uenere. cõparato interim ingenti exercitu, Leopoldus Austriæ dux fratri auxiliaturus Ludouico ad Spirã occurrit. fugit Ludouicus. tandẽ cõiunctis copijs, Leopoldus cũ fratre Friderico in Sueuia fugientem Ludouicũ sunt secuti, dubioq; Marte certatũ est apud Esselingã, multis utrinq; desideratis captisq;, ut neutri uictoria cessisse uideatur. Secundo maximis copijs cõparatis, ad Bruscam Alsatiæ fluuiũ conuenere (qui fluuius Alsam per nobilẽ Argentinã ducit) ibiq; longius statiuis collatis, prælium utrinq; pepigere. Vidẽs tum Fridericus Bauarũ peditatu abundare, statuit & ipse equitibus equisq; dimissis pedes pugnare. quo uiso stratagemate Ludouicus Bauarus in fugã uersus in Bauariã se recepit. Tandẽ Ludouicus Fridericũ (fratre Leopoldo absente) aggressus uincit, capitq;: nihilo tamen minus Leopoldus Bauarũ bello persequitᵉ. quo tandẽ Argentinæ defuncto Ludouicus regno potitur, uictoriaq; elatus pro imperatore illico se gessit, ardentibusq; bellis dissidijsq; Italiæ ciuitatibus uicarios imperatorio eis nomine imposuit. Primũq; uicecomites Matheum (alij Mapheum scribunt) Galeatiumq;, tum Marcum Luchinum Ioannẽ & Stephanum eius filios ita fouit, ut Mediolano potiti sint, idq; eo fecit quo facilius Romam profecturus coronam aureã acciperet. Sub idem fere tẽpus Robertus rex Genua Sauonáq; partis Guelphæ opera potitus, ad Ioannẽ. xxij. pontificẽ in Gallias se contulit, suadente tum pontifice, Carolũ regis Franciæ Philippi filiũ in Italiã cũ copijs misit, Guelphis Lombardiæ Vercellis apud Guidonẽ de turre cõgregatis auxilio affuturũ. Ingressus Vercellas Carolus dominiũ urbis (quod tamẽ paruo tp̃e retinuit) accepit. Coactis em̃ statim Gibellini auxiliarib. Ludouici copijs, quæ cũ Galeatio militabãt, Vercellas arcta obsidione cingũt, ut Guelphi statim cõmeatus inopia post fame cõpulsi, urbe simul cũ gallis emigrauerint, quam Galeatius dominio suo subegit: uictis deinde ingenti pugna,

Florentinis per Accium filiū Castrutij Lucensis auspicijs militantē, qui tum in Etruria imperatoris partes fouebat. Et quo Italia turbatior esset, Ioannes pontifex Ioannem Vrsinum cardinalē in Italiam legauit, cui factionis Guelphæ gratiā multos fauores sperauit allaturam. Postq̃ igitur legatus in Italiam uenerat, statim Guelphos extollere & fouere, ac Gibellinos opprimere annisus est. Vnde gibellinæ factionis principes, Ludouicum precibus pollicitationibusq̃ uictum in Italiam descendere coegerūt. Qui superatis alpibus, aliquamdiu Tridenti substitit, deinde Brixiam, tum Mediolanum peruenit. Vbi ciuibus libertate donata permisit, ut XXIIII. ex omni populo creatis Reip. administratio relinqueretur. quibus ipse præsidem addidit, ea solūmodo imperatoria autoritate gesturū, ad quæ externi magistratus (quos Potestates dicunt) consueuerunt in liberis ciuitatibus deputari. Placatis tum principum animis, ab eo paululum alienatis ob Galeatium ac filios quos ob tyrannidem in carcerem coniecit, in Etruriam iter ingressus à Castrucio Lucæ honoribus summis exceptus, imperatoribus exhiberi solitis, statim in Pisanos mouens urbis dominio potitus est. Commoratus Pisis duos fermè menses Ludouicus, Romam iturus, per maritimam tetēdit oram. Cumq̃ Viterbium peruenisset cum Germanis Castrucijq̃ militibus, Carolus statim Florentia relicta & ipse cum copijs profectus ad genitoris regniq̃ præsidia festinauit. At Ludouicus à Po. Ro. ingenti honore exultantiq̃ fauore susceptus, coronationis pompam tamdiu distulit, quoad proceres & urbium Italicarum primores, qui continuè confluebant, omnes aduenissent, quoadúe pompa pridem ad omnia templa urbisque basilicas destinata, & ad eius accessum inchoata, die præfixa quiesceret. Quo die Kalen. Iunij nona, Stephanus senior Columna iussu cleri & populi corona illū insigniuit. Aggressus tum rem haud tanto principe congruam, instigantibus Romanis (qui ægre pontificis absentiam ferebāt) Petrum Corbariensem ordinis Minorum fratrem erexit in antipapam, ob quam rem à Ioanne pontifice qui eum excommunicauerat depositus, redijt in Germaniā, copijs Germanicis quæ ab eo defecerant sub Marco Vicecomite relictis. Post Ludouici reditū in Germaniam Philippo Franciæ rege hortante, Ioānes Bohemiæ rex Henrici Lutzelburgēsis filius (quem apud Bonconuentum ostendimus obijsse) ad pontificem misit sequestrum se exhibens, ut Bauarus ecclesiæ reconciliatus, iuri quod imperij electione prætenderet renūciaret, alterq̃ Henricus & ipse dux Bauariæ imperator ordine crearetur. Ludouicum enim Bohemus suo suffragio elegerat, ideoq̃ propensior in hanc Bauarorum familiam fuit. Interim Florentini potiundi Luca auiditate flagrantes, eam obsedere, qua breui fuerant potituri, nisi noua Italiæ Germanica turba incubuisset. Ioānes enim Bohemus rex à Brixianis accersitus Gibellinis, in Italiam ueniens, eam urbē uicepit: Bergomumq̃ tum Spinulæ Genuensi uiro nobili ac ditissimo, qui Lu-

Petrus Corbariensis

cam

cam à Germanis emerat, duomilia equitum, peditum paulominus immisit. solutaq; Lucæ obsidione, Florentinus ager populationibus & incendijs est fœdatus. Parma, Rhegium, Mutina, regis Bohemiæ dominium eligẽtes, se se illi missis oratoribus dediderunt. Mutataq; est exinde rerũ in Italia conditio, ut quibus pontifex Romanus rexq; Bohemus aduersarentur, Robertus rex Florentiniq; nullo Guelphi gibelliniq; nominis discrimine fauerẽt. Qua de re fœdus iniere, Vicecomites, Mastinus Scaliger Veronensis, Philippus Gonzaga Mantuanus, Carraria Patauinus, Estensis Ferrariẽsisq;, cum Roberto Neapolitano & Florentinis. Quo fœdere Ioannes permotus Carolo filio cum copijs Parmæ Regij & Mutinæ urbium custodiæ relicto, in Germaniam se contulit, maiores copias & tantis necessarias conatibus contracturus. Interea Manfredus Pius Carpi dominus inita cum Carolo societate Estensem aggressi ad Felicianum, fundunt, fugantq;. In ea fusi exercitus pugna, octingentos ex Ferrariensibus occisos constat, captorum numerus ingens: in quibus præstantiores, Nicolaus Reinaldi Marchionis frater, Theobaldus de Castabilis, & Iacobus de Agerijs, & pleriq; ciues Ferrariensis nobilitatis primores. Interim cum equitatu quem in Germania comparauerat reuersus, eoq; Parmæ relicto, Bononiam ad legatum se contulit, eiq; assistentes Brixia Bergomumq; ab eo desciuere. Tum Accius Vicecomes Papiam ingressus, arcem oppugnat, præfectum regis deiecturus. Tum rex in agrum Mediolanẽsem cõuersus, magnam ædidit uastitatẽ: uixq; Parmam redire potuerat, cum Lucæ ciuitatis audit rebellionem. quibus populorum leuitatibus perpensis in Germaniam redijt, Italicas factiones pertesus. Interim pontifex Benedictus prudenti (ut sibi apparuit) consilio, sed pessimo in posteros exemplo; Tyrannos & Lombardiæ primores principes legitimos confirmauit. Luchino enim uicecomiti & Ioanni ei germano fratri, quem Mediolanensem Archiepiscopum instituit, uicariatum Mediolani autoritate Apostolica attribuit. pari modo Mastinus scaliger Veronæ & Vincentiæ, Philippinus Gonzaga Mantuæ & Rhegij, Albertinus Carrariensis Patauij, Estenses Ferrariæ, Mutinæ & Argentæ uicariatus Apostolica autoritate receperunt. Ludouicus ut par pari (ut aiunt) referret, in ditione Ecclesiastica multos uicarios autoritate imperiali confirmauit. Ioannem de Vico Vrbis præfectum Viterbij: Galeotum Malatestam & fratres Arimini, Pisauri, Fanique: Ferretranum Vrbini, Nolphum & Galeatium fratres, Callij: Alegretum Clauellum Fabriani, Bulgarutium Matelicæ, Ismedutium S. Seuerini, Gentilem Varraneum Camerini, Michaelem montis Milonis, Pangonum Cingoli, Nicolaum Boscaretum Esij, Guidonem Polentensem Rauennæ, Franciscum & Sinebaldum Ordelaphos Forliuij & Cesenæ, Ioannem Manfredum Fauentiæ. Fuit Ludouicus suapte natura, quieti animi, uir comis, blandus ac perbenignus, quibus rebus

bus Germanos obsequentiores habuit, quàm alij armis habuere: Ideoq; cum pontifex Clemens VI. Carolum Ioannis filium Cæsarem in Ludouici dedecus depressionemq; declarasset, Ludouico tamen uiuo ad imperiũ per uenire non potuit, tribus etiã post mortem Ludouici suffectis, Eduardo Anglorum rege, Marchione Misnæ & Gunthero comite de Nigromonte.

De Carolo IIII Cap. XLV.

PEruenit tandem Carolus ad imperium neutiquam patri auoq; similis: plus enim regno Bohemiæ, quàm imperio per eum consultũ est. Vuenceslaum filium ignauissimum obligatis imperij publicis uectigalibus Cæsarem fecit. XV. agentem annum. Sub hoc secorde stulto rege, uesana hussitarum hæresis, auorum nostrorum ætate ortum habuit, quæ multis malis Germanos circum Boemiam habitãtes afflixit, quæ utinam ex inferiori Germania non tandem ad superiorem serpat & penetret. Libet in superiorum principũ gloriã decusq; magnificũ, eius ætatis uiri disertissimi omniũq; bonarũ artium instauratoris Francisci Petrar. epistolæ cuiusdã uerba recitare, in qua Nerio Forliuieñ. sic scribit. Omnis potestas impatiẽs cõsortis erit, cuius rei si qua antiqua nõ sufficerẽt, uereor, ne recẽs nobis exemplũ casus attulerit, neu iam Pontifex Romanus principẽ Romanũ Romæ esse uetuerit, quod fama loquit: quẽ nunc diademate cõtentũ ac imperij titulo Romani nõ solũ patit, sed iubet: & quẽ dici imperatorẽ sinit, imperare nullo modo siturus est. Ad ipsum uero Carolũ Petrarcha sic dicit. Nescio quid Romano põtifici pollicitus iureiurãdo interposito, quàsi muro ualido seu monte inuio Ro. urbis aditu prohiberis. Quænã ista superbia est, principẽ Ro. publicæ libertatis autorem, libertate priuare, ut cuius esse debent omnia, ipse non sit suus? Innocentius enim pontifex Carolũ anno sui põtificatus IIII per duos cardinales ad eam rẽ missos, at cõditione coronari permisit: ut neq; Romæ neq; in Italia diutius moraretur. Sub hoc Carolo multa mala perpessa est Alsatia ab Anglis, qui deuictis Franciæ populis ingenti prælio, in quo Ioannes Bohemus Caroli pater occisus fuerat, Italiã petiere, anno salutis. M. CCC. LXV.

Hussitæ

De Venceslao ignauissimo & secordissimo rege. Ca. XLVI

MOrtuo demum Carolo Bohemo Venceslaus eius filius, ignauiter imperium potius occupauit quàm rexit. Passus est enim hussitarum hæresim inualescere. Quamquidem perniciosissimam factionem sanctę Romanæ ecclesiæ, papalisq; excellentiæ, & ceremoniarũ ecclesiasticarũ contemptricem, inde ortũ sumpsisse reperio, q doctores & insignes litteratura uiri, in Pragensem ecclesiam cathedralem nullo pacto assumebãtur. Eius rei Æneas Syluius in Bohemorum historia capite XXXV. testis est. Ne simile uirus in Germanica natione erumpat, caueat Spirensis ecclesia, caueat & Augustensis, caueant & reliquæ, quæ eliminatis & explosis uiris doctis ingenio & eruditione florentibus, uel eos solos recipiunt, aut recipere laborant, qui

qui generis nobilitate tantum superbiunt, qui uenaticos & aucupatorios canes, cincinnosq́ suos Christianæ Reip. præferunt, pro libris, quum initiati sint, clypeos & galeas ostentantes. Vt aũt ad Venceslaum transeamus, is à regno Romano omnium suffragijs abrogatur. Discant in hoc Venceslao reges & principes nostri, regna & principatus feliciter regi, conseruari, amplificariq́ non posse, ignauia, torpore, ocio, luxu, delicijs, calamistratura, choreis, libidinibus, aucupio, uenatu, hastiliumq́ congressu: sed labore uigilantia, strennuitate, sapientia, uirtute, iusticia, prudentia, frugalitate, religione, Reip. amore. Discant ad gubernandos populos nequaquam esse opus calamistratis, ueris & fictis fatuis, pantomimis, susurronibus, effeminatis, adulatoribus, ecclesiasticę libertatis & omniũ bonarũ literarũ inimicis: sed grauibus uiris, grãdæuis, prudẽtibus, ueracibusq́, magnanimis, constantibus, integris, doctis, sapiẽtibus & sapientię amatoribus. Iusto dolore commotis libuit hæc paucula contexere, nunc ad institutũ nostrumreuertamur.

De Roberto Bauaro Re. Ro. Cap. XLVII

Deposito Venceslao Robertus gente Bauara comesq́ Rheni Palatinus, Philippi hodierni proauus imperio sufficitur, uir iusticiæ gloria clarissimus. Hic à Florentino populo in Italiam uocatus est, ut Ioannis Galeatij (quem Venceslaus pecunia accepta ducem Mediolani dixerat) potentiam comprimeret. Comparato igitur fortissimorũ militũ exercitu, in Italiam descendit, & agrum Brixianum ad Benaci lacus oram ingressus, copijs Galeatij congreditur. Vbi fugam Italis perfide cientibus fractus, Tridentum se recepit: unde uocantibus Venetis Paduã est delatus, ad quem Florentini oratores sumptuosissimo apparatu, sed copias minus egregiè instructas ut bellum resumeret, transmiserunt. Videns optimus princeps, Florentinos copiarum paucitati pecuniarum quoq́ paululũ addidisse, in Germaniam redijt, sinens Italos suis se militibus conficere. Moritur Robertus. MCCCC.X. & in choro ecclesiæ sancti Spiritus Heidelbergeñ. sepelitur, cum hoc epigrammate sarcophago inciso. Robertus Bauariæ dux co. rhe. Palatinus, Romanorum rex iustus, pacis & religionis amator, dignus deo uisus, qui pro iusticia pateretur, huius sacræ ædis & collegij institutor, hic cum castissima coniuge Elyzabetha, Norici montis Burggrauia quiescit, uita functus anno Christi M.CCCC.X. Kalen. Iunij. XV.

De Sigismundo Magnificentissimo Imperatore, deq́ testimonio in eius laudem Ioannis Gerson. Cap. XLVIII

Successit huic optimo principi in imperiũ Sigismũdus Hungarorum rex. Ad quod regnũ adoptatus fuit à Ludouico Hũgarię rege sine liberis defuncto: & Carolo eius ex fratre nepote, quẽ proceres Hũgarię ex Neapolitano regno, cui imperabat Ioãna cũ uiro expulsa, accersierãt, à regina quę odiũ dissimulauerat obtrũcato an. salutis. MCCC.LXXXV. Is Sigismũdus cum

doctrina

doctrina tum humanitate, tum multarum noticia princeps fuit clarissimus: sæpius cum Turcis pugnauit, terra mariq́ꝫ, duos & triginta Turcorum regulos securi percussit. Tum imperator designatus ægreferens ecclesiæ Christianæq́ꝫ plebis labem (quam post mortem Gregorij XI ambitione & superbia gallicoq́ꝫ fastu contraxerat) Vrbano VI. & Gebennensi cardinali ad pontificatum suffectis: cum Itali & Germani Vrbanum: Galli & Hispani Clementem sequerentur, aggressus est facinus Augusto dignissimũ magni excelsiq́ꝫ animi. Peragratis em̃ Europæ prouincijs singulis regibus principibusq́ꝫ domi conuentis, effecit, ut cõcilium ex omniũ pontificum sequelis ad Constantiam Germaniæ urbem haberetur. Inter multa aũt quæ triennio toto summa grauitate à patribus constituta sunt: illud accuratissime ac spiritusancto indubie autore decretum fuit, ut qui eo in conuentu pontifex crearetur quinto: & successores deinceps singuli VII. quoq́ꝫ anno: pro seruanda Christianorum unione generalia celebrarent concilia: in quibus liberum foret quæcunq́ꝫ in rem Christianam uiderentur corrigere, addere, immutare: præsertim in capitibus, quæ dum nutant membra, labãt. Creatus est tum omnium nationũ suffragijs Otho Columna patricius Romanus pontifex Martini V (ut fit) nomine desumpto: spretis Petro Luna uiro doctissimo, Angelo Veneto, Corario, & Balthesare Cossa patria Neapolitano: quorum primus Benedicti XIII. Secũdus Gregorij XII. ultimus uero Ioannis XXIII nomen in pontificatu desumpserat. Venit tandem Sigismundus in Italiam per Belitionam ingressus: inde à Philippi ducis copijs pompa Cæsare digna Mediolanũ deductus, accepta Mediolani ferrea corona, Romam proficiscitur, uana spe Philippi multa promittentis (ut perfidis quibusdam Italis mos frequens est) sæpe delusus, auream coronam ab Eugenio recepturus substitit Senis per mẽses aliquot, in gratiam pontificis rediturus: quem eo quod morigerus Philippo Mediolanensi fuisset læserat. Post uarios itaq́ꝫ hominum utrinq́ꝫ missorũ conatus, tandem Caspare Slicchio Sigismũdi epistolarum magistro oratore misso (qui prima legatione re infecta redierat) impetratũ extitit, ut Sigismundus Romam ueniret imperiali diademate, coronaq́ꝫ sublimandus. Ingressus est igitur urbem ad diem Kalendarum iuniarum XI. populo Romano cum ingenti illum pompa deducente ad scalas usq́ꝫ basilicæ diui Petri. Pontifex cum cetu Cardinaliũ obuius comiter eum excepit: ac pridie earundem kalendarum solennissimis ceremonijs coronatum, Imperatorem Augustumq́ꝫ salutauit. Abiens tum Roma Basileam petijt: dissidioq́ꝫ patrum, qui tum ibi concilium à Martino V indictum & decretum & ab Eugenio confirmatum approbatumq́ꝫ (Platina teste) celebrabant, ab Eugenio dissidentium sedato: rebus Hungaricis rite dispositis Bohemiam ingressus: Pragam peruenit, anno M.CCCC.XXXVI ab ortu saluatoris nostri, ubi summis honoribus exceptus est: quem pauloante Bohemorum hostem cen-

Concilium Constantien.

Martinus V

Basilea

Eugenius IIII

sebant

ſebant. Hic Sigiſmundus cum mœrore dicebat ſeſe erubeſcere propter ignorantiam principum electorum, qui Latinas literas neq; legere neq; intelligere poſſent. Habuit ſemper in precio literas & literatos, quos ſupra illos qui genere tantum ſunt nobiles, in ſua curia honorabat & locabat. Interrogatus cur id faceret, nobilitatemq́; & illuſtri natos genere contemptui haberet, Reſpōdiſſe fertur: Iure ego illos colo, & cæteris mortalibus præfero, quos natura parens & deus ſingulari donauit ingenio. Subijciens illos ſolos à natura & deo poſſe creari, In ſua autem poteſtate ſitum, ut nobiles titulo & prædijs faceret: quocunq; placeret momento. Is etiam Sigiſmundus, quod præterire nolo, in conſilio Conſtantienſi reprehenſus à Cardinale Placentino, q; contra grammaticorum præſcripta, uerba quædam pronunciaſſet: non minus ſcite quàm feſtiuiter ait: Placentine ſi ſupra leges ſumus, quare ſupra grammaticam eſſe non poſſumus? Placentine Placentine, quibus places, placeas, mihi non places. Latinum autē Sigiſmundū fuiſſe & ſapientē, Chriſtianiſſimus Pariſienſis gymnaſij Cancellarius Ioannes Gerſon teſtis eſt, qui inter alia de Sigiſmundo ſic loquitur: Sereniſſimus rex Romanorum ſemper Auguſtus, priusq́; recederet ab hoc concilio ad locū conuentionis cum rege Arragonum, & Petro de luna, orationem ad deputatos habuit, omni religioſa pietate, & uera chriſtiana religione pleniſſimam: quam his auribus non ſine pia compunctione lætus audiui. Idemq́; Theologus Io. Gerſon alio quodā in loco ſic ait. Vellem daretur hic ſpacium, quo Sigiſmundū Romanorum regem comparare liceret ipſi Dauidi. Eum namq; incredibilis labor actiuæ uitæ iugiter exercet, in quo nihilominus ſpiritum deuotionis habere compertum eſt per collocutiones deuotas, uſq; ad compunctionē lachrimoſam audientium: his oculis uidi & ſenſi, laus erit hæc Sigiſmundi ſempiterna. Multi uero noſtræ tempeſtatis principes literas odiunt, Latinum ſermonē (etiam ſi ſciant) loqui erubeſcunt. Quoniam aſſentatores & calamiſtrati qui principibus noctes & dies (ſicut ſanguiſugæ) cohærent, auertunt innocentiſſimos eorum animos, dicūtq́; eſſe indecorum principi, diſcere & loqui nobiliſſimā linguam. Timent enim impudici canes, & mancipia diaboli, ſi principū ſpiritus inuadat ſanctus ardor ſapientiæ, ſtudij literarum, prudentiæ, uirtutū, hiſtoriarum, ſeſe qui barbarie pleni ſunt contemptum iri: doctosq́; & graues uiros ſibi præponi: qui nihil didicere aliud quàm aucupio, uenatu, furore, blaſphemia, crudelitate, luxu, ocio, ludo, libidine, humani ſanguinis eccleſiaſticarum rerum ſiti, & omni ueſtium, uerborum, operum leuitate, calamiſtraturaq́; noſtram nationem infamem deſpectamq́; reddere, ac mirum in modum apud exteros contemptam & abiectam. Perſuadent etiam principibus noſtris hæ ſanguiſugæ poſſe Reſp. feliciter gubernari, abſq; doctis & literatis hominibus: neſcientes quod ſcribit Iulius Capitolinus hiſtoriographus elegantiſſimus, Marcum Imperatorem ſemper in ore habuiſſe, illud

Gerſon

H diuini

diuini Platonis, Florere ciuitates si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur.

De Alberto Austrio Bohemiæ & Hungariæ rege, in Romanum regem electo. Ca. XLIX.

MOritur tandem Sigismundus, morbo ætateq́ confectus: Albertū Austriæ ducem generum suum, & uirtute præstantem, & nobilitate sublimem, regnorum relinquens hæredē, quem statim nobiles Hungariæ Bohemorumq́ regem salutauere. Postq́ uero Sigismundo parentatū extitit, Albertus in Alba regali cum coniuge sua Elisabetha, summo consensu applausuq́ populi coronatus est. Inter hæc electores imperij apud Francofordiam conuenientes, rem Romanā Alberto demandant: quam sine Hungarorum consensu ei acceptare non licuit: id enim eis promiserat, cum se regem suscepere. Postremo multis utrinq́ habitis consultationibus, proceres Hungarorum Friderici ducis Austriæ tunc adolescentis, hodie imperantis, precibus uicti, assensum præstitere: imperium summa Germanorum congratulatione, ab Alberto esse susceptum. Prascon interea factionis hæreticę caput, Polonorum regis fratrem XIII annos natū regem appellat: qui acceptis à fratre auxiliaribus copijs Alberto Bohemiam ingredienti aliquādiu restitit, nunq́ ausus tamen pugnæ facere copiā: relicto tandē Vlrico Ciliæ comite, qui regnū gubernaret, Albertus in Slesiam peruenit. Vratislauiensibus uero (ea est ciuitas nobilis ac potens & Slesitarum caput) Albertū Marchionē Brandenburgensem petentibus belli ducem dedit, qui Poloniam sæpe infesto exercitu petēs, longe lateq́ prædas egit. Per idē tempus Despotus Seruiæ cum sacerdotibus & nobilibus in Hungariam profugerat, Turcorū impetum ueritus: uno tamē filio relicto, qui Synderauiam castellū in ripa Danubij situm, & à Turcis obsessum tueret. Albertus ab Hungaris inuitatus, obsessis opē laturus Budam petijt, aduersus Turcos exercitū ducit: qui iam castello capto aufugere. quo rescito Albertus dimisso exercitu Budā redijt, ubi ob calorē æstatis uehementiorē morbū cōtraxit. tandēq́ in Austriā iturus in rure quod Longū dicitur, cōdito testamēto VI kal. Nouēbris decessit, Princeps clemētia, liberalitate, ac fortitudine clarus, & qui cęteris rebus longe religionis studiū antepofuit. Regina Elysabetha Sigismundi filia VIII kalen. Martij iam filium ex Alberto pepererat Ladislaum nomine, cui postea utrūq́ regnum paruit.

De Ladislao Alberti filio, & de integritate Alberti Bauarię ducis. Ca. L.

ALberto tamen mortuo Bohemi de rege disceptantes (licet regina filiū regem natū in cunabulis ostenderet) in uarias partes scindūtur: nōnullis persuadentibus, ut Sigismūdi & Alberti regū meminerint: nepotē filiūq́ Ladislaū ne respuant, cōtra ius gentiū paternā hæreditatem puero ne adimant, fœdera cū Australibus percussa ne uiolent, pupilli atq́ orphani misereantur

reantur. At in contrarium ij, qui Albertū regem oderant, proponunt regem à regendo dictum, qui regendus sit regem uocari nō posse. Vicit hæc sententia. Albertus itaq; Bauariæ dux maiore procerū uoto rex declarat, qui apud Venceslaum quondā nutritus, Bohemicæ linguæ non ignarus erat. Mittuntur primores regni ad Albertum, inter quos Vlricus Rosensis, homo se tempori accōmodās: prius enim partes Alberti regis fouebat. Albertus uero Bauariæ dux ea uirtute atq; animi moderatione usus est, quæ postquàm reges esse cœpere rarissima semper fuit. Nā uenientibus ad se Bohemorū legatis, amplū & nobile regnum offerentib. gratias egit, qui se unū ex omnib. regem elegissent: multa se idcirco Bohemis debere. At cū regis Alberti filius extet, indecorum esse cū alterius iactura regnum quærere: paternā hæreditatē nulli auferendā: qui pupillos suo iure spolient deo atq; hominib. inuisos. Quàm præclara sententia iusto atq; optimo principe digna: hic Albertus Bauariæ dux, Bohemorum rex esse potuisset: sed quia iure nō potuit, assumere recusauit. Si idem nostri hodie principes efficerent, ut nulli suū contra deū & præter iustitiā aufferrent, dominandi libidine incitati, pax uigeret, iustitia cresceret, charitas seruaretur, pauperes nō interirent: pacta & fœdera manerent illesa, Christiana uirtus in Turcis augeretur, principibus ad superos pateret ascensus, qui sua uiolentia & iniusta principatuū & dominiorū amplificatione seipsos in stygiam paludem præcipitant atq; demergunt.

De Friderico Austrio III Romanorū Imperatore. Cap. LI

FRidericū Austriæ ducē electores Cæsarem decernunt, qui & tutorē Ladislao se præstitit, magnaq; cū integritate ei muneri præfuit. Tandē insidijs, disceptationib. multis bellis etiā Bohemicis, Hungaricis, & Australibus fatigatus, adolescentē præstantissimæ indolis regnis suis tradidit: quē nōdū principatus iniciantem Bohemi per Georgium Podiebratium & Rochezanam hæresiarcham (quod Fridericus uir integerrimus semper ueritus fuit) ueneno interfecere: qui solus patriæ spes, & fideliū defensor futurus sperabatur. Fridericus ad imperium legitimis suffragijs suffectus, compositis statim Austriæ rebus: primo quoq; tempore legē promulgat, qua cunctos sub imperio degentes, ad pacem minis pœnisq; cōpellit. tum animū sedulo applicat ad scissionē tollendā, quæ inter Eugeniū pontificem, & cōciliū Basiliense suborta fuerat: in quo conuentu Amedeus Sabaudiæ dux (reprobato Eugenio) in pontificē per patres declaratus fuerat: qui ad eam rem suasu Philippi ducis Mediolani hostis Eugenij inducti, Amedeū ipsum, Felicem uocatum, pontificem creauere. Eugenio tamen uiuo res subdole orta sopiri nō potuit, quāuis crebris legationibus, prudentissimorūq; deniq; principū consultationibus sæpius laboratū sit. dissolutio tamen concilij facta fuit, tum peste, tum bello quod Eugenius Suitensibus & Basiliensibus (ut Platina scribit) indixit per Lodouicum Caroli regis Franciæ filium, quem Delphinū dicūt: qui uictorem exercitum Anglis ex regno deturbatis, in Basilienses per Sequanos

ingressus traduxit in Germaniã:uictiq́ prælio haud incruento (subsidiaria manu Suitum,quę Basiliẽsibus ex omnib. Suitũ pagis selectissima subsidio missa fuit)mille & quingentis peditibus occisis Germanos se uicisse (ut mos est populo)omnes iactãtes. quãuis triginta Gallorũ milia in paucos Suitenses duo forsitan milia irruerint,tamen Suitenses quasi leones per omnẽ exercitum uagantur,cedunt,sternunt:& nõ in spem uictoriæ,sed in mortis ultionẽ pugnant, nõ tam uicti q̃ uincendo fatigati,prius tamẽ octo milibus Armeniacorũ occisis ceciderunt. Quatuor Armeniaci Heluetiũ unum insequebantur:quem cũ telo cõfodissent strauere,& in corpus exanime grassabant. Tum alter Heluetius huius comes arrepta bipenne in quatuor illos effœminatos Gallos fertur.Ex quibus duos obtruncauit,alios uero in fugã dedit,ac deinde semianimũ corpus super humeros recepit:& inuitis hostib. portauit ad suos.Q3 gloriosa uictoria Gallorũ,qui non uirtute, sed multitudine superarunt,sicut ipsi solent,& de eis Vegetius scribit.Miror Lepontios, siue Suitenses paratiores esse ut sequãtur signa regis Gallorũ,q̃ Romanas aquilas, cũ tanta immanitate,tamq́ lugubri & cruenta strage superiores Gallorũ reges absq́ iusto bello sine causa,innocentes eorum patres,& auos,patruos,& auunculos affecerint & obtruncarint. Miror etiã quosdã ex nostratibus, qui cupiunt Gallos Germaniæ dominari,quos ego admonitos uelim, ut quis finis inde sequeretᷣ,diligẽter cogitẽt:neq́ post factũ(q̃d stultissimũ esse Cicero affirmat)dicãt:Nõ putaramus id, quod crebro fatua res est negotio peracto cõsiliũ quęrere,& acta agere.Qui principib.nostris persuadent gratiã inire fœderaq́ percutere cũ externis regibus,si nihil aliud agũt, id saltẽ efficiũt, ut nunciĳ & oratores facti,alienas terras uideant : uiarũ solatio tædiũ leuent, & donaria forsitan secũ asportent.Optarem principes nostros pituita nõ laborare,sed mutuam inter sese concordiã fouere,quo solo patriæ salutem,sibi decus , posteritati gloriã, ac in quoslibet hostes præcipue Turcum collectas inuictasq́ uires cõpararẽt.Nihil utilius nihil felicius credidit Cornelius Tacitus Romanis optari posse,q̃ si eorũ inimici inter sese dissiderent & altercarẽtur.Maneat,inquit Cornelius,quæso,duretq́, gentibus si nõ amor nostri, at certe odium sui,quando urgentibus imperĳ fatis,nihil iam præstare fortuna maius potest,q̃ hostium discordiã. Missa istæc.Gallorũ rex Ludouicus quũ Delphinis cũ suis Armeniacis,& cæteris gẽtib.uniuersos Alsatiæ uicos, & nõnullas ciuitates,dolo,proditione,blãdimentis intrauit,fidẽ ægre seruauit,Alsatiã omnẽ (ea tẽpestate Cerere & Baccho locupletissimã) miserè uastauit.ædes,domos,casas ciuiũ,pauperũ uiduarũ,orphanorũ,puerperarum, atq́ ipsa dei nostri sacratissima templa,igni succendit . Anno salutis nostræ M. CCCC. XLIIII atq́ ubi satis ſęuitum est in nostros,cum omnia uitæ alimenta uorasset , & omnem libidinem in ruinas ędificiorum expleuisset, mutilum fractumq́ exercitum in Gallias cepit traducere) uix tertia adhuc parte salua,incolumi restanteq́.Neq́ illam quidem partem (quantulacũq́
superera**t**

ſupererat)integram & illeſam potuit ad ſua reducere: quãuis crederet Alſati cos uſqueadeò perculſos & attonitos, ut nec quiſpiam eorum à ſecretiſſimis ſuis penetralibus,prodire foras auderet.

De triumpho & uictoria ciuitatis Seletſtadij in ultimam Delphini cohortem. Cap. LII

CVm enim Delphinus cum copijs quæ ſupererant, diuiſis tamen exercitibus in Galliam redire inſtituiſſet,ultimã eius cohortem (quæ prædas paſſim ab Alſatibus direptas tutò ſperabat ad Galliam inferre)Seletſtadiẽſes ciues,& magna præſertim eorum cohors,qui ex uicis & uillis eò tãquam ad aſylum fugerant,quibus una ſalus fuit,nullam ſperare ſalutem,ſeſe denſis ſaltibus & præruptis nemoribus abdentes, inſperatoq; ex inſidijs erumpentes duce & primipilo Conrado (quem Longum uocabant) ſecũdis auſpicijs obtruncatunt,ac ſpolia quæcunq; feliciter ademerunt,eaq; in uicum imperij Romani Seletſtad cum magno plauſu glorioſe inuexerũt.Belli quoq; ſigna plurima magnifice per noſtros conciues à Gallis capta,in templo parochiali,ut omnibus uidenda pateant,erecta ſunt,in tanti triumphi memoriã ſempiternã.His rebus cõcilio diſſoluto diffractoq; neutralitas (uti dixere) ſchiſmaq; Nicolao quinto pontifice Romæ à Cardinalium ſenatu electo, Friderici Cæſaris induſtria,religioniſq; ac pacis amore tũ ceſſauere. Floruere ſub Friderico tertio Germani ingenio præſtantiſſimi tum in Theologia, tum in mathematica & aſtrorum ſcientia, humanitatiſq; literis non ſolum Latinis, ſed etiam Græcis, quales fuere(ut aliquos ſaltem & perpaucos nominemus) Nicolaus de Cuſa Treuerenſis,Cardinalis ſancti Petri ad uincula, & epiſcopus Brixinenſis,cuius doctrinam omnifariam,eloquẽtiam ſingularem,ingenium perſpicaciſſimum,Ioannes Andreæ Alerienſis epiſcopus eleganti quadam epiſtola laudauit & extulit. Hic Nicolaus de Cuſa multa in mathematicis,multa in Theologicis diſciplinis cõſcripſit.Cardinalatũ doctrina & uirtutibus meruit. Obijt Tuderti, anno ſalutis noſtræ M. CCCC die undecimo Auguſti.Eius cadauer Romam aduectum, & in eccleſia ſancti Petri ad uincula humatum eſt. Floruit & ea tempeſtate Iacobus Teutonicus ordinis Carthuſienſium,uir diuinarum ſcripturarum eruditiſſimus, dubiorum cautiſſimus interpres,uita & cõuerſatione deuotus, hac tempeſtate multa ac uaria edidit opuſcula:de anno Iubilei, de cauſis paſſionum, de moribus Chriſtianorum,de triplici ſtatu hominum,& multa alia clariſſima opera quæ numerare eſſet longiſſimum.Dionyſius natione Teutonicus,& ipſe Carthuſienſium ordinis profeſſus, uir & Theologia atque alijs diſciplinis eruditiſſimus hac tempeſtate claruit.Qui cum eſſet ingenio ſubtilis, & eloquio diſertus,tot & tanta ſcripſit, ut numero opuſculorum præter diuum patrem Auguſtinum apud Latinos parem habuerit neminem.Laurentius Teutonicus patria Colonienſis Theologus atq; philoſophus maximus, diſputator acerrimus,gymnaſium Pariſienſe,quod in Gallijs celebratiſſimum eſt, legendo,

Der lãg Cuonrat. Erat miniſter publicus ciuitatis Seleſtadienſis

Nicolaus de Cuſa

Iacobus Teutonicus

Dionyſius

Laurentius

docendo, disputando, ac uarios libros ac tractatus componẽdo egregie illu-
Henricus strauit. Henricus natione Teutonicus patria Coloniẽsis, præclarus fuit theo
logus & declamator, haud ignobilis, homo admirandæ sanctitatis. De præ-
ceptis decalogi, de tribus partibus pœnitẽtiæ, & multa alia opuscula edidit.
Ioannes abbas Ioãnes abbas in monasterio Nuicellẽsi in Theologia & iure Canonico eru-
ditissimus. Scripsit opus insigne & præclarum, quod prænotauit Canonum
Benedictus Saxo & Bibliæ concordantia. Benedictus Germanus patria Saxo, ex Halli oppi-
dulo ortus, oriũdusq́, in philosophia & Theologia atq; alijs liberalibus di-
Laus Gymnasij Erphord. sciplinis habitus fuit clarissimus. Apud Gymnasium Erphordiẽse, q̃d apud
nos Germanos principẽ locũ obtinet, multa dictauit opuscula, doctrinæ nõ
protritæ, nec lectionis spernendæ, ut sunt eius commentaria in Genesim, in
Georgius Purbachius Exodum, in Leuiticum, in Deuteronomium. Georgius Purbachius Viennę
mathematicam docuit, & in eo disciplinę genere pulchra uolumina reliquit.
Ioannes de Monte regio. Ioannes de Monte regio Georgij Purbachij discipulus, uir & Græca & La-
tina lingua peritus, cuius ingenium in mathematicis & astronomicis disci-
plinis etiam doctissimi Italorum extollunt & laudant, ut Picus Mirandula-
nus comes in libris contra astrologos. Is multa scripsit in Gerhardũ Italum,
natione Cremonẽsem, quę & grauia sunt & erudita. Scripsit præterea Ephe
merides. Mortuus est Romæ accitus à Sixto quarto pont. max. ut emẽdaret
Ioannes Vuesalia paschalem Dionysij compotum. Ioãnes de Vuesalia sacerdos, Theologus,
& philosophus acutissimus Erphordiense studium uarijs libris à se editis, &
lectione publica mirifice decorauit. In eodem etiam studio, & eodem tempo
Rodolphus Agricola re floruit Lutrea doctor insignis. Rodolphus de Grunigẽ natione Friso uul
go Agricola cognominatus, philosophus fuit & rhetor atq; poëta eminen-
tissimus, Græcæ, Latinæ, atq; Hebraicæ linguæ nõ imperitus, cuius ingeniũ
& eruditionem, & summã morum innocentiam ipsi Itali laudauerunt. Extat
Hermolai Barbari uiri eloquentissimi in eundem Epitaphiũ Rudolpho no-
stro testimonium præbens, quod hic subnotatum est,

Inuida clauserunt hoc marmore fata Rudolphum
　　Agricolam, Frisij spemq́ decusq́ soli.
Scilicet hoc uiuo meruit Germania laudis,
　　Quicquid habet latium, Græcia quicquid habet.

Illustrauit & legendo & docẽdo gymnasium Heidelbergense, in quo obijt
Anno 1486. die 28. Octob. Ex Hebræo Psalteriũ transtulit, ex Græco autem
quædã Platonis opera, Dionysium Areopagitã quo minus traduceret, mor
Petrus Schottus te est impeditus. Composuit & alia multa. Petrus Schottus, patria Argenti
nensis, conterraneus noster in literis politioribus Rodolpho Agricola usus
præceptore, Bononiæ Pontificias & Cæsareas leges sitienter hausit. In Aca
demia Parisiensi philosophiam & Theologiam didicit. Fuit in his omnibus
eruditissimus, nec Græcas literas ignorauit. Scripsit multa, quæ passim cir-
cumferũtur. Mortuus est argentinæ in natali solo, Anno ætatis suæ XXXI.
Sepultus

Sepultus in æde sancti Petri Iunioris, in qua Canonicus fuit. Mihi quoque summa amicitia iunctus extitit, & meum Thomam Vuolphium iuniorem ex baptismatis fonte leuauit. Cōradus de Zabernia oppidulo ad quartum lapidem ab Argentina distante, ipsum Amphionem in Musica superauit. Scripsit de Monochordio librum unum. De modo bene cantandi librum unum, & sermones uarios, quæ omnia & ingenij, & doctrinæ suæ magnitudinem præ se ferūt. Fuit idem sacerdos, & homo magnæ religionis, & exempli recti. Henricus Friso Carthusiēsis scripsit Chronicam sui ordinis, librum de nouitiorum instructione, de uita Christi librum unum, & multa alia. Nicolaus patria Moguntinus, philosophus ac Theologus fuit clarissimus, ob eius ingenium & doctrinam Friderico Augusto fuit charissimus. Edidit commentaria in libros Sententiarum, & alia quædam non absurda. Iacobus Stralem sub hoc Friderico philosophus & Theologus, fuit in studio Coloniensi maximus senex, Theologiam gloriosissime docuit. Composuit acutissimas quæstiones in Apocalipsim Ioannis apostoli. Gabriel Byel Spirensis, Theologus fuit magni ingenij & doctrinæ, legit in Gymnasio Tubingensi cum summa gloria. Composuit commentaria in libros Sententiarum, & quædam annotamenta super Canonem missæ. Et hos paucos ex multis numerasse sufficiat. Vt autem ad Fridericum Cæsarem redeamus, fuit is Imperator pacificus, quietus, admirandæ patientiæ & mansuetudinis, clero & ecclesiasticis nequaquam inimicus.

Conradus de Zabernia

Henricus Friso

Iacobus Stralem

Gabriel Byel

De prudentia rei militaris. Cap. LIII

VT ad rem de qua scripsimus reuertar, sine controuersia quæ sentio dicam, administratores bellorum (quos ueteres Imperatores appellauere) Germanos iure optimos esse & fuisse dijudicandos. Si enim exercituum copiam, metandorum castrorum peritiam, signorum collationem acierū instructionem, ordinū pertinacem obseruantiā, oppidorū solertem oppugnationē cōsideres, ac cōmeatuū facilitatē frugalitatēq; & stratagematū, insidiarumq; faciēdarū & uitandarū occasionē, neq; Atheniensiū Miltiadē Cononis filiū, neq; Themistoclē Neoclis, neq; Aristidē Lysimachi, neq; Cononē Miltiadis Alcibiadē Cliniæ, neq; Thrasibulū, Cononē, Iphicratē, Chabriā, Timotheūq; Germanicis Imperatoribus cōparabis. Cedāt Lacedæmonij, Leonidas inclytus rex, Pausanias magnus homo, sed in omni genere uitę uarius, Lysander qui Atheniensiū remp. destruxit, tyrannidemq; Athenis induxit, Agesilaus optimus rex, cum à cæteris scriptoribus, tum à musa Attica Xenophonte Socratico collaudatus. quid thebanum Epaminundā quē & musicen didicisse egregieq; saltasse cōperimus, quod multis à persona principis alienum uidetur, qui alienos mores ad suos referunt, & quæ eis leuia uident pari modo apud cæteros arbitrātur esse, sed græcanicum est etiam in olympia uincere, Epaminundam dico Pelopidamq; num Germanis comparabimus? Quid de Philippo Amyntæ filio, Alexādroq;, Antigono, De-

metrio,Seleuco,Lysimacho, Ptolemæo,innumerisq; alijs, qui ab Alexādro ueluti ex equo Troiano prodierunt.Habeant Pœni, Hamilcares,Hannibales,Asdrubalesq; relinquant nobis Henricos,Othones,Carolos,Cōrados, Fridericosq;.De Assyrijs,Persis,Parthisq; non est quod dicam,cum principum nostrorum serui libertiq; illis Ventidios præstare queant. Possem hic mille numerare Germanos,qui humili loco nati,nullis opibus, sed sola militaris rei pericia & fortitudine subnixi, apud exteras gentes immortalem gloriam sunt consecuti.Sic nostra ætate Martinus Schuuartzius nouus homo, sed instar Marij in armis acer fuit & bellicosus: cuius pugnæ & uictoriæ in conuiuijs Britannorum (quorum tamen hostis fuit) creberrimè ad lyram cantantur.

Martinus Schuuartzius

De triumphis Germanorum, quodq; eorum auxilio Romani quoq; triumpharint,& quod ipsi quandoque Romanis dominati sunt. Cap. LIIII

DIcam igitur quod sentio,Germanos omnium gentium uictores,uictricemq; gentem,nedum à Romanis, qui omnium gentium præstantissimi uictores triumphatoresq; fuere,uictos: & si partem aliquam Germaniæ uicere,non tamen sine Germanis uictoria potiti sunt, sed Germanis militibus totius mundi populos deuicere. Merito igitur gentem uictricem dixerim,cuius auxilijs alij certauere.Ipsi in toto liberi,tandem florentissimā Romanorum rempublicam aggressi,quod stipendijs militiaq; meruerant, imperium,& totius orbis monarchiā sibi subdidere. Vera nobilitas, uera libertas,& in militari disciplina fides, robur, fortitudo, constantia apud Germanos sunt.Historicos mirari soleo ueteres probatissimos(non hos nouos, qui assentatores potius appellandi sunt) quibus cum lex prima sit, ne quid falsi dicere audeant,deinde ne quid ueri taceant, ne qua suspitio gratiæ sit in scribendo,ne qua simultatis,quod cum de Germanis scribunt, uitia narrare soleant (& ea quidem minima) uirtutem uero quasi cum fastidio celebrant, uel non debita laude pronunciant,uel silentio prætereundo obticent.Quare optime Alexandrum dixisse legimus,cum Achillis sepulchrum contemplaretur,ô Fortunate adolescens, qui uirtutū tuarū præconem Homerum inuenisti.Si Germanis ea copia scriptorum fuisset, quæ fuit Imperatorum, non Scipiones, non Catuli, non Metelli frequentius in oratorum ore uersarentur, quàm Germanorum & duces & Imperatores, atq; maximarū urbium expugnatores:quorum tanta copia, tanta multitudo fuit,ut si quispiam domesticas solum res bellicas narrare inciperet,Liuianum codicem scriptis suis exęquaret.

De Friderico Bauariæ duce Philippi Moderni patruo & tutore. Cap. LV

SOla Friderici Bauarorum ducis uictoriosissimi facinora,propriam historiam flagitarent:qui Philippi principis Comitis Rheni palatini tutor &

patruus

patruus, raptores & p̃dones in primis exterminauit, eorũq; arces solo æquauit, terrarũ itinera uiolatorib. tutissima fecit, tres illustres & nominatissimos hostes deuicit, pridie Kalend. Quintiles, Anno Christi M. CCCC. LXII inter Rhenũ & Neccarũ miliario uno ab Heidelberga. ad hoc insigne certamen Dietherus Isenburgensis, Maguntinus archiepiscopus suppetias Friderico tulit. Morit Fridericus pie & catholice, corpusq; eius humatũ est in sacello à seipso extructo apud Cordigeros Heidelbergeñ. Cuius sarcophago sequens Epigrãma per circuitũ inscriptũ est: Fridericus Bauariæ dux, Comes Rheni Palatinus, sacri Romani imperij elector, salus patrię, prędonũ fulmẽ, tris illustres hostes uicit, principatum auxit, & pie uiuis excessit, Anno 1476. pridie Idus Decemb. Fuit eius uitæ socia uirtus, gloria mortis comes.

De alijs quibusdam ducibus Bauarorum. Cap. LVI

FVit eidẽ Friderico pater Ludouicus princeps pius, q̧ Christi amore Hierosolymã petijt, Teutonicorũ ordini apud Prussiã auxilio fuit, Latinas literas (Catonis exemplo) senex didicit, quod audierat Sigismundũ imperatorem dixisse, pudore sese affici ob principũ electorũ barbariẽ, qui latinarũ inertes essent literarũ, quas tamen necessario scire deberent. Fuit hic Ludouicus Roberti filius, quẽ inter Romanorũ reges posuimus. Cuius pater eiusdẽ nominis, duobus prælijs Saxones uicit, & Robertus auus Heidelbergense gymnasiũ ex ecclesiasticis prouentib. in Germania primũ & antiquissimũ, fundari & erectũ iri à summo pontifice impetrauit. Habuit quoq; Fridericus fratrẽ Ludouicũ principẽ pacificũ. Huic successit Philippus. Patruelẽ habuit Fridericus Roberti regis nepotẽ, Albertũ Argentineñ. episcopũ, qui nostra ætate non solũ cũ pace & mansuetudine terras suas gubernat, sed etiã ecclesię cui præest nõ modica iura, quondã alijs obnoxia restituit. Quod ego monitis Cancellarij suæ illustrissimæ clementiæ redegi in sequens carmen,

Ex ducibus bauaris Albertus episcopus istam
Instaurans arcem nobile fecit opus
Mansuetusq; pater patriæ, multo ære redemit
Vallem, cui nomen perflua Prusca dedit.
Et quæ pro uoto poterant intrare Trebotes
Oppida cum pagis libera restituit.

Hoc idem soluta oratione hortatu meo ita expressisti.

Albertus ex illustri Bauarorũ familia procreatus, Argentinensis antistes hanc arcem carie & uetustate inter rudera penè obrutã pristino decori munificentius restituit. Vallem eius fluminis quod incolæ Pruscam uocant graui ære redemit. Arces ac oppida quæ ciuibus Argentinensibus seruitutẽ seruiebãt ueluti alter Brutus libertati reddidit, Anno à natali Christiano secundo & quingentesimo supra millesimum Alexandro VI Pont. Max. & Maximiliano Augusto regnantibus. Valete posteri.

Operis uiolator infelix esto.

Ad Lũdo-

Ad Ludouicum patrem Friderici redeo: cuius ætate ex Germania supra quadraginta milia equitum, ad Bohemicam sectam expugnandam conuenisse traduntur. Aberat autem Ludouicus palatinus, qui comiti Videmontensi contra Lotharingos opem tulit, missis ab eo in eius auxilium electissimis ex uniuerso palatio militibus: qui miseranda leuium quorundam Gallorum siue fuga, siue proditione circumuenti sunt, deserti sunt, occisi sunt, anno salutis nostræ M. CCCC. XXXI sexto Non. Quintiles. Ad id bellum Videmontanum Ioannes Vuimphelingius patruus noster adolescentē forma & nobilitate insignem de Hohenstein nuncupatum iussu amicorum secum duxit: horrendamq; proditionem pro sua prudentia sentiens, innocentissimum ephebum à strage feliciter eripuit, incolumemq; in terras nostras reduxit. Fuit ille adolescens ex nobilioribus patriæ nostræ familijs satus, licet & aliæ quoque sint altissimo stemmate fulgentes, qui & principes auos possint referre: sicut est mi Thoma, Albertus ex familia Ratsamhusen in Stein, theseus tuus, quem tu ubiq; concelebras, utpote hominem & literis & ingenio, & armis clarissimum. Magnam mihi uoluptatem affert mirū hoc Tetrastichon Baptistæ Mantuani, ubi in amicitiā uestrā ita suauiter olim Bononiæ cecinit,

Fallor? an hi duo sunt? duo sunt, pluresq; duobus
Hi duo, & hi plures, sunt tamen unus homo
Corporibus duo, corde unus, cum uiribus addat
Vnio, tres. sic sunt, tres duo, & unus homo.

Ausim hoc affirmare, me nihil in lingua latina repperisse quód his uersiculis sit tersius, qui uel soli sufficiūt ad uestri nominis immortalitatem. Sed nunc de bello Burgundico paucula dicamus.

De bello Germanico cum Carolo Burgundionum duce. Cap. LVII

POssem hic bellum afferre Germanicum cum Carolo Burgundionūm duce magnanimo & potenti Maximiliani regis nostri socero, qui Romani imperij loca sitiens, Nussiam expugnare, Lotharingorum ducem uincere, & Alpinates, Alsaticosque supprimere moliebatur. At illi Nussia constantissime multis mensibus restitit, duce ac patrono gauisa Hermanno Hassiæ tum Lantgrauio, hodie archiepiscopo Agrippino: tandemq; Friderici Imperatoris tertij aduentu, absque bellorum periculis, & absque humani sanguinis effusione prudēter erepta. Carolus autem paulopost à Germanis tum Lepontijs aut Alpinatibus, tum Alsaticis, potissimum uero Argentinensi Rep. ex cōsilio & ductu Petri Schotti prudentissimi senatoris. (Is est ille Petrus Schottus, qui postea filiū habuit eiusdē nominis, cuius editiones & ingenij monumenta ubiq; expetuntur.) Reinhardo Lotharingiorū duci auxiliantibus, à Nansensi ciuitate pulsus, uictus & occisus. Ignorabat enim Carolus (licet antehac persæpe fugatus) non tā facile Germanos atq; leues

Nußia — *Hermannus Hasso* — *Reinhardus Lotharingorum dux*

Gallos

Gallos (quos pro nutu suo usq; ad Parisiorũ urbem uexauerat) bello uel absterreri uel superari posse. Verũ constantiam, magnanimitatẽ, rei militaris exercitationem, intrepidasq; Germanorũ uirtutes crebra sua fuga, thesauri maximi direptione apud Gransiam, terribiliq; suorũ strage apud Murthã expertus est, & tandẽ apud Nansen miserrime occisus Anno Christi super M. CCCC. LXXVI. nonis Ianuarijs. Cecinit de hac re tritum distichon Ludouicus Dringenbergius præceptor meus. Gransia Murta

Oppida trina tibi dux Carole dura fuere,
In rebus Gransen, grege Murthein, corpore Nanse.

De Constantia Germanorum. Ca. LVIII.

NEc solum Nussia Carolo constanter restitit, sed aliæ quoq; Germanorum ciuitates, hostibus sese obsidione premẽtibus, animose reluctatæ sunt, adeo ut exercitus, moræ impatiens desperata expugnatione sępe castra soluere uideretur. Hanc constantiam uidimus in Vualshuda à Lepontijs, in Vuyssenburgo à Friderico Bauarorũ duce, in Metensibus à Lotharingorũ ducibus, in Brunsuiga ab eiusdẽ nominis principibus, in Bopardia à Treuerorum põtifice occupata & afflicta. Nõ enim solẽt Germani, cũ obsidiõe premuntur facile hostẽ admittere, aut se in deditionẽ offerre. Quippe qui prouerbium istud exterorũ apprime detestantur & abhorrẽt, Viuat qui uincit.

De bellis Maximiliani. Ca. LIX.

MAximilianus Augustus, ipso Alexandro magno uere dici potest militarior: Qui dum adhuc ephebus esset & imberbis, cum Gallis, Sicambris, Batauis, Morinis, Eburonibus: nunc eques nũc pedes in prima acie congressus, de eisdem etiã gloriosissime triumphauit. Sub hoc Cæsare felicissime degimus, quo uno nemo in suos benignior, in hostes atrocior. Cuius pręclaras uictorias, Hermolaus Barbarus, & Marullus Constantinopolitanus, hic uersu, ille prosa laudauit. Fortitudinẽ Cæsaris nostri ipsi quoq; Pãnonij, mortuo Mathia Coruino eorũ rege, cũ magna calamitate (quod nemo ignorat) experti sunt. Sed qd uetera memoramus? quid illud est? quod superiore æstate feliciter confecit? Vicit Bohemos, & in ipsa acie primus hostiũ telis se obiecit, omnesq; occidione occidit. Pręterea quosdã Germaniæ principes diuitijs & copijs militaribus instructissimos, Romano imperio rebelles, penè funditus deleuit. Fuit profecto gloriosissimus triumphus, quem ex hac Bohemica strage reportauit. Huic præclaro facinori & plusquam memorabili, non sine gloria interfuit Caspar Vuolphius, qui ut Cæsari suppetias ferret. à S. P. Q. Argentinen. cũ quingentis peditibus in Bauariam missus, & illic strenui ducis officio fungens, perinde ac alter Furius Camillus pro patriæ libertate fortiter depugnans, ex Bohemis opima spolia reportauit, quatuor militaria uexilla, ui & armis ex hostibus cepit. Ea in hanc urbem Argentinam magno totius populi applausu aduexit, nunc in tẽplo maximo urbis

nostræ affixa uisuntur. Huius in re militari peritiam, fortitudinē, fidem, agilitatem, constantiam, in bello Cimbrico, Gallico, Britannico, Burgundico, Pannonio, Bohemico sæpius Germana nobilitas experta est. Itaq; in ipsis castris, ab Alberto Saxonum duce, non semel militari cingulo donatus: Anno autem proxime transmisso: qui fuit à Natali Christiano quartus & quingentesimus supra millesimum, à Maximiliano Cæsare inuictis. haud procul à Ratispona, una cum Philippo de Rechbergk eques auratus designatus est. & insignia gentilicia sibi & liberis & suis ex fratre nepotibus hoc est tibi charissime Thoma Vuolphi, fratribusq; tuis, ac omnibus ex eiusdem legitime descendentibus, pro Cæsarea liberalitate, liberaliter decreta sunt: non ita ut multis, qui nunquam in acie steterunt, nunquam castra uiderunt, nunquā deniq; tubarum sonum (nisi in spectaculis) audiuerunt. Ab imperatore nostro non fuit molestum, ad Casparem Vuolphium patruum tuum diuertere, q; is Romanas aquilas, & tyro & ueteranus sequutus, de imperatore, de Rep. nostra, de literis ac literatis bene meritus, mihiq; amicitia non uulgari coniunctus. Igitur Vympfelingum hoc uiro in omni uita integerrimo, inuicto, infracto, præstitissime nullus admiratione capiatur.

Philippus Rechberg

De bello Sigismundi Archiducis Austriæ contra Venetos. Ca. LX

TAceo memorabile bellum Sigismundi Archiducis Austriæ, In quo Veneti germanicam uirtutem experti sunt. Dux exercitus Venetorū Robertus Sanseuerinas Italorum Achilles, una cum magna exercitus sui parte, in flumine Athesi submersus est. Cæteri partim uel deleti, uel occisi, uel capti sunt: partim sibi salutem pedibus quęsiuerūt, prope arcem Bisenum, quod nobiles cognomento Trappi, incolunt. Facta est hæc strages die Laurentij: Anno M. CCCC. LXXXVII. Senserunt tum Veneti (ut alias sæpe) quā periculosum sit cū Germanis ferro ac armis decernere. Multi Itali à nostris parua manu fusi sunt. Hoc memorabile bellū Burckhardus de Anuuil Germanus, uir nobilis & egregius uersu Heroico complexus est. Extat quoque Baptistæ Mantuani ad Andream Bentiuolum de eadem re elegans carmē. Roberti Sanseuerinatis cadauer paucis post diebus inuentum ab Vdalrico de Frundsperg, tunc pōtifice Tridentino, & eius ciuibus in æde Diui Vigilij honorifice tumulatur. Est in eum tale Epitaphium.

Italiæ uictor Seuerina stirpe Robertus,
Sigmundum Australem sensit in arma ducem.
Ter proceres Veneti, bello petiere Tridentum,
Ter uicti, hic uictus ecce Robertus adest.

Filius quoq; Roberti Sanseuerinatis Antonius Maria, quē tu Bononiæ & Mantuæ sæpissime uidisti, cum nepote principis Camerini captus fuit. Postea tū singulari certamine cōgressus cū Ioanne comite de Sōnenburg: ab eodem q̊q; uictus. ita ipsi Veneti in omni re uirtute nostra inferiores extitere.

Solas

Solas quinq; germanorum gentes exercitum uictorem in Tur/cos suppeditare posse. Et de ordine theutonicorum Cap. LXI.

QVid uerbis opus est, cum ex quinquaginta & eo amplius germanorũ gentibus quinq; duntaxat, Bauari, Sueui, Lepontij, Saxones, & Cymbri, quoscunq; hostes, quoduis regnum, ipsos etiam immanissimos Turcos & Sarracenos, auspicante deo aggredi & superare possent. Ideoq; mirum & monstro simile est atq; solius dęmonis inuentũ (qui inter Germanos discordiam seminat) quod uniuersi Christianæ religionis principes & populi somno pressi, Constantinopolim non eripiunt, finitimisq; Christianis non succurrunt, Illyricos, Dalmatas, Styrios, Croacios, Lyburnos, Pannonios, Austrios ab impijssimis perfidissimisq; Turcis, & ab eorum miseranda seruitute in quam indies abducuntur, nõ liberant, nõ protegunt, neq; cogitant rem quoq; eorum agi proximus cum paries ardeat, & neglecta uires incendia sibi cumulare. Posset nimirũ huic bello magnas præstare suppetias ordo Teutonum à Teutonibus ex pietate christianæq; religionis amore apud Sarracenos cœptus proq; incremento ac defensione fidei nostræ laudabiliter institutus.

Ad Vniuersos germaniæ principes. Cap. LXII.

QVid non speratis uos facturos, posita prius simulate, cũ exigua quondam germanorũ portio ex incognitæ insulæ collecta manu, breui omnem Europam & Africæ atque Asiæ partem subiugarint. An non uniuersi uos nunc non poteritis, quod olim Gothi exigua pars uestrum potuere? An erit minus in uniuerso corpore quàm in uno digito uirium? Quousq; igitur sinitis, ò uos saltem magni germaniæ principes, fidem catholicam negligi. Constantinopolim orientalis imperij caput, ac totius græciæ columen iniustè occupari. Vrbes incendi, christianum sanguinem effundi, altaria euerti, sanctorum reliquias canibus obijci, dei & suæ matris imagines lanceis effodi, sputis lutoq; deturpari, christianos in seruitutẽ abduci. Iusta forsitan inter uos geritis bella. At iustius est ꝑ Christo pugnare, maiorq; necessitas Christi est hęreditatem quàm uestram defendere. Cogitate de communi periculo, maiora minoribus anteponite. Ne grauemini pacis causa, & dei redemptoris uestri amore, æqualibus deferre. Sumite sapientiam, qua furori temperantiam, arrogantię humilitatem, duriciei mansuetudinem, obijciatis. Ponite tandem latens odium. Sit finis germanicæ discordiæ, ut quorum consueuit in armis esse inuicta uirtus, unitis iam uiribus ac concordibus animis, in Turcos militaria signa feratis. Redimite, liberate infœlices christianos qui à Turcis in compedibus retenti, miserè seruitutem seruiunt. Byzantium regiam urbem quę nunc Constantinopolitana dicitur quo pacto recuperetis cogitate. Id uester honor, id uera Christi fides, & religio, Id christianæ Reipub. salus exposcit. Nobiles estis, insignia militaria palam geritis, & ceruices torquibus

auratis,& digiti uestri annulis, ensesq; & calcaria auro resplendēt: christiani estis,christiani dici & censeri uultis, agite nobilitatem,militiam christianam, religionem atq; fidem re ipsa & facto ostendite. Ne finite gloriam uestram à uobis transferri.Cauete ne uobis æmuli,secordiam,ignauiam,ocium,ebrietatem,luxum,choreas,spectacula,uenerem,furorem,pusillanimitatem,delicias,aucupium,uenatum,obiectare possint. Nolite calamistrati & mulierosi uideri. Attendite gloriam uestram, respicite Christū, pensate salutem patriæ. Moueant uos exhortationes iamdudum in conuentionibus uestris Ratisponæ, Nurenbergæ & Francofurdiæ factæ,à Bessarione Cardinale Græco, à Ioanne Antonio Campano,ab Aenea Syluio Senensi. Moueant uos aspera, sed uera uerba, Francisci Petrarchæ, quæ uobis in uita sua solitaria facit. Discite quid hij uobis loquuti sint. Mouebitur cor uestrum,si saltem ulla christiani sanguinis gutta uobis inheserit.

Ad Maximilianum Romanorum regem. Cap. LXIII.

Quid opus est,inuictissime rex Maximiliane, adhortari maiestatem tuam,cum ipse pronus sis ad bellum cōtra Christi hostes suscipiendum, ad succurrendū fidelibus, ad Christi fidem amplificandam,ad eripiendam Constantinopolim,ad comprimendam Turcorum rabiem,ad ulciscendam Christi sueq; matris iniuriam,ad honorem sacratissimis locis restituendum, ad recuperandam terram in qua Christus pro nobis natus & mortuus est, in qua simul omnes astabimus ante tribunal eius iudicandi, ad reparandas terras auitas & paternas,ad illustrandam Austriæ domum,ad satisfaciendū regali titulo,quo decoratus es. Tu ecclesię patronus es,tu fidelium defensor, tu dux & caput militiæ christianæ. Surgat igitur tua maiestas,& christianæ religionis periculo remediū adhibeat.Cæteri principes in te suos oculos torquent, neq; à Carolo Magno unquā fuit rex,de quo sibi omnis ordo,sexus, ætas,uel maiora uel plura spoponderit. Tu etenim regnorū terrarumq; potentia,militari gloria,experientia rerum,diuersarum linguarum noticia,sapientia,laborum & uigiliarū tolerantia,omnes imperatores,quantumuis egregios uincis,superas,excellis.

De Machina oppugnatoria,quam uulgo Bombardam uocant,à Germanis inuenta. Cap. LXIIII.

ANno domini M. CCC. LXXX. inuentum est bellici tormenti genus à Germanis nostris,quod uulgo Bombarda dicitur,à sono,ut opinor ac tonitru.Hac una re nihil solertius, nihil terribilius esse contendit Philippus Beroaldus præceptor tuus. Quod enim teli genus,quæ tormenta maiorē formidinem,terrorem,iacturam ipsis hostibus afferunt,quàm maiores, minoresq; Bombardæ,quę non modo rumpi muros,sed cœlum etiam quati posse docuerunt. Ita nō solū Germani nostri(uel ipsis exteris testantibus) bellatores semper fuisse acerrimi, sed instrumentorū quoq; bellicorū inuentores subtilissimi uidentur.

De in-

De inuentione celeberrimæ artis impressoriæ. Caput. LXV.

ANno Christi. M.CCCC.XL. Friderico tertio Romanorum imperatore regnante, magnum quoddam ac pene diuinum beneficium collatum est uniuerso terrarum orbi à Ioanne gutenberg. Argeñ. nouo scribendi genere reperto. Is enim primus artem impressoriam (quam latiniores excusoriam uocant, in urbe Argeñ. inuenit. Inde Maguinciam ueniens eandẽ fœliciter compleuit. Interea Ioannes Mentel id opificij genus inceptans, multa uolumina castigatè ac politè Argentinæ imprimẽdo, factus est breui opulentissimus. Huic successit Adolphus Ruschius. mox Adolpho Martinus Flachus, qui & ipsi Argentineñ. in natali solo cũ laude & gloria hanc artem exercuerunt. Is est ille Martinus Flachus, qui dum in humanis esset, iunctus affinitate fuit nostro Mathiæ schurer, homini sane docto, probo ac integro, cuius quotidiano conuictu, assidua familiaritate ac consuetudine, charissime Thoma, & ualde recrearis, & mirificam uoluptatem capis. Nec solum nostri in hac arte Argentinæ floruerunt, sed eandem etiam alibi tractantes, & decus & emolimentũ sunt consecuti. Ita Sixtus Rusinger Argentinus, Neapoli anno M.CCCC.LXXI. libros quomodo imprimi possint, primus monstrauit. Ob quod factũ Ferdinando regi & Neapolitanæ nobilitati charissimus extitit. Huic sæpe ab ipso rege episcopatus & amplissimæ dignitates oblatæ sunt. His omnibus patriam Argentinam preferens, ad nos cõcessit, estꝗ hodie uita superstes, uir ob dignitatẽ sacerdotalem & senium reuerendus. Præterea Vdalricus cognomento han, sub idem fermè tempus formas librarias, rem inauditam, nec unquam Romanis uisam, Romam attulit. Fuit is natione germanus, cui cognomentum (ut dixi) erat han, id latine gallum gallinacium significat. Hoc ideo scribo, quia Campanus & aliquot docti, existimauerũt hunc Vdalricum natione gallum fuisse, quod plane falsissimum est. Is tamen error ideo emanauit quod cognomen familiæ traductum fuit in latinum, quod Hermolao barbaro auctore nunquã fieri debet. nomina enim & cognomina, opidorũ propria, sicut hominum quacunꝗ lingua retineri solent. Itaꝗ Vdalricus han, cũ hoc diuino opificio, rem litterariam ex inopia ad ingentem ubertatem perduxisset, Antonius Campanus in illum iocatus hoc Tetrastichon edidit.

Anser Tarpeij custos Iouis, unde quod alis
  Constreperes, gallus decidit, ultor adest
Vlricus gallus, ne quem poscantur in usum,
  Edocuit pennis nil opus esse tuis.

Non est prætereundus Ioannes Prus municeps noster, qui hanc artem hodie in urbe Argentina diligenter excolit, qui infinita uolumina literarum studiosis legenda dedit. Multi summi & celebres uiri hoc impressorium munus laudauerunt, ut Polydorus Vrbinas, ut Beroaldus præceptor tuus. Is in qua

dam oratiõe sua,quod inquit ingeniosius inuentũ, ꝙ litteraria Impressoria, uel ut Latinius loquar excusoria,qua nihil utilius. & alibi idem Beroaldus in quodã hẽdecasyllabo: O germania muneris repertrix,Quo nil utilius dedit uetustas, Libros scribere quæ doces premendo . Nõ piguit in præsentia eos qui chalcographiam,uel inuenerũt,uel illustrarũt,memorare. Nõ sunt enim tantæ rei autores sua laude fraudandi, præsertim ut posteritas sciat: quibus hoc diuinum & immortale munus acceptum referre debeat.

De Architectura Germanorum. Ca. LXVII.

IN Architectura Germani excellentissimi sunt, quorũ ædificia Æneas Siluius mirari se potuisse scribit nõ cõmẽdare.Sũt meo,inquit, iudicio Theutonici mirabiles Mathematici,omnesꝗ gentes in Architectura superãt.hoc homo Italus de germanis testatur,nec falsa loquutus est,quod ut cætera ędificia(quæ passim in Germania magnificentissimè extructa sunt)omittã,Argentinense templũ & turris in eo ædificata abũde demonstrãt.Hac una structura nihil in uniuerso orbe cõtẽderim esse preciosius,nihil excellẽtius. Quis satis mirari,satis laudare potest Argentineñ. turrim,quæ cælatura,statuis,simulachris,uariarũꝗ rerum effigie,omnia Europæ ædificia facile excellit. cuius altitudo excedit numerũ ccccc & xv cubitorũ.Miraculũ est tantam molem in tam altum attolli potuisse.quid si isti à laudatis autoribus laudati artifices reuiuiscerent,Scopa,Phidias,Ctesiphon,Archimedes,profecto in Architecturæ disciplina se uictos esse à nostris uel palàm faterentur:atꝗ hoc opus Dianæ Ephesię templo, & Pyramidibus Ægiptiacis, atꝗ his omnibus quæ inter septem spectacula numerantur longe anteferrent.

De Pictura & Plastice. Cap. LXVIII.

NOstrates quoꝗ pictores esse omniũ præstantissimos uel ipsa experientia(quæ rerum magistra est)apertissime docet.Icones Israhelis Alemani per uniuersam Europam desiderãtur,habenturꝗ à pictoribus in summo precio.Quid de Martino Schon Colmariensi dicam,qui in hac arte fuit tam eximius,ut eius depictæ tabulæ in Italiam,in Hispanias,in Galliam, in Britanniam,& alia mundi loca abductæ sint. Extant Colmariæ, in templo diui Martini, & sancti Francisci,præterea Seletstadij apud prædicatores in ara quæ diuo Sebastino sacra est, imagines huius manu depictæ, ad quas effingendas exprimendasꝗ pictores ipsi certatim cõfluunt,& si bonis artificibus & pictoribus fides adhibenda est,nihil elegantius, nihil amabilius, à quoq̃ depingi reddiꝗ poterit.Eius discipul. Albertus Durer & ipse Alemanus hac tẽpestate excellẽtissimus est,& Nurẽbergę imagines absolutissimas depingit,quæ à mercatorib. in Italiã trãsportant̃, & illic à ꝑbatissimis pictorib.nõ minus ꝑbant̃ ꝙ Parasij aut Apellis tabulę.Ioãnes Hirtz Argẽtineñ. nõ est omittendus,qui dũ in humanis esset,apud pictores omnes in magna fuit ueneratione,cuius in pictura peritiã clarissimę ac speciosissimæ imagines

tum

tūm alibi,tūm Argentinæ in natali ſolo depictæ teſtantur. In Plaſtice (hoc eſt figulina arte,quæ ex terra ſimilitudines itidem fingit) Germani præſtantes ſunt,quod ipſa figulina uaſa & plurima uaſorum fictiliū genera quæ modo humanæ uitæ uſui ſunt,indicant & demonſtrant. Hic ſunt quos uel Corebus Athenienſis figulinę artis inuentor admirari poſſit & laudare.

De fortitudine Germanorum. Cap.LXIX

MVlti Græci & Latini autores fortitudinem Germanorum extulerunt. Breuitatis tamen cauſa multis obmiſſis Philippi Beroaldi præceptoris tui ex quadam oratione uerba ſubnotabo. Germani, inquit, quos & uulgus & hiſtorici luculenti Alemanos appellant,in uniuerſum animoſi,liberales,ingenioſi.ſcriptores Priſci Germanos extollunt, quod à paruulis duriciei & labori ſtudentes in uenationibus, atq; in ſtudijs rei militaris cōſiſterent, quibus arma tractare ludus fuerit, feras excipere uoluptas,quàm acres forēt bellatores,& libertatis retinentiſſimi,ſæpe Romani experti ſunt, & quidem infeliciter, quorum exercitus quinq; conſulares ſub totidem ducibus per interualla temporum fuſi profligatiq;. Nec impune Caius Marius cū pugnaciſſima gente conflixit. Diuus quoq; Iulius magis arma Germanis oſtentauit quàm intulerit. Auguſtus Cæſar uirtutem Germanicam duabus cladibus expertus,Loliana ſcilicet & Variana. Sed Varianam adeo exitiabilem ſenſit tribus legionibus cum duce cæſis,adeoq; conſternatus eſt,ut barba capilloq; promiſſo caput interdum foribus illideret,uociferans, Quintili Vare legiones redde. Quid multa? Germani ob unicam fortitudinē ac uim bellicam,Herculem,Martemq; perinde ac uirtutis præſides in primis coluerūt, nihil neq; publicæ rei,neq; priuatæ,niſi armati agentes,præditi proceris corporibus, & ſtatura prorſus militari. Nec apud nos Germanos ſoli uiri pugnaces & egregij ſunt bellatores,ipſę fœminę cum res poſtulat ad arma paratæ ſunt ſtudia bellica tractantes. Proditum eſt memoriæ fœminas quoq; Germanas ſumptis aliquādo pro patria armis ex integro uirorū pugnas inſtauraſſe,& ſicut Cornelius Tacitus autor eſt,nullā aliam dotem afferre conſueuiſſe in Maritorum domos q̄ frenatum equum, & ſcutum, & frameam.

De nobilitate Germanorum. Cap. LXX

IOannes Teutonicus ille egregius Decretorum interpres in quadam gloſſa diſt.xxxiiij. Germania,inquit,à germine dicitur, eſt enim uerū germen nobilitatis. Atq; hunc Teutonem dices & ſuæ genti blanditum. Alterius igitur nationis hominem afferam Germanorum alioquin hoſtem & detractorem Antonium Campanum, qui de Germanis loquens ſic ad uerbum ait: Illi domi concordes,foris ſtrennui,& acquiſiere imperium,& tantam illuſtrium uirorum multitudinem pepererunt, ut per reliquum orbem ueluti Colonijs nobilitatis uſquequaq; deductis familias nobiliſſimas & regias propagauerint: nec ulla ſit familia in Gallijs, ne regia quidem, nulla in Hiſpa-

 nia, aut

nia,aut in Italia paulo illustrior,quæ si antiquitatem repetat suam, nō sta-
tim è Germania esse prædicet, & ueluti è seminario quodam ueræ nobilita-
tis è uobis uenisse glorietur. Nam quis obsecro familiam Gallorum regum
tam celebrem,tam laudatam protulit? Germania,Pipino Germano autore.
Quis Hispaniæ domum tam insignem, quæ nunc regnum obtinet, & pro-
pe ad Libiam usq; protēditur? Germania, Richardo Visigotho Germano
autore. Quis tot nobilissimas familias per uniuersam Italiam, tanquam ex-
cusso gremio nobilitatis fudit,sparsit,seminauit? Germania, Hērico Germa
no autore,qui Ordelaphos,Varanos,Malatestas,Māfredos,Gallassos,Fe-
retranos,Vicecomites,Gōzagas, aliasq; innumerabiles & instituit nobiles,
& locupletauit:ut uere dici possit, fontem nobilitatis uiuum & perennem fu-
isse Germaniā,aut mare potius, quod omnes prouincias Europæ suo splen-
dore uelut æstu quodam nobilitatis inundauit, dum in Galliam, in Hispa-
niam,in Italiam nationesq; alias propagauit imperium. Nō ergo à Roma-
nis Germania traxit, sed Romanis potius Germania nobilitatem immisit,
quam maiores nostri uirtute, gloria, rebus gestis magnifice pepererunt. Si
enim à uirtute nobilitas nascitur,Germani profecto Romanis uirtute mini
me inferiores extiterunt,utpote qui fidem,integritatem,iustitiam,liberalita-
tem,ueritatē semper coluerunt. Si magnificentia rebusq; gestis nobilitatem
adipiscuntur homines, quæ natio magnificentior, minusq; inuicta Germa-
nis? Quod si ex antiquitate & longo æuo nobilem quempiam iudicabimus,
fuere Germani longe uetustiores Romanis. Roma enim Christū antecessit
annis septingētis & quinquaginta duobus. At nobilissimam urbem Treue-
rim,quæ Ammiano Marcellino autore in Germania sita est, cōstat duobus
annorum milibus Christi ortum excedere diuturnitate,id quod nec ipsi Ro
mani inficiantur.

De liberalitate Germanorum Cap. LXXI

GErmanos comes faciles,& pecuniæ liberales esse, nemo unquam nega-
uerit,quum nō solum inter sese,sed etiam in aduenas & peregrinos ho-
spitalitatē (decorū liberalitatis genus) obseruēt: quorū domus hospitibus nō
modo facile patēt,sed etiam ipsi errātib. comiter & sine fastidio uias demon
strāt: tamē in quo uirtutē suā cęteris impēdere nitunt̄,et in quo laudē mereri
debent,in eo ignominiosam uitij labem sibi cōparant. gulæ enim & ebrieta-
tis arguunt̄ ab his,qui suā auaritiā & odiosam tenacitatē simulata modera-
tione fictaq; frugalitate norūt obumbrare. Germanorū humanitate diuus
Athanasius quū in toto orbe tutus nō esset,furorē Imperatoris ab Ario se-
ducti euasit,ac duobus ferè lustris hospitio clam exceptus,apud Germanos
fidei symbolū cæteraq; cōscripsit. Germanorū humanitatē,liberalitatē,& in
hospites munificētiā Cornelius Tacitus probat. Cōuictibus inquiens,& ho-
spitijs non alia gens effusius indulget. Quemcunq; mortaliū arcere tecto ne-
fas habetur. Quid mirum, nos hodie hospitalitatem diligere, posteaquàm
Christus

Hoc ideo dixit,quod plerique Belgarū à Germanis sunt oriundi. Nam alioqui cōstat Germanos sub Constantio nōdū in Galliā fuisse trāsgressos.

Christus & diuinissimus Paulus eam tantopere commendarint, quum maiores olim nostri nondum Christianæ religionis conscij, naturalis solum rationis ductu, in aduenas benefici fuerunt, & perliberales. Viderint qui nobis ebrietatem ascribunt, si non uirtutem nostrā in uiciū calumniatores uertant.

De fertilitate Alsatiæ. Cap. LXXII.

VT multas Germaniæ regiones obmittamus. Alsatiæ fertilitatem prosequamur. ea tametsi Germaniæ portiuncula est, tamen aëris temperie, soli fertilitate, aquarū copia, nemorū salubritate, Cereris ac Bacchi abundantia, ac omniū rerum ubertate est effluentissima, quæ merito cella penuaria & Germaniæ nutrix nominari potest. Ægyptus, Sicilia, Italia, Hispania, sicut receptissimi autores prodiderūt, sunt quidē regiões uberrimę fertilissimæq́; frumenta tamē & uina quæ illic colligunt, crassa sunt & pinguia, & sciti saporis, minime tamen duratura, quæ tamen apud nos ad 60. usq; annū incorrupta, illesa, sincera, pura, & ad mortaliū usum accommodatissima permanent. Huc adde, quod Alsatici diuina ingenia sortiunt ex aëris lociq; tēperie. Multos protulit patria nostra claros doctrina & eruditione uiros. Extātq; hodie etiā in quocūq; disciplinæ genere peritissimi. Si Theologū desideras, ad manum est Keyserspergius: si iureconsultū, Bernardus Vurmser condiscipulus tuus in prōptu est, qui tecū unà Bononię diuini & humani iuris professorib. operā dedit, & in legali doctrina ita acutus, ita disertus euasit, ut merito dici possit nostri temporis Papinianus. Is quanq; ætate iuuenis, tamen eruditione ueteranus est, quod & illius respōsa & cōsilia lucidissime testant. Sed heu succurrit nūc Amādus Vuolphius tuus Germanus frater iurecon. egregius, q superiori æstate morbo intercutis aquæ perijt, cui si uitā prorogasset deus, exornasset seculum nostrū. Sūt in medicina, sunt in mathematica, oratoria, Poëtica, qui nec spernēdi sunt, nec abijciendi. Loquar de Thoma nostro Aucupario, ob breuitatem reliquis obmissis, qui nescio quid magni ac alti de se pollicetur, qui si ætate processerit, proculdubio non tam Alsatiā quàm Germaniam poëmatis suis illustrabit.

Conclusio per Epilogum.

DEnique ut ad calcē properemus, exploratū esse nō dubitamus in toto orbe Germaniā cæteris p̄stare nationib. uirorū multitudine, fœminarū pudicitia, ducū, principū excellentia, eorūq; sincera ac pura nobilitate, militū fortitudine & proceritate, atq; cōmuni liberalitate, fide, integritate, libertate, constātia artiūq; præcipuo ingenio, episcopatuū magnificētia, urbiū & ciuitatiū numerositate, magnitudine, ac studiosissima templorū instauratione, Romanæ sedis obedientia, decimarū oblationū & elemosynarū largitione, honesto uestium usu, tum situ salubritateq; cœli iucūdissima. Præterea ipsa Germania, benignissimo uentorū afflatu, latissimorū fluuiorū et Thermarū copia, nemorū & saltuū iocūda utilitate, crudeliū ferorūq; animaliū carentia & magna soli fertilitate principatum obtinet. Quicquid est quo uita nostra

carere non poteſt, id omne deus Germaniæ non inuidit, opes, pabula, lacus, fruges, uineta, uariiꝗ; generis uina, uel unica Alſatia, multis exteris abunde prçſtat, uellera, lina, ueſtes, iuuenci, equi. Metalla, aurũ, argentum, æs, ferrum, non ſolum montes, ſed & flumina Rhenus, Danubiusꝗ; proferunt, ut nec Pactolo, neq; Tago cedat Germania, longe à mari diſtans, quod Plato improbitatis magiſtrum appellat. Sunt demum Germani ſacroſanctæ Chriſti religioni deditiſſimi, ac obſeruantiſſimi, à qua nec uinculis, nec carcere, nec ipſa denique morte diuelli poſſunt, ſicut neque à ueritate (quam ipſis Perſis ſanctius colunt) recedere uidentur, quod profecto ſanctiſſimum & omnium præſtantiſſimum eſt dijudicandum.

F I N I S

CHRONICON VETVS RERVM MAGVNTIACARVM PER CONRAdum episcopum.

Continet autem de ecclesiasticis uestibus, instrumentis, & ornamentis templi Maguntini, & submotione Henrici ab archiepiscopatu, cæde Arnoldi qui corruptis pecunia Romano pontifice & Cardinalibus sedem occuparat. Item de Rodolpho Clobelouch fratre ducis Zeringensis quem populus Maguntinus elegit. De Conrado Bauaro & Christiano Cancellario Frider. I. De Sigefridis archiepiscopis & Conrado Ar. Coloniensi postulato. Postremo de Christiano propter probitatem exautorato, & Gerardo F. comitis syluestris, Des Valdtgrafen : qui Maguntinam episcopen emit CC. Marcis pecuniæ præsentis, à legatis sedis Romanæ per Conrad. episcopum. Sunt autem hæc gesta sub Frid. I. Henrico VI. Friderici F. Philippo rege, & Friderico II. filio Henrici VI. nepote Friderici I. Nec reperiuntur in uulgatis Chronicis.



ENERABILI patri domino Theodorico abbati, & fratribus C. Ludouico priori Ioan. Rudolpho sacerdotibus C. presbyter episcopali nomine indignus, gaudia electis dei ante mũdi exordia præparata. Solent plerunq; res olim gestæ si scriptis non fuerint commendatæ sic obliuionis conculcari pede, ut nulla de ipsis à posteris memoria habeatur, cum tamẽ earum noticia posset forte fore alijs causa cautelæ, & instrumentum euadendi pericula uel uitandi. Quod si non sit, saltem legentibus & audientibus tedium tollitur, dum ea transierint, eis quasi quædam recentia renascuntur. unde fit ut ex hoc in admirationem ducantur uel stuporem, uel certe ad passionis gemitũ prouocentur. Scripturus itaque uobis iacturam & oppressionẽ, qua annis iam c. cepit ruere ecclesia Maguntineñ. ipsius inuoco gratiam cuius ea quæ sustinuit & adhuc sustinere nõ desijt, mala, iudicio est oppressa. Igitur ut eius miserabilior calamitas quã patitur, & flebilior elucescat, prius quibus honoribus claruit, quibus diuitijs & ornatibus referta fuerit, succincte & breuiter differemus. Erant ibi purpurarũ præciosarũ tantæ copiæ ut diebus festiuis totum monasteriũ cum sit tamen longum & latum, intrinsecus tegeretur, & tamẽ adhuc superfuerunt. Erant tapetia &

petia & dorsalia mira picturæ uarietate distincta, quæ operis subtilitate & pulchritudine animos intuentiũ admiratione delectabant. Præter ista erant & alia quæ super pauimentum templi & scamna & coram altaribus sternebantur. Erant pallæ altarium auro intextæ præciosæ. Inter quas tres erant præcipuæ, quarum una æstimabatur posse ualere marcas C. alia LX. atque aliæ non minoris uel parum minoris poterant æstimari. Erat in casulis Dalmaticis subtilibus & cappis sericeis & purpureis auro & gemmis intextis preciosus & copiosus thesaurus. Inter quæ sex cappæ præcipuæ erant, quarum una æstimata est ad LX. Marcas. sic enim & obligari poterat. aliæ quinque minoris erant æstimationis. ex hijs duas ego uidi, quarum una uetustate fuit sic consumpta & attrita, quod alicui usui non ualebat. data ergo est igni, & reddebat tres Marcas auri cum dimidia. Alia quæ adhuc recentior uidebatur uendita est cum una palla altaris: quid pro hijs acceptum fuerit uel quo deuenerit uenditum acceptum penitus ignoratur. Inter casulas autem sic de quolibet colore duo paria: duæ nigræ aurifrigiatæ & eiusdem operis duæ Dalmaticæ. & duo subtilia latis aurifrigijs ornata. & hæc omnia ualde bona. Item duæ casulæ de samito albo & eiusdem fili Dalmaticæ duæ. subtilia duo cum auro ornata omnia ualde bona. Item duæ casulæ de rubeo samito, & tot Dalmaticæ & subtilia aurifrigiata ualde bona. Item duæ casulæ de uiridi samito, & tot Dalmaticæ & subtilia aurifrigiata ualde bona. Item duæ casulæ de croceo samito, tot Dalmaticæ & subtilia ualde bona. Vna inter cæteras erat casulas ante paucos dies uiolacea, latis & magnis aurifrigijs, longa & larga, aureis lunulis & sideribus insertis: quæ tanti erat ponderis propter aurum ut plicari non posset, & in ipsa uix aliquis poterat nisi ualde robustus diuina mysteria celebrare. Vestiebantur tamen illa pontifices & prælati festis præcipuis canturi. Sed post euangelium cantato offertorio, factis oblationibus, illam deponentes flexibiliorem sumentes in illa diuina perfecerunt. Item multæ tunicæ diuersorum colorum, uidelicet rubei uiridis & uiolacei coloris, uirgulatæ, crocei, albi, quibus utebantur ministri altarium & acoliti & crismatis portatores. In Albis, cingulis humeralibus stolis & cæteris ornamentis paucis credenda copiosa diuersitas. Erant insulæ uel thiaræ XVIII auriphrigiatæ, chirothecæ ualde bonæ. XVI annuli pontificales boni & magni. de Robino unus & impositis alijs gemmis minutis. de smaragdo unus. de saphiro unus. de Topazio unus. Baculi pastorales duo uestiti argento. Caligæ VIII. & tot sandalia. Hæc de uestimentis. Nunc de ornatu & thesauro ecclesiæ, & primo de pertica audiatis. erat pertica argentea concaua deaurata, quæ tantũ præcipuis festis ut in passione, Pentecoste, in dedicatione ecclesiæ, in festo patroni gloriosi confessoris beati Martini, in natiuitate saluatoris ante altare dependebat. In qua uascula

ſcula ſuſpendebantur, quædam eburnea, quædam argentea, formarum di-
uerſarum, omnia reliquijs plena. In horum omniũ medio fulgebat ſmarag-
dus ſuſpenſus catenis aureis duabus, habens quantitatem & ſpiſſitudinem
dimidij peponis magni,& per omnia ſimilitudinem habens peponis,& ipſe
concauus:huic ſolebat aqua infundi cum duobus uel tribus piſciculis paruis:
& depoſito deſuper operculo, cum mouebantur piſciculi,ſimplices & uetulæ
lapidem uiuere affirmabant.Erant thuribula X.argentea deaurata,& unum
aureum habens auri Marcas III. & acerræ X I. inter quas una erat de lapi-
de integro Onychino concauo, habens ſimilitudinem uermis horribilis id
eſt, ut buffonis: concauitas eius patebat in dorſo,ubi & circulus argenteus
cum literis græcis ambiebat. In fronte huius acerræ quia caput habebat
ſimile uermi monſtruoſo,erat lapis Topazius ualde precioſus, magnitudi-
nem habens dimidij uitelli oui: in oculis eiuſdem acerræ duo Robini, quos
Carbunculos uocant. adhuc eadem acerra habetur hic, ſed gemmæ non.
Item erant duæ grues argenteæ concauæ, quæ ſolebant poni iuxta altare
hinc & hinc,& dorſo patebant,impoſitis carbonibus & thure uel thymiama
te boni odoris fumum per guttura & roſtra emittebant.Erant autem grues
tantæ magnitudinis cuius uiuæ. Erant libri qui pro ornatu ſuper altare po-
nebantur, ut euangeliorum epiſtolarum plenariorũ &c. aliqui ueſtiti ebore
ſculpto,alij argento,alij auro & gemmis.Erant pelues IIII. argenteæ,& ur-
cei diuerſarũ formarum quos manilia uocant eo quod aqua ſacerdotum ma
nibus funderetur ex eis,argenteam quædam habentes formam leonũ,quæ-
dam draconum, auium uel gryphonum uel aliorũ animaliũ quoruncunq;.
Erant candelabra magna duo quę iuxta altare ponebantur argentea,& alia
minora quæ ſuper altare ponebantur,quibus rotæ ſupponebantur latæ pro-
pter ſtillicidia candelarũ neſcio quot. Erat corona magna pendens in choro
ad ſimilitudinẽ eius quæ adhuc pendet ad ſanctũ Albanũ, & una in medio
templi, atq; aliæ tres minores ante altare ſancti Martini,omnes ex argento
diligentius fabricatæ. Erant cruces argenteæ portatiles miræ pulchritudinis,
quarũ duæ in Palmis,duæ in paſchate,duæ in ebdomada paſchæ,duæ in ro
gationibus,duæ in die aſcenſionis domini ferebantur.X.per totũ.Erat & una
crux tantæ longitudinis,ut totũ brachium magni uiri, in qua erant ſanctorũ
reliquiæ multæ & magnę.In medio uero cõtinebat de ligno dominicę crucis
ad quantitatẽ digiti,ad longitudinẽ uero palmæ uirilis:ueſtita erat hæc crux
auro puriſſimo,& gẽmis precioſis & multis.Erat & alia crux lignea auro op-
timo ueſtita,in qua imago erat aurea domini crucifixi, quę imago cuiuslibet
cõmunis hominis magnitudinẽ excedebat,cõcaua,ſed multũ ſpiſſa, cuius uẽ
ter plenus erat reliquijs & gemmis precioſiſſ.dicebatur autẽ nec Romanum
imperium meliores habere:hæc crux poterat diſſolui membratim in iunctu
ris,primo in talo, in genuibus,in femore, in humeris,in cubito,in manibus,
in collo

in collo, ubi corpori inherebat. cætera pars corporis dorsum scilicet & uenter pariter coherebãt,& hoc ideo ut cõmodius & securius posset in archa sibi ad hoc deputata specialiter reseruari. hæc raro ponebat nisi forte præsente rege uel alio magno principe & in festis paschæ uel natalis domini & pontifice hoc iubente. Cũ autẽ hoc fieri oportebat tunc in loco ualde eminenti in templo super trabem, ubi nulli alieno patebat accessus, à ministris fidelibus locabatur. In huius imaginis capite loco oculorũ erant duæ gemmæ quas carbunculos uocant, tantæ magnitudinis, ut duo uitelli ouorum: qui in tenebris coruscabant. huic cruci inscriptus erat uersus iste, Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras. Et nota quod una libra habet duas marchas auri. Sic ergo erant mille & cc. marchæ auri probatissimi. Nec silendũ arbitror: pro speciali huius auri examinatissimo ualore crux ipsa proprio nomine censebatur, uocabatur autem Benna.

Libra auri continet duas Marcas.

Benna.

De indumentis quotidianis, crucibus, calicibus, ampullis, attinentibus, & thuribulis mentionem facere propter multitudinem non bene possum. Sed quia de calicibus dicimus subijt memoria quod fueram iam oblitus. Erant calices XII. argentei omnes deaurati eiusdem ponderis cum patenis, scilicet de tribus marchis, dempto calice qui pertinebat ad maius altare, & is cæteros dimidia marcha præcellebat. cuilibet calici erant speciales ampullæ argenteæ, & pypis argentea ad hostias deputata. Præter hos calices erant tres aurei. In uno horũ poterat celebrari. qui etiam suas habuit ampullas & pyxidem ad hostias ex auro puriss. & margaritis, & perã ad corporalia filis aureis insertis miri operis & decoris. Habebant etiã calices alij suas peras ad corporalia ex purpura & auriphrigijs adornatas. Erant Fistulæ quinq; ad cõmunicandũ argenteæ deauratæ. Erant colæ argenteæ nouem, per quas uinum poterat colari si necesse fuisset: præter eam quæ attinebat calici aureo & hæc aurea erat. Hoc aureo calice solus pontifex uel prælatus ecclesię maioris in summis festiuitatibus utebantur, Alij duo calices tantæ erãt quantitatis quod cũ ipsis diuina mysteria nequaquam poterant celebrari. Erat enim unus maior altero, Minor habebat cum patena marcas auri electissimi XVIII. in cuius pede per circuitum preciosi erant lapides ualde, & in patenæ circuitu limbus eiusdem operis ambiebat, & ipse quidem gemmis preciosis non carebat. calix maior quot marcas auri habuerit nescio: certum autem est quod spissitudo eius erat digiti, & per totũ tam in pede quàm supra gemmis erat præciosiss. adornatus. habebat etiam idẽ calix duas ansas quæ poterant manus replere leuantis, sicut solent habere mortarij in quibus piperata & salsa præparantur. huius patena talis erat latitudinis & spissitudinis quod ipsi cõgruebat, & ipsa gẽmis per circuitũ decorata. hic calix habebat altitudinẽ unius ulnæ & capere poterat dimidiũ sestariũ uini. Nec ab omni homine poterat leuari à terra cõmode. Nullus me in hoc scripto arguat obsecro falsitatis

Calices XII. argentei. trium Marcharum.
Ampullæ argenteæ
Pixis argentea.
Calices aurei tres.
Fistulæ 5.

Nam

Nam Ecclesia ipsa & sedes ab omibus regibus & imperatoribus, principibus, comitibus, baronibus, liberis &c. & omni populo uenerabilis habebatur propter pontificum sanctitatem, cleri deuotionē, ciuium pietatem, qui tamen in rigorem pessimum, & superbiam modo & duriciam sunt conuersi. O Maguntia felix, tot bonis inclyta, si tu mutares gentē rationis ac honoris egentem. Igitur quum sicut iam supra dictū est, sic pontifices se haberent, & clericalis disciplina optime seruaretur, ita ut plebes clero, clerus prælatis obedientiam & reuerentiam exhiberent, inuicem honorātes, inuicem diligentes, præsidente tunc quodam Henrico Archiepiscopo uiro utiq; pacifico, & benigno, ac multis uirtutibus dotato: diabolus qui hoc ferre non ualebat, ipsi uenerabili uiro, quia ueritatis ac pacis amator erat, lites & incōmoda excitauit. Nam quia semper ei erat cordi, ut clerus honore debito gauderet, populus iustitia regeretur, terra pace publica exultaret: ecce accusatur apud papam, quòd somnolentus & inutilis haberetur. Quod uir uenerabilis ut cognouit, solennes nuncios pro sua excusatione ad summum pontificem decreuit protinus destinare. Misit ergo omnium suorum secretissimum cognitorem quendam Arnoldum clericum, quem ipse Archiepiscopus ad præposituram maiorem promouerat iam recenter, tanquam eum qui non posset esse immemor beneficij tam nouiter consecuti, & propterea eidem iam præposituram sancti Petri etiam contulerat: Insuper & Camerarium constituit ciuitatis Maguntinensis. Erat autem idem Arnoldus miri ingenij & facundiæ, atq; congestor pecuniæ infinitæ. Is itaq; ueniens ad Curiam Romanam, pontificatumq; ambiens Magūtinensem, primū sibi Cardinales pecunia fauorabiles acquisiuit: deinde duos specialiter pecunia corrumpens qualiter de sua propria promotione ageret, & postmodū consummaret, cum illis familiarius pertractabat. Tandem ab illis instructus, & de se certificatus, cœpit in suum dominum accusationis iacula dirigere, quem uenerat excusare. Breuiter tantum in sua processit audacia, & effecit ut duos legatos destinari peteret huius rei cognitores & iudices: obtinuitq́ue eosdem duos quos corruperat. Tandem tractu temporis multa interuenerūt facta, quæ sicut scribentibus esset onerosum, ita legentibus tediosum. Veniunt ergo legati Vuormaciam, Henricus Episcopus citatus comparet, nihil prętendere poterat pro se, qđ admittere uellent iudices siue legati supradicti. Præsidentes aūt iudicio in loco qui Neuhusen uocatur, Henricum laudabilem uirum ab episcopatu amouent Maguntineñ. Arnoldum substituunt: dicebatur autem quòd Fridericus imperator huic negocio assensum præbuerit, sed occultū. Venerabilis uir Henricus tam manifesta peruersitate turbatus, ipsos peruersos alloquitur in hunc modum. Si ad sedem Apostolicam appellarem contra uestrum iniquum processum, papa forsan ipse nihil amplius attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerū & afflictio spiritus, & euisceratio mentis,

Henricus archiepiscopus

Arnoldi malitia

Henricus ad Christum appellat

& euacuatio gratię. Appello ergo ad dominum Iesum Christum tanquam iudicem iustissimum: uos cito ad eius tribunal, ibi mihi coram summo iudice me responsurũ exhibeo. Nõ enim iuste, nec secũdum deum, sed mercede corrupti, sicut placuit iudicastis. At illi: Quũ tu pręcesseris, nos sequemur. Hæc aũt ridentes & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc anno gratiæ M. C. V.

Dominus Henricus abijt ad quoddam claustrum Cistercieñ. ordinis, non monachus effectus, sed in cõsueto habitu uitam ducens. Arnoldus non moram faciens, quũ fuisset ut moris est ab imperatore regalibus inuestitus, Maguntiam uenit, ibiq; solenniter est susceptus. Post annum ferè & dimidium uenerabilis Henricus præsul defunctus, deo ad quem appellauerat, totum processum lachrymabiliter assignauit. Arnoldus autẽ primordia sui consecrans præsulatus, purpuram optimam de almaria tollens, sibi fecit uestes, tunicam sorcotium & mantellum, ut in imperatoris curia gloriosior appareret. Sed omnipotens deus non diu sustinuit istud nefas: orta est enim dissensio ualde grauis inter ipsos ciues Maguntineñ. Nam una pars dolebat uehementer uenerabilem uirum dominum Henricum ab episcopatu amotum: alia gloriabatur & superbiebat Arnoldum substitutum. Erat enim oriundus de ipsa parte ciuitatis quæ Selehofen nominatur. Tam grauis autem crescebat de die in diem inuidia inter ciues, ut tribus diebus in septimana congrederentur, & per plateas cum gladijs, & fustibus, ac contis, cuspidibus, & lanceis inuicem se mactarent, caderẽtq; hinc & hinc tanquam oues occisionis. Nec se Arnoldus interponere curauit pro pace & concordia reformanda: sed suos fautores potius contra partem aduersam animauit. Propter quod accidit ut pars illa de Selehofen quã fouebat & animauit Arnoldus, maius monasterium occuparet, illoq; pro castro uterẽtur cõtra aduersarios. Durabat hæc dissensio dies multos, & clerus grauiter oppressus contemptus habebatur: quia iam copia maioris Ecclesiæ eis concedebatur ad diuinum officiũ exequendum, non nisi pro illorũ libitu laicorum, qui illud temere occupauerãt: & iam quidẽ multi uenerabilẽ Henricũ conquerũtur mortis debitũ exoluisse. Rem refero fratres omĩibus illius seculi notissimam. Mors uenerabilis Henrici multis innotuit: peruenit etiã ad aures illorũ Cardinaliũ qui ab episcopatu eum amouẽtes se promiserant sequuturos, & ludentes ad alterutrum dixerunt: Ecce pręcessit, suo tẽpore nos sequemur. Et ecce transijt tempus breue, & ambo uno die moriuntur. Nam unus sedens in sede naturæ ut purgaret uentrem, omnia intestina sua in cloacam eiecit, & animam miserabiliter exhalauit. Alius manuum suarũ digitos articulatim abmordens & de ore expuens, deformatis manibus, quasi se ipsum deuorãs expirauit. O deus ultionũ. d. d. ul. h. e. iustũ exercens iudicium, & in his omnibus nõ est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Audita sunt hæc in terra nostra & fama celebri diuulgata, nec à quoquam aliud dicebatur quàm Benedictus dominus

Sorcotium

Selehofen

Nemesis ultio

dominus, qui uenerabilis Henrici iuftè iniuriam uindicauit. Sic ifti dies fuos clauferunt. Crefcebat autem in malum uehementius odium & pugna ciuium prædictorum. Iam conducuntur de foris auxiliatores milites ab utraque parte, peruenitur iam ad maiores. Nam quidam comites promiffionibus attracti huic prælio fe immifcuerunt. Tractatur ab utraq; parte de fumptibus acquirendis: & pars quam fouebat Arnoldus, feftinatum confilium inuenerunt, & ut mutuo acciperent de Ecclefiæ ornatu, fecretum habuere tractatum. Iam integritas ipfius ornatus in parte eft nō modica uulnerata. O Cardinales carpinales, pacem de terra accepiftis, & ut homines fe inuicem interficiant, uos feciftis. Quodcūq; mali prouenit, quæcūq; fuerint homicidia perpetrata, ueftra eft in caufa peruerfitas, ueftra eft iniquitas operata, ut ueniat fuper uos omnis fanguis qui effufus eft, & deinceps effundetur. Ecce in omni terra non eft qui huic malo uelit occurrere ad fedandum, fed crefcit & intumefcit mare iftud plenum frementium beftiarum, uentis afflantibus utique ex inferno. Iam fe immifcet Arnoldus, qui quū effet Archiepifcopus loci, fautores plurimos acquifiuit in propriæ ciuitatis interitum & iacturam, nolens parcere ut quidā ei imponebāt, nec fexui nec ætati. Propter quod confilium pars aduerfa ut in mortē fui domini armarentur, iniīt. Longo ergo & fecretiffimo habito tractatu, in propofito fcelere fe inuicem adhortantes, fe roborant & cōiurant, tacent & abfcondunt quicquid pro fua fit malitia perpetrandum. Sed nihil opertum quod non reueletur. Per plures enim admonitus Arnoldus eft præmonitus ut fe cautius obferuaret. Qui fertur fuis monitoribus refpondiffe, Canes Maguntineñ. mordere non norunt, nec aliquid ualent quàm latratibus deterrere: à corde carentibus timeantur. Erat quidam Abbas in clauftro Eberbach ordinis Ciftercieñ. qui ipfum Arnoldū pro fuis exceffibus fæpe literis arguit, & imminentia pericula intimauit. Erat quędam fancta uirgo nomine Hildegardis, quæ per fpiritum uidit ipfum Arnoldum citius moriturum: fcripfiffe quoq; dicitur ei in hæc uerba: Pater profpice tibi, canibus enim funt funes abftracti, qui infequūtur te. Non aūt acquieuit monitis aliquorum. Accidit ut in uigilia Ioannis Baptiftæ poft prandiū de quodam oppido Bingen ciuitati Maguntineñ. appropinquaret, ac fe in clauftro monachorum iuxta muros ciuitatis ad fanctū Iacobum in monte fpeciofo, fic enim dicitur, fe locaret: & ecce Maguntineñ. ufq; in craftinum fefe armant & condunt, ut quū in ipfo die Ioannis audita fuerit campana, quilibet fit paratus: & factum eft ita. Venit dies, & maturius folito prandent omnes, pulfatur campana, & à maximo ufq; ad minimum uniuerfa ciuitas cōgregatur. Præful Arnoldus fe iam dederat quieti, & audito campanæ fonitu ultra q̄ꝫ credi poffit uehementer expauit, & timor irruit fuper eum, amiffoq; rationis gubernaculo quid poffet facere ignorabat. Obftruxit autem repagulum & lapidibus & lignis quibus poterat, ianuas oēs monafterij memorati. Tur-

ba autem turbata ex aduerſo omnes portas & feneſtras,uel quoſcunq; alios exitus obſeruabat,ne euaderet quem quærebant. Iam ignem ad officinas admouebant: uix & cum multa difficultate monachi receſſum obtinuerunt: & dum monaſterium fumo plenum, flammiſq; per circuitum premeretur,ipſe præſul turrim monaſterij aſcendens,miſericordiam deprecatur,& ſi quem offendiſſet uerbo uel facto, ſatisfacturum ſe ſuppliciter pollicetur. Sed turba uiſo pontifice clamare cœpit furioſe,nec poterant ſupplicantis uerba præ tumultu turbatæ turbæ intelligi uel audiri. Sed admoto igne ad turrim in qua ſtabat,ipſum de turri deſcendere compellebant: flamma iam monaſterio dominatur. Videns ergo monachos obtenta ſecuritate abſcedere, tentat ſi forte & ipſe cum eis & inter eos poſſit euadere: aſſumpto itaque habitu monaſtico occultari tentat,ut & ignem qui inualuerat, & gladium euaderet, quem timebat. Apertis Eccleſiæ ualuis cum monachis ferè abſceſſerat: ſed à quodam eſt cognitus & detentus infelix. Quidam primo gladiū uibrans collo Epiſcopi immerſit. Alter in fronte eius percutiens mucrone ab aure uſque ad aurem,ſuperiorem partem capitis ad inferius diuiſit. Sicq́ue actum eſt ut alij contis, alij fuſtibus, alij gladijs, alij lapidibus mactantes,ſolo tenus præcipitarent. Iacentem ſic & uulneribus & ſanguine deformatum uulgus nequam & peruerſum ueſtibus ſpoliarunt, quidam anulos de digitis abſtulerunt. Reliquiæ quædā quas collo pendentes ſolitus erat ferre,ab alijs ſunt ablatæ. Hæc autem circa horam nonam parum ante ueſperas ſunt peracta,nec poterant clerici ab ipſis malefactoribus aliquatenus obtinere,ut ſaltem occiſus in loco traderetur debito ſepulturæ. Sic ergo iacebat in campo ſuper foſſam ciuitatis,ubi canum & luporum tranſitus habebatur, deſiderantes eum & ab huiuſmodi beſtijs deuorari. Tribus diebus ſic nudus toto corpore manens,ueniunt aliquæ maledictæ fœminę, caſeorum,& ouorum,atq; olerum uenditrices, mercatrices, meretrices, ſaxiſq; dentes pontificis contuderunt. Aliæ uero ſtipites ardentes,& titiones fumantes eius gutturi infixerunt,adijcientes linguis & labijs maledicta. Poſt diem tertium canonici ſanctæ Mariæ ad gradus,iam incognoſcibilem & fœtentem furtim ſublatum, deferunt in ipſam Eccleſiam , lachrymoſis ſuſpirijs ſepeliendo. O furiam Maguntinam, o maledicta gens, dura corde, gens immitis,gens intractabilis, gens indomabilis, gens iniqua, inuiſa cœlo & terræ. Impia in deum, ſeditioſa in inuicem, temeraria in ſancta pace,quam nemo neminem honorantem honoret, nemo neminem amantem amet, nemo &c. Væ tibi infelix Maguntia, quæ proprium patrem mactas, ut te in ſuperbiam ponas, & parias genimina uiperarum. Acta ſunt hæc Anno Milleſimo centeſimo ſexageſimo.

O Cardinales, huius rei uos eſtis initium: Venite ergo uenite, haurite nunc, & ferte architriclino ueſtro diabolo, eiq́ue offerte cum ea quam deglutiſtis

glutiſtis pecunia etiam uoſmetipſos. Perpetrato hoc ſcelere aliud ſibi curare ſatagunt, nullam clericis quorum intererat eligendi poteſtas, licentiam concedentes. Aſſumptoq́ue quodam Rudolpho cognomine Clobelauch fratre Friderici ducis Zeringiæ in ſedem collocant, adhuc occiſi præſulis ſanguine fumigantem. Hoc autē factum eſt, ut poſſent ultionem imperatoriam quam meruerant euitare. Erat enim idem Rudolphus uir potens, amicus ipſius imperatoris conſanguineus propinquus. Hic pro inueſtitura regalium, & conſecratione ſua, ac pallio acquirēdo, qđ eſt pontificalis honoris inſigne, conſultans ac pertractans, quando ſumpta nō habentur in promptu, unde poſſint res huiuſmodi acquiri, quibus in honore ſuo acquiſitis dignitas obtineri, & obtenta ualeret conſeruari: & ad nutriendum ignem ſumptuoſæ ambitionis quaſi lignorum ſtruem ſecretiores conſiliarij conſilia ſubminiſtrant: Theſaurus Eccleſiæ nimius & inutilis perhibetur: quid enim grues argēteæ ad fumigandum altare? poſſet & Eccleſia tota thurificari thuribulis cupreis habundanter. Item ad quid calices aurei & gemmati tantæ quantitatis, ut in eis non ualeant diuina myſteria celebrari? Hæc & ſimilia conſilia placuerūt. Quæ eo poterant facilius & citius adimpleri, quo percuſſo paſtore grex diſperſus, iam abierat uagabundus. Rudolphus ergo iam dictus Epiſcopus nominatur, diſponensq́ itineri ſuo brachium ab illa magna cruce, de qua ſupra mentionem fecimus quæ Benna uocabatur, ad uſus neceſſarios amputauit: fideliter promittens ſe reparaturum brachium æqualis ponderis & ualoris, ſi peracto negocio proſperū iter ei faceret deus. Proficiſcitur uerſus Romam, ſed præuolauerat fama ad curiam, quæ facta fuerant manifeſtans: & papa tactus dolore cordis intrinſecus de morte crudeliſſima Archiepiſcopi, & de infamia intruſionis Rudolphi per manum laicam, & eorum maxime qui crimen homicidij perpetrarunt: ipſam intruſionem intrudentes cū intruſo excommunicationis anathemate condemnauit. Rudolphus Clobelauch ad curiam non peruenit, inq́ uia diem clauſit extremum, procuſdubio eius crucifixi occiſus brachio, cuius ipſe brachium amputarat. De theſauro hoc ſciatur, quòd qui olim affluxit, nunc uelocius auolauit. Magna eius pars imperatori creditur affluxiſſe, pars ab alijs ablata, pars Iudæis pignore obligata, pars furtim ſubtracta: diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, non quidem in capita platearum, ſed in burſas furantiū. Quæ uindicta ſequuta ſit mortem domini Arnoldi, hic credimus non tacendum. Ab imperatore proſcripti perpetuo exilio ſunt damnati, hi ſcilicet qui manu nephanda ipſum facinus perpetrarunt: ipſa ciuitas omnibus iuribus & libertatibus ac priuilegijs perpetuo eſt priuata. Murus, & foſſatum, & aliæ turrium munitiones ſententialiter condemnata, & deſtructa funditus & euerſa, ita ut ciuitas ipſa deinceps lupis & canibus, furibus & latronibus pateat peruia: nec unquam reædificandi habeat facultatem: inſuper & plebs ipſa perpetua infamia ſubiaceat

Clobelauch

ceat, totius deinceps exors gratiæ & honoris: destructæ etiam sunt munitiones ipsius Ecclesiæ in diuersis locis, & Ecclesia multipliciter afflicta. Successit post hoc dominus Conradus imperatoris consanguineus, de Bauaria oriundus. Sed suscitauit diabolus inter imperatorē & Archiepiscopū immortales inimicitias, quia erat adhuc misera Ecclesia Maguntineñ. amplius castiganda. Causam huius discordiæ longū esset enarrare, ideo prætermitto, nam & præsentē materiā non contingit. Dominus itaq; Conradus imperatoris non habens gratiā, exul & profugus fugit, Romā uenit, ibiq; imperatori quicquid mali poterat fabricauit: Papa pro quadam causa imperatorē excōmunicauit: ortumq; est graue schisma inter Ecclesiam seu clerū & imperiū. In his omnibus dominus Cōradus fuit imperatori aduersarius capitalis. Sic ergo iterum Ecclesia Maguntineñ. patris spiritualis est solatio destituta. Nō erat qui clericos in ipsa diœcesi ordinaret, chrisma consecraret, pœnitētes admitteret, moniales uelaret, capellas & ecclesias consecraret. Hæc omnia mala ob uenerabilis Henrici ab episcopatu amotionē, cuius supra memoriā fecimus, pullularunt. O misera Ecclesia Maguntineñ. quid pateris? o lugubre & amarum poculum, quod tibi ira dei miscuit ad potandum. Videns dominus Fridericus imperator durum sibi fore, & contra papam & Archiepiscopum certamē gerere, domino Conrado aduersariū suscitauit. Instituit ergo dominum Christianum suæ quidem curiæ cancellariū, loco domini Conradi Bauari uirū utique miræ prudentiæ, in rebus ambiguis & arduis subtilissimi consilij & uelocissimi inuentorem. Erat etiā uir miræ patientiæ in aduersis. Nulla in prosperis superbia extollebatur, uultus benignitate omnibus gratiosus, & aliâs honestis moribus adornatus. Hūc ergo quia tam Ecclesiasticarū q; secularium personarum fauorē cognouit habere, cōstituit Episcopū Maguntineñ. Durauit hoc schisma annis XVIII. Tandem dominus Christianus se interponēs inter papam & imperatorem, ambos ad concordiā reuocauit. Actumq; est de episcopatu Maguntineñ. ut domius Christianus archiepiscopatū Maguntineñ. obtineret pacifice & quiete, & dominus Cōradus Saltzburgeñ. archiepiscopatūaccipiens gubernaret. Erat etiam in ipsa Ecclesia à puero enutritus. Quieuerunt mala per tempus modicū, & dominus Christianus obijt. Obijt aūt iuxta Romam. Grauiter ægrotauit, uicinus erat summus pōtifex, qui episcopū ut proximaret, paternis literis hortabat̃. Quūq; papa ad Archiepiscopum peruenisset, sed languor in tantum præualuerat, ut patri sancto assurgere non ualeret. Facta ergo confessione summo pontifici, de manu eius cōmunicationem sanctam accepit, aliaq; Ecclesiæ sacramenta: & dominus papa facta & dicta indulgentia in pace abijt, & dominus Christianus deo animam reddens, mortem obijt. Audita morte domini Christiani imperator intime doluit, & uniuersa eius curia, & omnes quotquot intellexerūt grauibus suspirijs sunt turbati. Rursum etiā misera ecclesia Maguntineñ. plorās plorauit, q; dolor eius renouatus est. Post hæc principes quidā dominū Conradū Saltz-

Conradus Bauarus.

Christiani laus

burgeñ.archiepiſcopũ,imperatoris recuperata gratia reformãt,ita ũt ipſe imperator eundẽ archiepiſcopũ Conradum ad Maguntineñ eccleſiã redire poſtularet,qđ ipſe dominus Conradus maximo deſiderio affectabat.Suſcipiť ergo dominus Cõradus in eccleſia Maguntineñ.tanq̃ fuiſſet angelus dei.In cõtinenti aũt poſtea grauẽ ponebat exactionẽ in clerum, & mirati ſunt uniuerſi,& omnes qui audiebant dicebãt: Qualis eſt hic,qui tributariũ facit clerum?Sed cõualuit hæc preſſura,& exin hoc ſuis deinceps ſucceſſoribus relinquebat.Modico tẽpore poſt imperator Fridericus dũ tranſiturus eſſet riuulũ paruulũ qui pedibus poterat tranſmeari,impetu aquæ quaſi ſubmerſus eſt. Ipſe dicebať fuiſſe aliquantũ grauis uenerabili uiro domino Henrico archiepiſcopo, & ad ipſius depoſitionẽ occulte conſiliũ miniſtraſſe.Huic filius ſuus Henricus VI ſucceſſit,quieuitq; terra à prelijs.Iam ſperabat eccleſia Maguntineñ. poſt tot calamitates, miſerias, preſſuras, iacturas, ærumnas, fletus & uulnera in ſtatũ ſurgere potiorẽ,& paſtoris proprij protectione & præſentia cõſolari.Sed adhuc diuia hoc ultio nõ admiſit,nã ignis egreſſus de foro fęni, quẽ ueniẽs uentus ab oriẽte detulit ſuper templũ, cõbuſtaq; eccleſia, & libri multi & boni,priuilegia quoq; multa,& ualde utilia ſunt cõſumpta,etiã pars ornatus magna partim ignibus deuorata,partim ꝑ aſportationẽ ſubtracta. Venerabilis aũt põtifex dñs Conrad.nouã monaſterij fabricam inchoauit, ſed nõ cõſummauit.In his omnibus nec clerus à ſuis ſe laſciuijs tẽperauit,nec laici à ſua malitia reſpirarunt.Poſt paucos annos uentus ueniẽs ab occidente pinnaculũ templi deiecit. Erat aũt ligneũ & ſuper ciboriũ antiquũ collocatũ. Cũ tanto aũt impetu in ipſam ſtructurã uentus irruit occidẽs,ut quaſdã trabes in Rhenũ mitteret,quaſdã ultra Rhenũ ad miliare iuxta uillã Hocheim in aëre deportaret.Certiſſimũ à multis famabatur,ꝙ nõ uentus ſed diabolus hoc feciſſet. Erant enim trabes quercinæ & abiegnæ quantitatis illius quæ in torcularibus ſolẽt eſſe.Ego memor ſum iſtud ultimũ accidiſſe.In om̃ibus his non eſt auerſa ira domini,ſed adhuc manus eius extenta.Poſt hæc iter cœpiť idẽ archiepiſcopus transfretare,& de manibus Sarracenorũ eripere terrã ſanctã, atq; reſtituere cultui Chriſtiano: ſeipſum & alios multos cruce ſignauit, mare tranſiuit,ferè tribus annis militãs domino in ꝑtibus trãſmarinis.Circa finẽ anni tertij Henricus moriť imperator:heu heu,uæ terræ de partibus Hieroſolymitanis. Redit archiepiſcopus, terrã repit deſolatã incẽdijs & rapinis. Nuſq; enim ubi rex nõ eſt,gubernator uel potẽs,nõ poteſt à populo pax haberi.Deſiderať ab omnibus Conradi archiepiſcopi aduẽtus,& ecce uenit deſideratus,& terrã inuenit prælijs & incẽdijs conturbatã,ſtudebatq; omni deſiderio pacẽ terris,& quietẽ prouinciæ reformare:& hoc feciſſet,ſi mortis debitum nõ ſoluiſſet. Graui em̃ ægritudine fatigatus,& cũ de die in diem ſe cõualeſcere ſperaret,ſubito & inſperata morte pręuẽtus deo ſpm̃ reddidit. M.CC.

Henricus imperator

Librorum conflagratio

Audita morte Archiepiſcopi dux Bauariæ filius fratris eius omnem theſaurum & ornatum quem in caſulis, & infulis, & cappis habuit copioſum, &

Ecclesiæ donare deposuerat Maguntineñ. abstulit uiolenter: quod tamen deus non reliquit inultum. Nam & ipse dux post multum temporis interfectus, turpiter interijt, neque corpori Christi participans, neque regno, ut existimatur. Equidem iuste satis superq́ue satis, ut qui beatum Martinum debito sibi decore spoliauerat & ornatu, ipse quoque cœlesti ornatu & gloria priuaretur. O altitudo & profunditas iudiciorum iusti iudicis dei, terribilis in consilijs super omnes filios hominum. Imperator abierat, & surgunt duo reges pro imperio litigantes: non est qui à malis imminentibus se abscondat. Maguntineñ. Archiepiscopus non est, & duo pro eo quis eorum fiat maior decertant. Ex utraque parte amici & fautores promissionibus & muneribus acquiruntur. Et turpe est dicere, ipsi clerici electores simoniæ uitio maculantur, & multiplicantur mala super terram, & scinditur Ecclesia Maguntinensium. Qui uni adhærent, cum eo recedunt: alij remanent cum altero. Sufficere poterat ad desolationem terræ unum schisma. Sed funes peccatorum dupliciter circumplexi, difficilius dissoluuntur. Peruertunt cuncta simul hæc duo schismata iuncta. Regum, pontificum, nec nouit amicus amicum. Vna pars quæ remanserat canonicorum cum suo electo excommunicatur. Sed ipsi hanc excommunicationem se simulantes ignorare, diuina celebrare non omittunt. Durauit hæc contumacia annis VIII. Contigit post hæc ut rex Philippus, qui fouebat hanc partem interdictam, occideretur in ciuitate Bambergensi, & hæc pars debilitata est, atque fautores alterius Episcopi qui de ciuitate exierant, conualuere. Anno domini Millesimo ducentesimo octauo. Principes post mortem Philippi regis in Othonem conueniunt, qui fuerat aduersarius Philippi pro imperio, cuius parti etiam papa fauebat. Iste Otho maturauit ad papam uenire pro imperiali consecratione: solenniter proficiscitur, consecratur: post annum excõmunicatur. Eicꝗ filius Henrici imperatoris rex Siciliæ Fridericus suscitatur à papa: redeunt mala, surgunt incendia, spolia reuiuiscũt. Fridericus uenit de Apulia contra Othonem: post annos aliquos Otho moritur, Fridericus dispositis pro ut melius potuit rebus, Romam proficiscitur in imperatorem consecratur Anno domini Millesimo ducentesimo uicesimo, ab Honorio papa. Quo mortuo Gregorius papa succedit. Hic etiam Fridericum excõmunicauit, lætantur prædones, & exultant lictores capta præda. Conuertuntur uomeres in gladios & falces in lanceas, non est qui in latere non deferat chalybem & lapidẽ in præparationẽ incendij, & in exustionẽ: omnia mala confluũt specialiter super Ecclesiam Maguntineñ. & maxime circa partes Rheni de ciuitate Spirensi usꝗ Colonieñ. Post mortẽ domini Siphridi archiepiscopi Maguntineñ senioris succedit dominus Siphrid. fratris eiusdẽ filius: hic duobus annis laudabiliter uixit. sed quia elati cordis erat & superbiæ magnæ, nimis se cõtra Fridericum imperatorẽ erexit, nõ quidem ut diuinã, sed papalem gratiã obtineret. Graui etenim

Dißidium inter Othonem & Philippum

Schisma inter duos Archiepiscopos

Otho

Fridericus II.

ui etenim infamia non solum apud papam, sed & apud omnes homines laborabat. Hic ergo uultum & animum leonis induēs, Leo factus est, & cœpit orphanos & uiduas facere, uillas comburere, ciuitates destruere, homines deuorare, terram in desertum deducere, & papæ mirifice complacere. Et quia iam inquisitionis literas contra Episcopum dederat, ex hijs factis fratrem uenerabilem appellabat. Hic Siphridus Episcopus malum opus operatus est, qui per flammam ignis terram depauperauit, & thesauros Ecclesiæ ablatos, prædonibus dispersit, dedit raptoribus, iustitia eius non manet in seculum seculi. Is itaque Lantgrauium Thuringiæ in regem eligi procurauit: sed breui uiuens tempore, & regnum & animam resignauit. Interea Gregorius papa moritur, sedes uacat annis duobus uel tribus. Huic autem papa successit Innocentius quartus, qui in concilio Lugduneñ contra Fridericum imperatorem depositionis sententiā promulgauit. Mortuo Lantgrauio rege Vuilhelmus comes Hollandiæ in regem eligit̃ tantū ab Archiepiscopis Maguntineñ. & Colonieñ. Post breue tempus dominus Siphridus Archiepiscopus etiā rebus ualedicit humanis, abiens in regionem longinquā, nec tamen ideo cessant mala. Conuenerunt ergo fratres Ecclesiæ Maguntineñ. tractantes de patre futuro, persuasi qui posset ipsam tot & tam grauibus oppressam miserijs, & tanto tempore iam plorantem paternis affectibus consolari, & concorditer in uenerabilem uirum dominum C. Colonieñ Archiepiscopum uota sua transtulerunt, postulantes à sede Apostolica ipsum sibi præfici in pastorem: sed heu heu hoc non poterat obtineri, non est hæc postulatio admissa, sed electio capitulo restituta. Et ne Archiepiscopus Colonieñ. ægre ferret suum desiderium non completū, ipsi legationis dignitas est commissa: consedere rursum fratres Ecclesiæ Maguntineñ. eligunt suum præpositum nomine Christianum, qui à cunabulis fuerat in ipsa Ecclesia enutritus. Eadem die est à legato qui tūc erat præsens, cōfirmatus, & à rege regalibus inuestitus die Petri & Pauli. Omnia hæc acciderunt uno anno, scilicet quòd dominus Colonieñ. est postulatus, quòd factus est legatus, ꝙ dominus Christianus factus est Episcopus, & consecratus quòd pallium est assequutus. Omnes religiosi, & qui deum præ oculis habere credebantur, super huius hominis promotione gaudebant, sperantes pacē rebus dari maxime, quia idem bellicis rebus non fuerat assuetus: etiam qui negocio fuerant inimici, congratulantur ei. Sed non stetit diu in episcopatu: accusatur enim apud papam quòd omnino inutilis esset Ecclesiæ, & quòd euocatus ad expeditiones regis inuitus ueniret: hoc autem uerum erat, eo quòd fierent incendia, sectiones uinearum, deuastationes segetum. Dicebat etenim nequaquam decere talia sacerdotem. Sed quicquid deberet per gladium spiritus quod est uerbum dei, omnimode se promptum asserebat, & uoluntarium seruitorem. Quumque eius prædecessorum sequi uestigia moneretur, respondit.

Sigefridus II

Christiani pietas

Scriptum

Deponitur, q. nollet bellare

Scriptum est, Mitte gladiū in uaginam. Ob hoc in odium regis & multorum incidit laicorum. Qui omnes eum accusantes, apud papam obtinuerunt eum ab episcopatu omni submoueri. Cessit ergo Anno domini M. CC. LI. Substitutus est autem ab eodem legato adolescens subdiaconus Gerhardus nomine, filius comitis Conradi, qui dicebatur Syluester Comes. Hūc autem substituit Cardinalis presbyter & legatus inductus à quodā Henrico Archiepiscopo Herburgduneñ. qui socius erat ipsius legati: nec tamē hoc ipse Henricus Archiepiscopus consuluit sine causa: acceperat enim occulte CC. marchas pecuniæ numeratæ à Gerhardo, quem idem Archiepiscopus institui procurauit. Nihil opertum quod non reueletur. Præter has autem CC. marchas factæ sunt destructiones multæ Ecclesiæ Maguntineñ.

Vualdgrauen

Excriptum Maguntiæ è libro quodam uetusto.

FINIS.

INDEX TERNIONVM.

α β a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z.
A B C D E F G H I K.
Omnes terniones præter β quaternionem.

BASILEAE EX OFFICINA IO. HERVAGII, MENSE MARTIO ANNI M. D. XXXII



CHRONICON INSIGNE Monaſterij Hirſaugienſis, Ordinis S.Benedicti,

PER

IOANNEM TRITEHEMIVM

ABBATEM SPANHEIMENSEM, VIRVM SVA ætate doctiſſ. conſcriptum, ac diu hactenus à multis deſideratum, nunc uerò primùm in lucem editum.

De cuius utilitate, & quæ in eo potiſsimum obſeruanda Lectori ſint, ex Præfatione intelliges.

Acceſsit locuples rerum & uerborum in toto Opere memorabilium INDEX.

BASILEAE, APVD IAcobum Parcum.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, PETRO LOTICHIO, ABBATI SOLITARIENSI, GVILIELMVS RADENSIS S. D.



ELIQVIAS colligẽdas esse, grauiter hortatur CHRISTVS. Id quod nõ modò de uictu, sed de alijs etiam donis Dei (inter quæ ingeniorum labores, & monumenta præsertim piorum & excellentium uirorum, nõ postremũ locum habent) intelligendum est. Sicut enim uictu carere non possumus ad hanc corporalẽ uitam sustentandam: ita etiam absq; doctrinarum monumentis in omnium literarum & artium genere actiones, quæ maximè in uita humana, in uero cultu Dei, in rerum iudicijs, in uirtutum officijs necessariæ sunt, rectè institui, dirigi & expediri nequeunt. Estq; barbaries, rerumq; piarum & honestarũ ignorantia, longè perniciosior tum corpori tum animæ, quàm inopia & extrema fames.

Piè igitur facere, & laudem non exiguam mereri existimo, qui scripta grauium & utilium autorum ex puluere, blattarum corrosionibus, & ab ipso interitu uindicant, eos'que toti Ecclesiæ Dei communicant.

Est aũt Ioannes Trittenhemius propter insignem eruditionem, & uariarum rerum noticiam, celebris author: & optandũ sanè esset, eius monumenta omnia, quæ quidem scripsit plurima, extare. Nactus aũt sum quorundã amicorũ opera & beneuolentia, quoddam eius Chronicon Hirsaugiense, quod hactenus typis quidẽ euulgatum non est, & à multis bonis uiris desideratũ fuit. Eas quasi præclaras huius uiri reliquias nõ tantum mihi colligendas & asseruandas, sed rursus proferẽdas, ac toti Ecclesiæ proponẽdas putaui: ne quasi granarium quoddam in fame cõtra omnium desideriũ clauderem.

Etsi autem non pauca in hoc Chronico uarios næuos spirãt & patefaciunt, qui in Ecclesia Christi extiterunt: tamen eos ipsos cognoscere, & iam cum ueritate patefacti Euãgelij cõferre, nõ erit inutile.

Prętere, quod uel in primis consideratione dignum est, Trittenhemius in hoc Chronico satis clarè docet, Antichristũ Romanum mille & amplius annis non tanta crudelitate ac tyrãnide in ipsis monachorũ delubris omnia occupasse, ac pro arbitrio statuisse & egisse, ut nunc, proh dolor, fit. Recitat enim hic autor historico ac continuo filo, illorũ nomina, qui Scholis monachorũ per multa tempora præfuerunt, eosq; Scholasticos appellat. Vnde satis liquet, monasteria olim aliud nihil fuisse q̃ Christianas Scholas, ad ętatem iuue-

nilem in omni genere literarũ & bonis moribus usq; ad annos maturioris ętatis instituendã: quæ quidẽ nunc tristissimi carceres facta sunt, in quibus tenelli animi legibus, ui ac uerberib. ad idololatriã, impietatẽ, superstitiones, contemptũ ac blasphemias Dei cogũtur.

Exponit etiam, quę monachorũ studia fuerint: nempe assidua ac feruens Bibliorum sacrorum lectio: cui etiam aliarum liberalium artium studia adiunxerunt. nam Vuindichinũ Corbeiensem monachum, qui sub Ottone primo circa annũ Domini 950 claruit, Meginradi Scholastici Hirsaugiensis fama celeberrima excitum, eò uenisse scribit, tantumq; ibi uidisse ardorem discendi sacras potissimũ literas, imò etiam tot ibi reperisse doctissimos uiros, ut satis nequiuerit admirari. ipsumq; præcipuis laudibus celebrarit, scilicet Meginradum Scholasticum esse alterum Hieronymum, & nulli ueterum eruditione inferiorem.

Monachos insuper studia linguarum coluisse, non uno, sed plurimis in locis testatur. Scribit enim, in monasterijs Hebraicè, Gręcè, Arabicè & Latinè monachos doctos fuisse: quorũ præclara opera ex sequentium ignauia interijsse, inq; eorum loco barbarica scripta remansisse queritur.

Fuisse autem non in uno aliquo monasterio, sed in omnibus sui ordinis, publicas Scholas, prolixè his uerbis testatur: De diuersis quoq; nostri ordinis per Germaniã monasterijs, monachi ad scientiam scripturarũ hauriendam Hirsaugiam mittebãtur: quia talis eo tempore consuetudo in ordine nostro seruabatur, ut monachi pro pleniori eruditione cõsequenda, si qui uiderẽtur idonei, ad diuersa monasteria instruẽdi mitterentur. In omnibus enim nostri ordinis cœnobijs, in Germania & Gallia maximè, monachorũ, scholastici ex monachis habebantur, qui iuniores quosq; & ingenio præstãtes in primitiuis literarũ scientijs erudirent: & postea qui habiles inuenti fuissent, ad altiora transmitterent. In solis aũt famosiorib. cœnobijs, quibus & abundãtia rerum temporaliũ erat copiosior, & monachorum numerus maior, constituebantur ad officium docẽdi alios, monachi omnium doctissimi, & non solum in diuinis, sed etiam in secularibus literis eruditi: ad quos ex inferiorib. gradus cœnobijs mittebantur monachi altioribus disciplinis instituẽdi. Quicunq; uerò inter eos maioris eruditionis famam in ordine acquisierat, etiã plures ad se missos discipulos ad erudiendũ monachos habebat. Inter monasteria aũt hunc morem studiorũ habentia, hoc tẽpore præcipua fuerunt: Monasterium Fuldense, S. Galli, Augiense, Hirsfeldense, nostrum Hirsaugiense, S. Albani Moguntinẽse, Corbeiense, Prumiense, Mediolacense, S. Dionysij Parisiense, S. Maximi Treuicẽse, Remense, Altisiodorense, Thuronense, Stabulense & Vuissenburgense. in quibus omnibus erant monachi & multi, & ualde studiosi:

è quo-

è quorum collegio, in singulis cœnobijs, unus cęteris in scientia scripturarũ excellentior, scholasticus ponebatur. Hactenus Trittenh.

Quòd si cum istis nostrorũ monachorum mores & studia contuleris, unde nũc tãta barbaries in monasterijs regnet, mirari desines. Nam nunc nemo ferè est (aut saltem paucissimi) qui uel à limine sacras literas in monasterijs, ab Antichristi fermento nõ repurgatis, salutarit, nedum profiteatur. Imò si quis sit qui Bibliorũ lectioni intendat, inq; usum trãsferre uel saltem cogitet: hunc statim hæreticum, schismaticum, inobedientem, apostatam, ac Lutheranum proclamitant, conuicijs mille proscindũt, uerberibus ac carceribus ad impietatem & ignauiam, seu (ut ipsi uocãt) obedientiam cogunt. Autores bonos exurunt: monachos rudiores compellũt, ut loco sacrorũ Bibliorũ, Dormi securè, Parasitos (Paratos dicere uolui) Discipulos, & alios obscuros sermonistas, qui nihil præter nugas cõtinẽt, legãt. Imò adeò illos inscitiæ non pudet, ut quidã ordines peruersis suis (conuersis dicere oportuit) omniũ librorũ lectionem iam aliquot seculis penitus interdixerint: publicoq; decreto sancierint, orationibus Dominicis & AVE MARIA, ut uocant, horas canonicas ab ipsis persoluendas. Et in Italia, Ignorantiæ ordo excogitatus ac confirmatus est: quasi aliàs nõ satis notũ esset, ipsa ruditate eos rudiores esse.

Linguarum & artium liberalium adeò nullam noticiam habent, ut multos reperias qui in monachorum lupanarib. multos egerint annos, ac planè cõsenuerint, & tamen uix Latina scripta legere possint. Nec pudet Epicuri de grege porcos, tenellis monachorũ pectoribus inculcare, ipsos plus satis doctos esse, si modò sciant preces nõ intellectas murmurare, Missas & alias idololatricas cantiones fortiter boare: atq; ita egregiè eorum inscitiam & ignauiã, ad quam aliàs natura plusquam satis propensi sunt, cõfirmant. Hinc fit, ut interrogati, Quot sint genera uerborum? respondeãt, tres. ipsi alios de psalterio interrogaturi, dicant, Est Psalterius? Audiui aliquando abbatem quendã, qui sibi ad miraculũ doctus uidebatur (quòd olim Lipsiæ Baccalaureus creatus esset) facetiam quandã recitantem, utq; eruditionem suam ostentaret, adijcientẽ: In uerbis, herbibus (nota elegantiã) & lapidibus magna est uirtus. Possent multæ tales historiolæ recitari: sed quid opus est, cum nunc cum impietate eorum ignorantia detecta sit?

Patet etiã ex hoc autore, monachos olim nõ fuisse perpetua Abbatum mancipia, propter impijssimum illud inobedientiæ uotum, ut nunc. Nam in omnibus ferè, ut ita dicam, pagellis hic autor indicat, monachos ex monasterijs exemptos, ad episcopatus, abbatias, & alias dignitates seu prælaturas in alijs locis euectos esse. Id si nunc fiat, bone Deus, quæ imprecationes ac dira contra huiusmodi effrontem apostatam fierent: quæ non persequutiones, uincula ac

carceres huic minitarētur? cum nunc Gnathones illi monastici, qui pueris erudiendis prȩficiuntur, impudenter & sine fine uociferētur ac clamitent, Votum illud monasticum & Antichristi characterem adeò esse indelebilia, ut si omnes Rheni & Albis aquæ in unum fidefragum monachum effunderentur, elui tamen non possint.

Romanorum quoqꝫ & aliorum pontificum scelera teterrima recitat, præsertim autem Ioannis Papæ, eius nominis 13, qui ab Ottone primo Romam uocato, sacrilegij, incestus ac stuprorum, homicidij, periurij & aliorum nefandissimorum scelerum coram tota Synodo accusatus, depositus est: Leone, huius nominis 8, in locū eius substituto. Hattonem etiam Moguntinum episcopum, ob crudelitatem eius in pauperes nimiam, à muribus consumptum refert.

Insignem autem, memoriaꝙꝫ dignā papisticæ fidelitatis & fastus historiā de Siphrido Coloniēsi archiepiscopo recitat: nempe quòd post septenniū suȩ captiuitatis, multo precio de manu comitis Montensis liberatus, non diu postea arte & industria usus, contra iuramentum fœderis, ipsum Comitem nil tale metuentē cæperit, & duro carceri incluserit & mācipauerit. Captū Comitem, & in maxima afflictione detentum, omnia se redditurū archiepiscopo, quæ ab eo extorserat, maioraꝙꝫ pro sui liberatione additurū, liberaliter ac spōte promittentem, pontifex non solum non exaudiuit uel dimisit, sed insuper ex magno fastu & arrogantia pontificia tale responsum reddidit: Habet S. Petrus, quo sine tuis rebus promissis suos enutriat famulos: ideoꝙꝫ me uiuente non dimittêris, sed mortem in carcere subibis: discesꝙꝫ, quomodo archiepiscopū debeas tenere captiuū. Sicꝙꝫ Comitem, nulla consolatione ab episcopo, seu potius archilatrone Coloniensi accepta, mortuum esse refert.

Quòd autem suos monachos aliquando nimium laudat, quanꝙꝫ sæpè etiam satis acriter eorum ignauiam incuset, & alia uitia intrepidè taxet: quòd Hildebrandum etiam, seu Gregorium, eius nominis 7, Papam nimium commendat, quòd sui ordinis monachus fuerit, (quem alij scriptores istius temporis, propter Antichristianā suam religionem, longè alijs ac uerioribus coloribus depingunt) id eius affectibus, & sui temporis tenebris, pij omnes ac Deum timētes adscribant & imputent: agantꝙꝫ ipsi gratias Deo, quòd nunc ad fastidium penè spiritali manna pascimur, rectèꝙꝫ de omnibus ex uerbo Dei iudicare possumus.

Continent hæc Chronica & alias memorabiles historias, mirandas regionum & imperiorum mutationes & uastationes: horrendaꝙꝫ prodigia, quæ ad timorem Dei, ardentemꝙꝫ inuocationē pios omnes excitare debent.

Tuæ uerò R.P. multas ob causas hȩc Trittenhemij Chronica dedicare uisum fuit. Primùm, propter insignē eius pietatē, liberalitatē in pios

in pios ac doctos omnes, eruditionem ac ueram dijudicationem summorum Christianæ pietatis articulorum, & grauissimarum in Ecclesia controuersiarum, qua eam non solum ab alijs passim commendari audiui, sed etiã ista omnia corãm inspexi & intellexi, quando superiore anno bonæ indolis adolescentem, Christianum Glauburgium, clarissimi L L. Doctoris Hieronymi Glauburgij filium, & me Francofurdia uenientes excepit.

Deinde etiam, quia in eius monasterio talem scholam uidi, quales hic noster Trittenhemius multas olim in monasterijs fuisse indicat: imò etiam magis piam & Christianam, nullis Romani Antichristi astrictam legibus, in qua tenera iuuentus rectè in pietate & bonis moribus educatur & instituitur. Vtinã alij abbates ex bonis Ecclesię & piorum eleemosynis luxuriãtes, illud eius studiũ imitarentur.

Tertiò ac postremò, ut, quia hoc nostrum Chronicon Trittenhemius non ad eam metam, quam in sua Prefatione promittit, perduxit: aut certè reliquo carere cum alijs bonis uiris ac tota Ecclesia inuitus cogor: tua R.P. pro sua summa humanitate mihi auxilio sit, ut quę desunt, aliunde impetrari possint. Item, quia hic autor Spanheimensis monasterij Chronicon edidit, quod simili modo prodesset extare: prǫterea aliorum bonorum authorum scripta plurima nondum impressa recitat, quorũ multa tuę R.P. uisa non dubito, eiusq́ auxilio & consilio euulgari posse confido. His alijsq́ rationibus permotus, tuæ R. P. meum studium ac officium declarare uolui. Quare ut tua R. paternitas, honesta uoluntate adductum me hæc Chronica sibi dedicasse existimet, meumq́ studium boni consulat, etiam atq́ etiam rogo. Deus æternus pater liberatoris Domini nostri IESV Christi, tuam R.P. seruet ad gloriã sui nominis, & ad salutem Ecclesię quàm diutissimè incolumem: eiusq́ consilia & negotia fortunet. Ex Magdeburgo, Anno Domini 1559, tertio Martij die: quo extructum est de integro templum Hierosolymitanum post exilium Babylonicum, & absolutum anno sexto regni Darij, magna celebritate sacrificiorum & lætitia populi dedicatum, est 1 Esdr. 6. annis 515 ante Christũ natum. Fuerat autem ædificatio à uicinis Samaritanis impedita, à secundo anno Cyri, ad secundum annum Darij sedecim totos annos: quo exemplo Deus, uelut illustri & insigni testimonio, ingentem suam misericordiam erga suam Ecclesiam, & potentiam erga eius hostes declarauit, quòd non uelit eam in tanto odio diabolorum & furore aduersariorum deleri, sed usque ad finem mundi magis magisq́ propagari.

$[\ ]^2$ BK α^6 β^8 a-z^6 A-K^6;
α^4 A-Z^6 a^6 b^8 c^4 d^6

